This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

Digitized by Google

V 908.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOHANNIS Vander WAEYEN

SUMMA

THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ.

PARS PRIOR.



BIBL: ST
ACAD: L

AZ 6833
(1)

FRANEQUERÆ,
Apud JOHANNEM GYSELAAR, Ordd. Friſiæ atque eorundem Academiæ Typograph. Ordinar. CIƆIƆCXXCIX.

Digitized by Google

R003113330

Don 51114

Digitized by Google

JOHANNES Vander WAEYEN

BENEVOLO LECTORI

SALUTEM IN CHRISTO JESU.

AB eo tempore, quo me divina eccleſiæ miniſterio providentia admovit, mei ante omnia muneris eſſe exiſtimavi, ut in veritatis cognitione, & ipſe proficerem, & promoverem alios. Quod tanto me facturum rebar felicius, quanto magis ſolidam, facilem, & perſpicuam ipſe mihi formaſſem, atque animo inſculpſiſſem ſanantium ſermonum ὑποτύπωσιν; ulterioris

profectus in Sacræ Scripturæ ſcrutatione ducem, dicam, an amuſſim.

Id igitur egi, ut quæ, tum puer à piis parentibus; tum adoleſcens, partim in patriis Eccleſiis & Academiis; partim alibi apud exteros, audiveram, matureſcente judicio, denuò ad incudem revocarem.

Audiveram præceptores, in multis non eadem, methodo ſaltem non eâdem; docentes, quos tamen omnes venerabar, & ſingulos; reportato, etiam ab utriuſque partis coryphæis, honeſto de meis conatibus teſtimonio.

Gliſcentes videbam lites, & fervida partium ſtudia. Ipſemet igitur mihi, meiſque conſcribendam putavi Doctrinæ Chriſtianæ Summam, quam deinceps exaſciarem magis magiſque, & ad Scripturæ trutinam exigerem.

Imprimis autem id mihi negotii datum

cen-

Digitized by Google

cenſui, poſtquam in Celebri loco Profeſſoris Theologiæ munus concredidere, una cum Sereniſſimo Naſſaviæ Principe, Illuſtres & Præpotentes Friſiæ Proceres.

Sceleton igitur Doctrinæ Chriſtianæ in uſum eorum, qui ſe diſciplinæ meæ tradituri eſſent, ſacris devoti juvenes, ante hos undecim annos in chartam conjeci: Unde tractu temporis, inter alia multa negotia, natum eſt, quod vides, Benevole Lector, Theologiæ Chriſtianæ corpus, partim confectum, partim affectum.

Quid in eo præſtiterim, penes te judicium eſto.

Orthodoxæ doctrinæ me tenaciſſimum eſſe Deum teſtem habeo, & quotquot me audiunt.

Exſpecta brevi univerſi operis delineationem, privatis ſcholis deſtinatam, & majoris prænunciam.

 Sub

Digitized by Google

Sub prelo ſudat denuo analyſis in Epiſtolam ad Galatas, cui annectentur de Hirco Azazél diſputationes, à Spenceri aliorumque exceptionibus liberatæ: nec non in locum Zach. IV. 10. concio alibi habita; una cum loci Zach. III. 9. uberiore paululum explicatione, & nonnullis aliis. Faxit Deus, omnia agamus tanquam in conſpectu & ad gloriam ejus! Ea anhelantes tempora, quibus ipſe unus erit, & nomen ejus unum per univerſam terram.

Ut denuo ingeminet Eccleſia: *ô Jehova Domine noſter, quam magnificum eſt nomen tuum in univerſa terra!* Vale in Domino, & in cognitione veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt, mecum proficere, ne pudeat unquam, aut pigeat! Franekeræ VII. Kal. Jan. CIϽIϽCXXCIX.

NO-

Digitized by Google

A D

Ampliſſimum Celeberrimumque Virum,

D. JOHANNEM vander WAEYEN, &c.

Collegam cum multis aliis nominibus, tum ob affinitatem quoque plurimum obſervandum & colendum,

SUMMÆ THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ

PRIMAM PARTEM Edentem,

QUiſquis amas carmen, vel carmine digna gerentem,
Funde melos, mecumque opus hoc operiſque parentem
WAEYENUM, Friſii lumen columenque Lycei,
Collauda, & merito macta virtutis honore.
WAEYENUM, noſtro donatum cœlitus Orbi,
In quo vim Natura ſuam, ſimul Arſque probarent,
Et Fortuna favens: Humanæ gentis in uſum,
Et decus, & Divinæ Relligionis honorem.
Ingenii vis quanta Viro penetrantis! acumen
Judicii quantum! quam multus & entheus illi
Ignis ineſt! animo quam cuncta tenaciter hærent
Quæ didicit! quanta eſt doctæ facundia linguæ!
Quanta illi ſapientia! quanta ſcientia rerum!
Quicquid in humanis exſtat memorabile, quicquid
Eſt in divinis penetrabile, mente ſagaci
Scrutatur, noſcitque, & divite pectore condit.
Denique da mihi, Mome, Virum, qui promptior illo
Res magnas dubiaſque animo deliberet, aut qui
Expediat melius! da qui facundior illo
Explicet ex vero certæ decreta ſalutis.
Et recti pravique vias, & præſcia Vatum
Carmina, & omne ſacro quodcunque volumine clauſum eſt.
Ut dulces fons vivus aquas, ſic divite rivo
Effundit purum pleno de pectore ſuccum,

Hoc

Digitized by Google

Hocque ſitibundæ rigat ora animoſque Juventæ.
Sed ne crede mihi: WAEYENUS quis ſiet, ipſe,
Ex hoc, quem dias profert in luminis oras,
Diſce LIBRO. Qui, ſi non ſit mens læva, probabit
Ingenii dotes excelſi, divitiaſque
Raræ doctrinæ, plauſumque merebitur Orbis
Totius, Chriſti quam late nomen adorat.
Non compilavit doctorum ſcrinia, plumis
Ut caput ornaret furtivis; nec ſibi nomen
Ad populum phaleris nugiſque parare canoris
Nititur, indoctiſque levem pro lumine fumum,
Argentique loco ſcorias divendere viles.
Sed mentis virtute ſuæ ſubvectus in altum;
Numinis auxilio divini, ſe penetravit
In ſecreta poli, viſuque Deum propiori
Contemplatus, Eum tam docte tamque diſerte
Hoc nobis libro deſcribit, & omnia pandit
Interiora Domus ſuperæ Divique Senatus
Arcana; ut Cœlos hic poſſit Lector apertos
Inſpicere, & Numen ſine nube videre Triunum:
Diſcuſſis tenebris, quas lingua manuſque profana
Spinoſæ Θεομίσȣ immani offuderat auſu.
Ad ſummam, tanta arte Deum, totumque ſalutis
Conſilium expreſſit vivo ejus penna colore;
Ut nil Praxitelis cœlum, dextramque Timanthis
Effinxiſſe putem melius vel doctius unquam.
Ergo quiſquis amas Te recte noſſe Deumque,
Æternæque ſalutis iter, pervolve, revolve
Hunc mente attenta librum. Caligine pulſa,
Ætherium radiare animo jubar experieris,
Teque Deumque dehinc in clara luce videbis.
Et mecum extolles opus hoc operiſque parentem,
Unde novum ſurget decus & lux Relligioni,
Et fluet in varias major ſapientia terras.

HERMANNUS ALEXANDER ROELL.

Digitized by Google

ΕΠΟΣ

εἰς

Ἄνδρα Θεολόγον

Κ. ΙΩΑΝΝΗΝ ΟΥΑΙΗΝΙΟΝ.

Τελειότατον Σύστημα Θεολογικὸν ἐκδόντα.

Ἀνδρῶν μητιέτα, κραδίῃ πολυποίκιλον Ἐσθλὴν
Οὐρανίου σοφίην ἐνέθηκε καὶ ἀγλαὰ δῶρα
Ἐν θυμῷ ἐφύτευσε τεῷ, τῷ δ' ὑψόθεν αὐγὴ
Πνεύματος ἐλλάμπει θείου, τοῦ ῥήματα δια
Καὶ σέοθεν παιδευταὶ τὰ γράμματα μάρτυρές εἰσι.
Ἦ σὺ γὰρ εἰλικρινεῖ ζήλῳ χρησθέντα Θεοῖο
Μητιόεις μάντις τε καὶ ἡδυεπὴς ἀγορευτὴς
Ἐκλεκτῷ Χριστοῦ λαῷ νημερτὲς ἄνοιξας.
Ὡς θάνατον φεύξῃ ζωὴν δ' αἰώνιον αἱρῇ.
Ἦ δ' ἐξηγήσω αὐδῇ μελιηδέϊ Ἥβῃ
Θεσπεσίους χρησμοὺς σπουδαίῳ, σήματα πολλὰ
Φραδμοσύνης σέο δημοσίᾳ φανερῶσατ' ἔνεγκας.
Νῦν συντάξαντος λογίων Σύστημα Θεοῖο
Σοῦ πολυϊδρείῃ ἐκλάμψαι ἅπασι περιττῶς.
Πάντας γὰρ δήλως μυέεις ἀσόφους τε σοφούς τε,
Ποιητάς τε τοῖς μυστήρια θεῖ' ἀνέπτυξας
Θαυμασίους τε ὁδοὺς καὶ καιροὺς πάντας ἔδειξας,
Οὓς Θεὸς ὕψιστος ἱεροῖς ἐν γράμμασι χρῆσας.
Τοὔνεκά σοι λαμπρόν τε κλέος καὶ κῦδος ὀπηδεῖ,
Αἰνήσουσι δὲ ἐσσόμενοι τόδε μουσικὸν ἔργον.

I. ΣΧΩΤΑΝΟΣ.

Digitized by Google

VERSIO METRICA
è GRÆCO.

VIr prudens, cujus Divino munere pectus
Cognitio exornat ſapiens, doteſque decoræ
Infixæ reſident menti, quam Spiritus alto
Illuſtrat Sanctus cælo, veriſſima cujus
Sunt voces doctique adeò documenta Libelli.
Nam ſeu Sancta Dei ſyncero oracula Zelo
Exponis Vates, electo voce disertâ
Enarrans ſine fraude gregi, quò flebile diſcant
Exitium fugere ac æternam quærere vitam.
Seu Juvenes eadem facundæ flumine Linguæ
Edoceas Doctor Divini oracula Verbi:
Prudentis manifeſta animi mox ſigna relucent.
Jamque, ubi cæleſtem docto Syſtemate nobis
Conſignas artem, prudentia multa refulget.
Indoctos doctoſque doces; docilique Juventæ
Tu reverenda Dei reſeras myſteria Trini,
Mirandaſque vias Domini, varioſque recurſus
Temporis, in Sacris patefactos, eruis autor.
Hinc Tibi ſurgit honos & magnæ gloria famæ;
Doctaque venturi celebrabunt ſcripta nepotes.

A D

Digitized by Google

AD

Virum Ampliſſimum,

JOHANNEM WAEYENIUM:

CUM

CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ

Partem Priorem ederet.

Hoc demum eſt, rerum pondus gravitate decora
   Tractare, & rebus conveniente ſuis:
Quæque diu variis jacuerunt merſa tenebris,
   Clarius in certa ponere cuncta fide.
Hoc eſt, Scripturam ſcrutari, & pandere nobis,
   Quicquid habet Codex Priſcus, habetque Novus.
Hoc, pernoſſe vias, quas eſt Deus ipſe ſecutus,
   Et quas Humanum par erat ire Genus.
Macte iſtis ſtudiis, WAEYENI, macte locatis
   Tam bene, præclari dotibus ingenii.
Quin age, ne ceſſa ſimiles exſculpere fetus:
   Namque potes, Sacro Nectare quippe ſatur.
Dumque edes, hujus tibi quæ pars altera reſtat,
   Ne, quæſo, differ publica vota diu.

JAC. PERIZONIUS.

Digitized by Google

ΠΡΟΣ

ΣΚΗΝΟΓΡΑΦΙΑΣ ΤΑΥΤΗΣ ΑΝΑΓΝΩΣΤΗΝ.

Οἷος ὅλῃ Μωσῆς ἦν ἄλλοκα πιστὸς ἐν οἴκῳ
Ὃς σκηνὴν τυπικὴν τῆμος ἔγραψε καλῶς
Ἀλλὰ πιστοῦτος ἀνὴρ οὐκ ἐν καινῇ Διαθήκῃ
Ἐλλείπει, ὅς καὶ ἐντί τε σκηνογράφος.
Οὗτος! ἰδοὺ δὲ ἔχεις καινῆς σκηνῆς καταγραφήν.
Τρῖς, δέομαι, ταύτην τετράκι τ' ἀμπόλεε.
Σεῦ πόνος εἰ δοκέει. πλέον ἄρα τιδέρχετε τερπνόν.
Ἢ ἐκ Μωσῆος. Ἢ ἐπὶ πολύς τε σκότος,
Οὗ καὶ μαχαι' ὅλῃ ταυτῇ μέγα σεμνὸν ἐπέστι.
Ἀλλ' ἔνι τῇδε ἑαυ ἣν ἀλέθειαν ἰδεῖν·
Ὧδε, ἀληθείη ἀτρεκὴς φαινοῖσα προσώπον·
Ἐν βραχέει πολλῶν πείρατα συντανύει.

J. C.

NO-

NOMINA

RESPONDENTIUM.

HENRICUS RATBERGEN, *Worm. Batavus.*
BARTHOLDUS FRICKENIUS, *Aſpha Lippiacus.*
JOHANNES CURICKE, *Dantiſco-Boruſſus.*
DIDERICUS BALLEER, *Bremenſis.*
JOH. D'OUTREIN, *Art. lib. Mag. & Ph. Doct. Mediob. Zel.*
JOH. HENRICUS CAULIUS, *Caſſellis Haſſus.*
ARNOLDUS Vander MEER, *Weſt-Friſius.*
FRANCISCUS R. ZEMLENYI, *Ungarus.*
HERMANNUS PÖRTNER, *Bremenſis.*
GERHARDUS WARENDORP, *Winſumo-Omlandus.*
DAVID THOMSONIUS, *Palatinus.*
JOH. LEMONON, *Ponte-Velio Gall. S. S. M. Cand.*
HENRICUS BERNSAU, *Duſſeld-Montanus.*
ANDREAS HOPPENROHT, *Bremenſis.*
ANTONIUS ROUSE, *Zwollâ Tranſiſalanus.*
GERHARDUS SCHOEMAKER, *Wentersvic. Gelrus.*
DANIEL PAULI, *Gedan. Boruſſus.*
DIDERICUS BROUWER, *Swollâ Tranſiſalanus.*
RUARDUS ANDALA, *Art. lib. Mag. & Ph. Doct. Bolſw. Friſ.*
JOH. GERSON CASSIUS, *Polonus.*
BARTHOLOMÆUS JONASZ, *Daventr. Tranſiſalanus.*
ARNOLDUS à LEENHOF, *Veſalienſis.*
BERNARDUS MEULENBELD, *Swollâ Tranſiſalanus.*
HENRICUS BECKINCK, *Doesburg. Geldrus.*

ERRA-

Digitized by Google

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pag. 3. lin. 31. pro infinitum l. *finitum.* 4. l. 30. l. *impoſſibile.* 5. l. 32. pro *ſi* lege *ſic.* 17. l. 11. l. *Aramæa.* 25, l. 3. l. XIII. 30. l. 11. l. Tim. 5. 32. l. 34. pro 46. l. 4. 6. 34. l. 27. poſt ille. 36. l. 9. ipſum. 36. l. 12. l. *critices.* 36. l. 15. l. *deperdita.* 38. l. 1. l. *poſſunt* pro *poteſt.* 39. l. 12. l. *occidi.* 44. l. 33. l. §. XL. 6. 50. l. 11. l. *illorum* pro ille 52. l. 32. l. *deliciatio* 58. l. 5. l. כבר 63. l. 12. l. *mundatas.* 64. l. 13. l. 3. 71. l. 16. l. *arbitramur.* 74. l. 31. l. שמו 76. l. 21. l. 1, 2, 3. 84. l. 21. l. *oblivioni.* 85. l. 13. l. *hoſtes.* 92. l. 2. l. poſt divinum *ſub audiendum eſſe.* 105. l. 2. l. *infinitus.* 129. l. 20. l. *eſſe* pro eſt. 141. l. 12. dele & *in diſp. præc.* 145. l. 10. l. *inadæquatos.* 146. l. 16. l. *nos* pro nobis. 162. l. 32. l. *ea* pro eo 165. l. 18. l. *nobiſque.* 191. l. 14. l. Pſ. CXV. 3. 199. in margine l. *explicata.* 207. l. 11. l. *aut poſt* 218. l. 11. lege *aut poſt.* 224. l. 22. l. LXXVI. l. 24. ante Filius l. *&.* 229. l. 33. l. *quam eas* 242. l. 23. l. 1. Sam. XVII. 243. l. 8. l. *ἰσχὺς* 246. & 15. l. Chaldæus Prov. VIII. Verſu 25. אתמבנית habent Londinenſia, & vertitur *condita ſum.* l. 32. l. *vocatur.* 247. l. 17. l. *eos* pro eas. 275. l. 11. l. *non decretis.* 301. l. 34. l. *Ad.* 337. l. 13. l. *imo.* Reliqua Benevolus Lector corriget.

UNI-

Digitized by Google

UNIVERSÆ
THEOLOGIÆ
ICHNOGRAPHIA.

I.

PRo noſtro quoque modulo Theologiæ Summam ex Sacra Scriptura repetituri, primo quidem ejus quandam exhibebimus Ichnographiam; quam ſuccinctè delineatam deinceps perficiemus, uſque dum operis Theologici, quod molimur, ædificium, per Dei gratiam, penitus fuerit confectum. *Sæpe de cepto*

II. Præmittitur igitur UNIVERSÆ THEOLOGIÆ ICHNOGRAPHIA. Hanc impræſentiarum ita imus delineatum, ut a primo primis principiis faciamus initium.

III. Aliorum hominum, propriorumque ſenſuum atque imaginationis, nec non perverſæ ratiocinationis dictamine, ſæpiſſimè ſeſe deceptum fatebitur, quiſquis ea omnia, quæ hactenus vera eſſe putavit, paulò tantùm accuratius excuſſerit. Adeoque, aut de omnibus rebus dubitandum ſemper, nihilque ſtatuendum erit vel aſſerendum; aut, ni leviſſimè in re maximi momenti verſari velit, an, & quâ viâ, aut methodo, ad certam veri cognitionem pertingere mens queat, omni cum ſedulitate videndum eſt atque examinandum. *ſerio videndum qua ratione quid ſcire poſſit.*

IV. Serio autem, ac, eâ, quâ par eſt, virium cum intenſione id agenti, quicquid aut neget Atheus, aut in dubium vocet Scepticus, aut pro falſo habendum dictitet, ſeu malus genius, ſeu præjudicium, ſeu hominum communis error; aut ipſe, ſæpe jam deceptus, incertum eſſe, &, cui fidi tutò haud poſſit, vereatur; ſe ſaltem, dum ita agitatur, cogitare, adeo erit perſpicuum, adeo certum, ut ex-

Se exiſtere veritatem rite inquirenti ilico conſtabit.

tra omnem dubitationis id aleam poſitum ſit experturus. Ut, licet de cogitatione ſua dubitare, imo eam omnino negare allaboret, ſemper tamen cogitationis neceſſariò manſurus ſit conſcius.

V. Cogitans igitur aliquid & dubitans ac ratiocinans, quicquid tandem illud ſiet, exiſtere, eo ipsô haud minus certum eſt: nulloque deceptionis periculo ſeſe exponet, ſi cogitans illud exiſtere aſſeruerit.

Et cogitans eſt,

Imo, licet in illo cogitante nihil ſit, præterquam illud cogitare, aut cogitandi actus; actus ſaltem ille revera eſt: nec deſinit eſſe, quippe, & hoc momento cogitandi actum experior, & ſequenti quem aut qualem præcedenti expertus ſum: cum conſcientiâ, idem id eſſe quod nunc cogitat, cum eo quod antea cogitavit; præcedentiſque cogitationis actus memoriam eſſe ſuperſtitem. Subſiſtit igitur, duratque illud ac permanet, quod cogitat, licet vel actus ſit ac præterea nihil.

Et ab aliis rebus, de quibus cogitat, diſtinguitur.

VI. Aſt cogitans, ſe, non cogitare tantum, verum & de ſe ipſo cogitare, palam deprehendit, vel ex eo, quod cogitet, utrum & quis, aut qualis ipſe ſit qui cogitat. Multa quoque alia ipſi occurrunt, quæ cogitationi obverſantur, ſed ad τὸ cogitans ea non ſpectare, ſeu, non eſſe de cogitantis natura, nec eam conſtituere, aut ingredi, ex eo patet, quòd, dum non poſſit de ſe cogitare, ut de re non exiſtente, multa alia tamen cogitare poſſit, cum negatione exiſtentiæ iſtarum rerum quas cogitat. E. G. poteſt cogitare cœlum, terram, Solem, Lunam &c. & de iis negare exiſtentiam, ſine ſuæ exiſtentiæ, quantum quidem hactenus patet, ullo detrimento: adeoque experitur, ſe, abſque earum rerum exiſtentia, poſſe eſſe rem cogitantem. Et quantumvis fortaſſis ab alio quodam ſit ac dependeat, ſe non eſſe idem cum eo à quo dependet, neceſſe eſt; quoniam illud tanto majus ſit oportet, ut idem cum ipſo eſſe haud poſſit.

VII. Unum autem, quicquid neget, ajat, ſibi demat, aut tribuat, ita ſibi proprium deprehendit, ac, ut ita lo-

quar,

Digitized by Google

quar, intrinſecum, ut, agat quodcunque velit, nunquam judicare aut aſſerere poſſit, ſe non cogitare. Cogitare igitur à ſeſe inſeparabile ſtatuat neceſſe eſt. Et quicquid in ſe reperit, in quantum ſeſe hac via hactenus cognoſcit, cogitare eſt, ſive ens cogitans.

VIII. Cogitanti autem, ut dixi, varia occurrunt, rerum multarum repræſentamina, ut ſic loquar, variæ ideæ: quibus, an cogitationi aliquid offeratur, cujus exemplar revera extra aut præter mentem exiſtat: &, ſi tale quid exiſtat, an rectè illud & rei convenienter menti cogitanti ſit oblatum; hoc eſt, ab ipſa mente conceptum aut cogitatum, ulteriùs expendi omnino operæ pretium eſt. Eo enim procul dubio perfectior cogitatio eſt, quo eſſe illud objectivum in mente, rei, præter mentem exiſtenti, magis convenit, ac reſpondet; adeoque rei ipſius imago in mente, ſit verbo venia, impropriè enim hic loquor, rem ipſam, quæ revera eſt extra mentem, exactiùs repræſentet.

IX. Serio autem, omnes, de aliis rebus, ſeu veris, ſeu fictis, cogitationes, conceptus, ideas, intellectus repræſentamina excutienti, entis alicujus perfectiſſimi, primi, infiniti, à ſe ipſo & per ſe ipſum exiſtentis, à quo omnia facta ſint ac dependeant, inter multa alia, ſeu cogitatio, ſeu, ut alii loquuntur, idea occurret. *Inter alia, quæ cogitanti obverſantur, ens perfectiſſimum eſt.*

X. Hanc ſi quis in ſe eſſe ac reperiri, ſeu innatam, ſeu aliunde inditam, ſeu a ſe ipſo, ex ſe ipſo, cogitando elicitam, quin penitus effictam, id enim jam non inquirimus, præfractè negaverit, neceſſe erit, ut dicat, omnia ſibi apparere ut finita, ut imperfecta; infiniti autem ac perfecti & à ſe ac per ſe exiſtentis, nullam ſe cogitationem ſeu conceptum, ut ut inadæquatum, in mente ſua reperire. Aſt ei regeram, nihil ut imperfectum, ut infinitum, ut exiſtens per aliud, & eſſe habens ab alio, præterquam à ſe ipſo, concipi poſſe, niſi in comparatione cum perfecto, infinito, ac per ſe & à ſe exiſtente. Imperfectum enim concipi non poteſt, niſi ut privatum

eo, quo ſi gauderet, aut gaudere poſſet, perfectum foret. Idem de finito, de ente per & à ſe exiſtente, dici debet. Quin imo perfecti, infiniti, à ſe exiſtentis cogitatio & conceptus niſi aliquis ſit, nullus quoque finiti, imperfecti, non à ſe exiſtentis, conceptus, eſſe poteſt. Conceptus negativi negant aliquid poſitivum, quale quid ſi nullo modo concipi poſſit, ſciri quoque; aut cognoſci, aut concipi negativum, adeoque finitum, imperfectum, ab alio exiſtens, haud poterit. Ut prior ordine naturæ, & magis nobis infixa videatur de perfecto ente, atque infinito, & per ſe exiſtente, quam de omnibus aliis cogitatio.

Hujus cogitatio menti præ omni alia infixa eſt.

XI. Ad infiniti igitur, perfecti, ac à ſe exiſtentis cogitationem ſeu conceptum aliquem delatus, dum tale quid, an extra mentem revera exiſtat nec ne, ſcire aveo, ilico convincor, non eſſe tantum, verum etiam impoſſibile eſſe ut non ſit. Non enim impoſſibile eſt, ut ſit id, quod ſi eſſet, foret perfectiſſimum. Impoſſibilitas enim eſſendi, ſit venia dictioni Barbaræ, ſeu exiſtendi, aut conſiſtendi, neceſſario ex eo eſt, quod, aut cauſa nulla ſit, quæ id, quod impoſſibile dicitur, producere queat, ſeu facere poſſit, ut ſit; aut, quod id, quod dicitur impoſſibile ut ſit, in ſe repugnet, hoc eſt, tale fingatur, ut ſe ipſum deſtruat, ſeu contradictionem involvat: e. g. corpus rationale, ſeu materia ratiocinans. Neutra autem impoſſibilitatis ratio hic locum obtinet. Non prior, quia foret à ſe ipſo: adeoque ex defectu aut impotentia cauſæ ejus exiſtentiæ nullum periculum. Non altera, quia concipitur, ut omni modô perfectum, adeoque abſque ulla contrarietate, pugnâ aut contradictione.

Id non poteſt non eſſe.

XII. Jam pergo: ſi impoſibile non ſit, ut exiſtat, eſt igitur neceſſariò. In ſtatu enim poſſibilitatis, ita, ut non exiſtat, eſſe haud poteſt, quia tum *Fieri* poſſet, adeoque principium exiſtendi haberet, & ſic perfectum omni modo non eſſet. Conceptus igitur entis perfectiſſimi neceſſariò infert ejus exiſtentiam.

XIII. Si

Digitized by Google

XIII. Si aliquid ſit, ſi ego ſim, qui jam cogito, neceſſe eſt ut ille ſit, qui mihi, qui aliis dedit eſſe. *Si aliquid ſit, ergo Deus eſt.*

XIV. Imo ſi vel aliquid poſſit eſſe, ſequitur Deum eſſe, eumque voluntatis imperio producere ſeu vocare debuiſſe, ea, quæ facta ſunt & præter ipſum exiſtunt. Potuiſſe autem non eſſe, ea, quæ nunc eſſe deprehendimus; ex eo patet, quod creatura rationalis potuerit non eſſe, quæ ſi non eſſet, fruſtra, nullumque in finem, omnia eſſent. Cum autem poſſit non eſſe, is, in cujus uſum plurima videmus eſſe, dubium non eſt, quin & reliqua potuerint non eſſe. Deinde nec de noſtra, nec de ullius corporis eſſentia eſt, eſſe neceſſariò. Imo nullius nobis magis clarè conſcii ſumus, quam, nos aliquando non fuiſſe, ut & nos non neceſſariò eſſe. Id autem, quod poteſt non eſſe, impoſſibile eſt, ut ſit per ſuam potentiam ac voluntatem; nam ſi ſit per ſuam potentiam ac voluntatem, nunquam potuit non eſſe, niſi potentia & voluntas potuerint eſſe, ante rem ipſam, cujus & potentia & voluntas ſunt. Hoc eſt, niſi poſſit idem ſimul eſſe ac non eſſe. Aſt cum non ſit per ſuam potentiam ac voluntatem, & tamen poſſit eſſe, quod patet, ex eo, quod ſit, neceſſe eſt, nimirum eſſe eum, qui producere id pro imperio juſſuque voluntatis potuerit. *Si aliquid poſſit eſſe, ergo Deus eſt.*

XV. Addam: ſi vel aliquid ſaltem nobis appareat ac videatur eſſe, licet revera non ſit, aut eſſe dubites: imo licet nihil ſit, eorum, quæ nunc eſſe videntur, eſt tamen ille, qui facit, ut talia nobis appareant, videanturque eſſe. Nam id quod non eſt, ſui ſpeciem emittere adeoque apparere haud poteſt: hinc multo magis apparet, illum eſſe, qui facit, ut iſta nobis appareant eſſe, dum non ſunt, ac ſi revera exiſterent & exiſtentia ſeſe demum conſpicienda darent. Unde iſta in me, ſi loquar, receptivitas, ut ſpecies recipere; unde rerum receptibilitas, ut per ſpecies, ſeu emiſſas, ſeu, ad earum ſimilitudinem fictas, à nobis recipi; unde iſte nexus, ut receptibiles & re- *Imo, unde aliquid videatur eſſe, patebit Deum eſſe.*

receptæ, à nobis videantur ac diſcerni & dijudicari queant? niſi ab eo, qui à ſe ipſo, ex ſe omnia produxit ad ſe.

Ipſe vocis Deus ſignificatus infert Deum eſſe.

XVI. Ens illud perfectiſſimum, infinitum, ac à ſe exiſtentiam habens, hoc eſt, per ſuam ipſius ſufficientiam extans, Deum vocamus. Cujus vocis ſignificatus concipi haud poteſt, quin unà concipiatur exiſtens, hoc eſt, ita ut eſſentia iſtius entis includat exiſtentiam, & exiſtentia ſit de entis illius eſſentia. Quale quid de nullo alio ente dici poteſt. Alia quoque dum concipiuntur, fateor, concipiuntur ut exiſtentia, hoc eſt, extantiam quandam iis in mente dare neceſſe eſt, eo ipſo dum ea concipimus. Verum hujus entis conceptus, ideam alii vocant, talis eſt, ut concipi non poſſit, quin unâ pateat, citra ullam mentis operationem, exiſtere illam eſſentiam, quæ ut perfectiſſima nobis obverſatur. Huc faciunt quæ habet ſubtiliſſimus Biſterfeldius. *Termini ſpeciales vel ex merè poſitivis conſtant, ut Deus, vel ex merè negativis, ut puræ negationes, vel ex mixtis, ut omnia entia creata, quæ ex nihilo condita ſunt, itemque privationes.* Recte. Terminus enim Deus nihil nobis negativi repræſentat. Nil, niſi quod maximè poſitivum.

Conceptus Dei arguit Deum eſſe.

XVII. Et ſanè talis entis perfectiſſimi conceptus in nobis non eſſet, niſi ab ipſo exemplari impreſſus eſſet, adeoque exemplar illud exiſteret. Quis ad tantam captivitatem & receptivitatem, finitam mentem evehere atque elevare unquam potuiſſet, ut perfectiſſimi conceptum entis, multis ipſa modis imperfecta; ut infiniti, ipſa finita, conceptum haberet: eamque, tam altis infixam radicibus, evelli ut ulla vi haud poſſit? Ab aliis ſibi iſtius entis mentionem factam, priuſquam de eô ipſe cogitaret, & intimis è mentis penetralibus ſponte pullulantem ſeſeque prodentem deprehenderet, dices; Aſt ſi vel alium priorem ejus mentionem feciſſe, omnino putes, non tamen ille mentis tuæ elevare activitatem atque aciem potuit, teque aptum face-

Digitized by Google

cere, ad iſtiuſmodi conceptus, ſeu formationem, ſeu receptionem.

XVIII. Omnium quoque finitarum perfectionum cumulum licet formare potuiſſes: necdum tamen ad infinitatis conceptum ullum vel inadæquatum perveniſſes. Ex ſingularum atque omnium finitarum perfectionum artificioſiſſima conglomeratione nunquam fieret, aut ens, aut conceptus entis, quod ſit perfectiſſimum: eo ipſo enim quod ex diverſis & finitis conſtare fingitur, perfectum omni modo non eſt, nec eſſe concipitur: perfectius quippe procul dubio foret, ſi ſimplex, ſi unum, & minimè ex diverſis conflatum eſſet atque compoſitum: & ut tale nobis obverſaretur. *Niſi inditæ eſſet, a nobis formari non potuiſſet idea Dei.*

XIX. Imo noſtra exiſtentia, & mentis natura, & defectus & inſatiabile beantis, omneſque facultates noſtras perficientis boni, deſiderium, & conſcientia, & admirandum in membra imperium, perceptioque rerum, tam corporearum, quam ſpiritualium, earundemque ad ſenſus noſtros accommodata diſpoſitio, validiſſimè evincunt, illius, de quò agimus, divini numinis, exiſtentiam. *Noſtra exiſtentia & natura mentis Deum eſſe probant,*

XX. Motus quoque omnis, prudentiſſimum non minus, quam potentiſſimum motorem; effecta & cauſæ in ſe ipſis, ut & in eo, quo agunt, ordine, nexuque conſideratæ, primam cauſam extare luculenter probant: ut & mundi ſtupenda plane machina, immenſæ ſapientiæ ac bonitatis prodit imo clamat artificem. *Et motus;*

XXI. Nec digni ſunt Athei, qui pluribus argumentis urgeantur. Ipſi produnt imo fatentur quod negant: &, dum reluctantur, obloquuntur, ſtrophas, technas, fallacias, ad retundendam, mordacis veri, aciem, fingunt: ſevera latebras quærunt, in quas ſe abdant, ne ſtringentis luce veritatis in deſperationis abyſſum ante mortem præcipites ruant. Atque ita homines voluptatibus ac faſtuoſo carnis ratiocinio penitus dediti atque irretiti, omnino convincuntur. *Et Atheï reluctatio,*

XXII. Si

Digitized by Google

XXII. Si falli putent eos, qui eſſe credunt & vivere vindicem Deum, quorſum oblatrant inſani homines, quid damni ex ea, quæ, vel ipſos Atheos, vitæ bonorumque ſecuros reddit, de numinis extantia, perſuaſione?

Quorum abſurditas & ſtupor.

XXIII. Quin eo abſurditatis ruunt hominum prodigia, ut, mille ac infinitos æternos independenteſque inſulſiſſimè admittere debeant, dum uni iſtam gloriam concedere detrectant, Deo, nobis tantò magis ſuſpiciendo & colendo.

XXIV. Attentò igitur eum animo contemplemur.

Ex aſeitate Dei multa alia ſequuntur.

XXV. Et ex eo, quod infinitus & à ſe ſit, & ſummè perfectus, omniumque, per voluntatem & potentiam ſuam, cauſa, in immenſum cœteris, quæ ut facta, ut dependentia, ac per illius potentiam & voluntatem producta concipimus, omni perfectione præſtare ilico patet. Ut eum, incorporeum, infinitum, immutabilem, abſolutè ſimplicem, unum, ſapientem, liberrimum, rectum, ſanctum, bonum denique, ac conſummatiſſime in ſe, ac per ſe beatum eſſe, neceſſe ſit.

Inter alia, celebrandum eſſe.

XXVI. Dignumque adeò quam maximè, ad quem, hoc eſt, ſub cujus nutu ſint ac imperio, cujuſque miniſterio & ad cujus gloriam atque honorem omnia quæ exiſtunt penitus cedant & ab aliis referantur.

Hinc convenit ut ſit creatura rationalis.

XXVII. Fieri id autem, prout fas eſt, à creaturâ, niſi rationali menteque prædita, aut, quæ nil niſi mens ſit, haud poteſt. Ut fruſtra facta videri queant omnia, niſi & mentem, cœtera contemplari, Deique virtutes ex iis agnoſcere, eumque propterea glorificare, aptam, creaviſſet. Atque hæc gloria demum ſcopus eſt; tali, tantoque opifice dignus, hanc gloriam intendere decet Deum, ſuâ aliàs gloriâ ſibi ſatis cognitum, ſufficientem, atque per ſe beatum.

Quæ, ut celebret, cognoſcere

XXVIII. Nulla autem, ſive mens mera ſit, ſive artificioſæ corporis fabricæ, ex voluntate creatoris, affixa atque agglutinata, nulla, inquam, creatura rationalis, illi

Deo

Digitized by Google

Deo rectè inſervire, &, prout decet, ad ejus gloriam ipſa eſſe, omniaque, prout fas eſt, referre poterit, niſi ipſum rectè cognoſcat, ſciatque, quomodo coli, atque glorificari à creatura rationali debeat.

Deum & ejus voluntatem debet.

XXIX. Et ſanè ex intuitu iſtius γνώσεως, quod in nobis eſt, operumque divinorum contemplatione, multa quidem elucent divinitatis ἀξιώματα, quæ ſeriæ, ac non fucatæ religionis, omniſque virtutis praxi atque exercitio, ei ſerviendum eſſe, doceant. Seu quæ rectè conſiderata, eas circa ſe mentis noſtræ ac facultatum, quin & corporis operationes motuſque exigant, ut iis imbuta, ad Deum dirigatur, virtutibuſque prædita dicatur, tantoque evadat perfectior, quanto majori cum virium intenſione, magiſque conſtanter ac fideliter eoſdem elicuerit atque exercuerit.

XXX. Verum enim vero quoniam Deus omni perfectione infinitus eſt, nos autem finiti, ſequitur, multa Deum de ſe ipſo ſcire ut & revelare poſſe, præter ea, quæ ex κοιναῖς ἐννοίαις, creaturarumque, ut ut accuratiſſimâ, contemplatione, ſciri queunt.

Quam ulterius revelare poteſt.

XXXI. Tanta quoque cum in ipſo ſit ὑπεροχὴ & ſupereminentia perfectionis, adeoque & auctoritatis, ſi præter ea, quæ ex inſitis principiis, rerumque naturalium conſideratione, erui poſſunt, credenda & facienda quædam revelet, nos ad earum rerum fidem atque obſervantiam omnino teneri identidem ita certum eſt ut quod certiſſimum. Nam præterquam quod nos penitus ab ipſo ſimus, multiſque beneficiis, quæ enarrare longum foret, ipſi obnoxii, in ſeſe & propter ſeſe dignus eſt ita haberi atque excipi à nobis, ſic loquar, prout revera eſt: at eſt infinitus, independens, omnique perfectione beatus, ſuique creaturam rationalem contemplatione atque amore rectam reddens & beatam. Nam cum procul omni dubio perficiantur facultates noſtræ, ubi ita operoſæ exiſtunt, prout ipſas decet, objectiſque convenienter; imperfectio, labes, peccatum ſit oportet, ubi Deus non habetur, atque excipitur, ut omni

Qualis revelatio ſi extet omni obſervantia excipienda eſt.

Digitized by Google

omni modo perfectiſſimus, adeoque omni honore, cultu, reverentia dignus. Quam veritatem negat, quiſquis divinæ cuicunque revelationi, modo divinam eſſe conſtet, non omnem fidem cultumque ac reverentiam exhibuerit.

XXXII. Deum autem multis modis de ſe ipſo, de voluntate, de moliminibus ſuis, varia, præter ea quæ ſui ipſius ac creaturarum contemplatione, hoc rerum ſtatu elicere homo potis eſt, revelare poſſe, ipſius omniſufficientia ac ſapientia abundè evincunt. Et ſomnia & viſiones & angelorum forſan, ſeu creaturarum, quæ merè mentes ſint, apparitiones, quin & articulatæ voces, ab ipſo Deo, pro imperio, factæ, multaque fortaſſis alia, huic inſervire operi, Deo id volente, apta erant.

Modi quibus Deus plura revelare potuit.

XXXIII. Nec id revera aliquando factum eſſe improbabile eſt. Peccatores ſumus, hoc eſt, non tales quales decebat nos eſſe; non recti ſumus. Inſita tibi de Deo, Ideam Dei alii dicerent, ejuſque perfectiones, tuique ab ipſo dependentiam contemplere, cogitata tua omnia, factaque examina, videbiſque, non omnia, imo vix minimam eorum partem, quin vix ullum à te ad Deum relatum eſſe, hoc eſt, ita elicitum ſeu præſtitum, quemadmodum divinam majeſtatem tuique dependentiam decebat. Non recta autem eſt ulla creaturæ rationalis operatio, quæ eam Deo diſſimilem reddit, imo reluctantem, ejuſque non agnoſcentem, non colentem, non laudantem perfectiones atque ὑπηροχὴν.

Talem revelationem exiſtere non improbabile eſt:

XXXIV. Iſte autem rectitudinis defectus, cum adeſſe deberet, privatio eſt, & labes, & deformitas, nec minus quid quam prævaricatio, atque inobedientia. Peccatum dicimus.

Nam peccatu laboramus.

XXXV. Spretæ igitur divinæ auctoritatis læſæque majeſtatis rei, digni ſumus, qui non gratioſum experiamur Deum, non bonum nobis ac jucundum, ſed (incontaminatæ quippe ſanctitatis, bonique, atque adeo ſui ipſius, honoriſque ſui amore penitus infinito præditus) infenſum no-

nobis, gloriaque ſuæ, pedibus conculcatæ, vindicem. Creaturarum uſu nos atque omni ſolatio privari, reatuſque conſcientiâ, ſpretique ſummi boni, fruſtraneâ & æternâ pœnitudine exagitari, torqueri, cruciari, juſtiſſimæque divinæ indignationis ſenſu æternùm repleri, non indigni ſumus. Imo qui iſtum in modum excipiamur digniſſimi. Peccantes enim, non recti eſſe, adeoque Deum non ritè contemplari, amare, neque in amore & per amorem eo frui voluimus; commeritique ſumus ut nunquam amemus adeoque non fruamur. *Ergo æterna nos pœna manet.*

XXXVI. Imo, niſi ſibi diſſimilis videri, falſumque de ſe teſtimonium dicere, adeoque ſe ipſum abnegare & pro alio, quam revera eſt, ex propriis factis haberi vellit Deus, non poteſt, ſeſe juſtum eſſe, ac ſanctum, rectique ſolum amantem, pravique oſorem, non ſplendidè ac glorioſè demonſtrare; quod, qui fieri queat, niſi ſeſe peccatori non videndum, non fruendum exhibeat, eumque aliquando omni gaudio ac ſolatio privet, hoc eſt, miſerum reddat, meritiſque pœnis afficiat, nos equidem concipere haud poſſumus.

XXXVII. Ut peccatori æſtus Dei, omniſque negatio boni & inflictio mali, adeoque horrenda damnatio certò expectanda ſit, niſi redire cum eo in gratiam, modo ſe decenti, poſſit Deus velitque. *Niſi in gratiam cum Deo redire poſſimus.*

XXXVIII. Ab homine autem nec excogitari, nedum fieri quicquam poteſt, quod jam dictæ calamitatis ei metum eximat, reconciliationiſque, quantumvis ipſum ſpes fallat inanis, cum Deo factæ aut faciendæ, certum reddere ac ſecurum poſſit. Quocumque ſeſe verterit miſer, ineluctabili implicitus malo, omni abjecta ſpe, ſub deſperatione fatiſcat ac penitus ſuccumbat neceſſe eſt; niſi ipſe Deus, pro libero, ac gratioſo voluntatis arbitrio, decreverit, reveletque medium & viam, quibus in gratiam redire cum creatura, omni jam penitus favore indignâ, poſſit ac volupe ſit. *Quod qua ratione fieri poſſit Dei eſt ſtatuere ac revelare.*

XXXIX. Sacrificia excogitet & offerat quæcunque velit, homo peccator; quid iſta ad Deum ipſi reconciliandum? quid iſta ad Deum glorificandum poterunt? non veſcitur Deus, nec delectatur pecudum ſanguine, nec illo vel in immenſum fuſo, eum in modum, qui Deum deceat & à creatura rationali commodus ac ſufficiens haberi poſſit, demonſtratur ſanctum eſſe Deum juſtumque, nec ita temere ab homine ſpernendum, & cupiditatem infra minimam, ac peccati delicias, detrudendum. Siſtat ſeſe oblatis victimis confitentem reum, mortem doloreſque beſtiarum commeritæ calamitatis figuram fingat, Deoque, cum confeſſione peccatorum, exhibeat. Fundat lacrymas, magno preces numero, eamque pœnitentiæ ac virtutis praxin, quæ in hominem, non alia, quam naturali potentia, præditum, cadere unquam poſſit, addat; quid ea obſecro ad placandum Deum ac demulcendum conducent, quid proderunt? Antea ſeſe benigniſſimum Deum, prout coli voluit, haud coluiſſe, conſcius; eam, qua nunc proſequitur iratum judicem, venerationem, placituram placaturamque, certus eſſe qui poſſit? Imo vero non ea delectari ſummum numen, modo perpetuos indieſque iteratos lapſus, modo arrogatam, in obtrudendo cultu, haud præſcripto, auctoritatem recte conſideraverit, facile perſpiciet. Quin vel tum, cum in eo eſt, ut ſibi placare ſe Deum poſſe præſumat, denuo peccari, imo maximum committi flagitium, recte excuſſa conſcientia teſtabitur: peccati quippe veniam tanto Deo extorqueri poſſe, non niſi fatuus, & qui Deum deſpectui habere velit, in mentem duxerit. Ac ſi gratum eſſe debeat, id, quod nunquam petiit, aut velle ſe ullo indicio ſignificavit, & acceptum haberi, quod ab eo præſtatur, qui millies negavit, negatque indies, quod petere Deum, quod poſcere, quod flagitare, noverat ut qui optimè. Adeo peccata peccatis cumulat, dum iis extricari, dum ab iis liberari miſerrimus in caſſum peccator ſatagit.

XL. Ex

Digitized by Google

XL. Ex quibus ultro ſequitur, unius potentiæ ac voluntatis Dei eſſe, modo ſibi convenienti, lapſam creaturam rationalem denuo inſtaurare, & in ſanctiſſimi favorem numinis poſtliminio inſinuare.

XLI. Cui ſufficere Deum, omnimoda perfectio & perfectiſſima aſeitas, ſit venia verbo, perſpicuè demonſtrat; velle id autem, non ita facilè, quin, abſque revelatione, nullo modo, videre eſt.

Et poteſt Deus.

XLII. Non deſunt, ex quibus de iſtiuſmodi voluntate conjectura nonnulla, ſerio in id inquirenti, ſuboriatur. Τὸν πλοῦτον τῆς χρηστότητος τοῦ Θεοῦ, καὶ τῆς ἀνοχῆς, καὶ τῆς μακροθυμίας prædicat Apoſtolus, judicatque omnibus palam eſſe ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ ad reſipiſcentiam ducat. Rom: 11.4. Et certè, niſi conſilium gratiæ & miſericordiæ aliquod apud Deum ſit, ſolis peccatoribus conſpurcandas daret nobiliſſimas creaturas, terramque fruſtra, hoc eſt, non, ut à creatura rationali, in iſto ſapientiæ ac bonitatis theatro, gloria atque honore afficeretur, creaviſſet & ſuſtentaſſet hactenus: quod de Deo cogitare, dum nefas ſit, de lapſi hominis reſtitutione cogitationem prudentioribus injicere potuit.

Et velle eum ſuſpicandi ratio eſt.

XLIII. Certi tamen ea de re aliquid ſtatuere, haud ita in proclivi eſt; tum quod à libera Dei voluntate id omne dependeat, tum quod viam, quâ prout Deum decet id fiat, cuique conſcientia hominis, cum plenâ acquieſcentiâ, adſtipuletur, excogitare mens noſtra ſponte ſua nullo modo poſſit.

XLIV. Sic peccatoribus anſa datur inquirendi ac ſciſcitandi an non exiſtat quædam, à Deo facta, revelatio, quæ talem penes Deum voluntatem eſſe, atque gratiæ propoſitum, nos doceat ac certos omnino reddat.

XLV. Cùm autem minus facilè ea in oblivionem itura, hominumque futura ſit ſeu detorſionibus, ſeu fictionibus obnoxia, magiſque ad poſterioris alloquii per priora oracula probandam divinitatem conductura, illuſtrius quoque divinæ ſpecimen bonitatis exhibitura, ſi, ſcripto conſignata,

Quæ ſi ſit, ſcripto conſignatam eſſe expediet.

cunctis palàm exponatur: in proclivi eſt, ut, iſtum in modum nobis proſpectum voluiſſe divinam φιλανθρωπίαν, ſaltem conjiciamus.

Si ſit, eſſe debet

XLVI. Talis autem, ſeu ſcripto, ſeu ore tantum tradita, gratioſa revelatio, ſi exiſtat, oportet ut ſit

1. Ad Deum

1. Ad Deum, eumque, nec non perfectiones ejus, omnino decens. Dogmata, præcepta, promiſſaque omnia, quæ fortaſſis complectatur; ſtylus quoque, ac revelandi propagandique media ac modus, quin omnia huc ſpectantia, talia eſſe oportet, nihil ut ſit, quod iſti enti, quod maximæ atque infinitæ perfectionis eſt, vel tantillum honoris aut gloriæ detrahat; imò quod ad omnimodam earundem manifeſtationem, non penitùs tendat. Deus enim, ut revera eſt, ſic & procul dubio a ſe ipſo judicatur eſſe, dignus ad quem ſint omnia: id autem negaret, ſi aliquid ab ipſo revelaretur, quod creaturam intelligentem non eò duceret.

2. Hominem denuo rectum præſtans.

2. Ut hominem peccatorem, talis enim jam eſt, ad iſta revelata rectè attendentem, debitoque ea excipientem modo atque amplectentem, rectum reddat ac perficiat: hoc eſt, talem, ut ipſe & omnis facultas atque operatio ejus evadat ad Deum. Inutilis quippe foret, ac moleſta, non grata, adeoque nec ex gratia orta revelatio, quæ, prout decet, habita, nos rectos haud redderet, taleſque, ut Deo grati, adeoque ſapientes, ſancti ac beati evaderemus.

3. Et cujus veritas ad omnem conſcientiam demonſtrari poſſit.

3. Debet etiam iſtius revelationis veritas demonſtrari poſſe ad omnem conſcientiam hominum. Conſcientiæ dictamen à Deo eſt: & ſi, quod inſitum nobis ab eo, aut quod ex inſitis principiis, imperturbato conſequentiarum nexu, defluat, fallere nos poſſit; ipſe Deus, quod abſque blaſphemia ne cogitari quidem poteſt, deceptor dicendus foret, & qui tales nos effinxiſſet, ut neceſſariò deciperemur, etiam in iis, quorum nos immediate conſcios, aut quæ, ex τοῦ γνωστοῦ, à Deo nobis revelati atque inditi, accuratâ & legitimâ excuſſione ſequentia, deprehendimus. Quod omnem abſurditatem ſuperet. Nihil quoque eſt, nullum-

Digitized by Google

lumve excogitari medium poteſt, quo aliquid nobis conſtet, ſi claram ac diſtinctam perceptionem, cujus nobis ipſi immediatè ſumus conſcii, fallere nos poſſe dixeris. Illi igitur ſeſe, quæcunque ſit, divina revelatio, ſiſtere debet, & ſic percepta, hominem de divinitate ſua convincere poſſe, aut pro divina impoſſibile eſt ut tutò habeatur. Talibus igitur κριτηρίοις inſignita eſſe debet, quæ, ad notiones inſitas expenſa, divinitatem prodant probentque ſolidiſſimè. Taceo & ad ἀναπολογησίαν omnium, ad quos iſta pertingat revelatio, illud quod diximus, omnino requiri.

XLVII. 4. Cujus ſenſus ex ipſa illa revelatione conſtare queat atque intelligi: niſi enim ſenſum proderet attendenti, & a ſcrutatore probo percipi atque intelligi poſſet, nec ad conſcientiam ejus demonſtrari veritas, nec rectum præſtare peccatorem nec ad Deum eſſe poſſet. *4. Intelligibilis.*

XLVIII. Deus autem cum ſummus ſit, & ad cujus nutum jure omnia ac meritò flecti debeant, quique immenſa omnium perfectionum circumdatus gloriâ, tremenda majeſtate cuncta ſuperfulget, adeoque omni veneratione atque obſequio dignus; omnino æquum eſt, ut, ſi talem aliquam revelationem alicubi offendamus, omni eam (quod iterum moneo) cum attentione animi ac ſubmiſſione, excipiamus atque exoſculemur. Ea ſpe fulti, fore, ut in iis, de reconciliando nobis aut reconciliato Deo; adeoque ejus gratia & amore; noſtrique, in eo percipiendo, redamando, ac fruendo, æterna beatitate, erudiamur; tandemque æternum felices evadamus. *Talis revelatio ſi exiſtat, rectè excipienda eſt.*

XLIX. Infinitus quoque Deus eſt, & immenſus, nos verò valdè finiti; hinc multa nobis revelare poteſt de ſe, de perfectionibus, de operibus ſuis, quorum aut τὸ quomodo, aut cum aliis veritatibus nexus, & concatenatio, ad probandam hominis obedientiam, aut ſtudio reticeatur, aut, licet verbis quadantenus deformetur, ob mentis tamen noſtræ finitatem rerumque infinitatem, captus noſtri modum multis paraſangis excedat. Ut credenda ſint, utcumque captum *Et cum captivatione mentis noſtræ.*

Digitized by Google

tum nonnulla revera ſuperent, aut cum aliis, jam cognitis veritatibus, minus convenire videantur, quæcunque à Deo revelata eſſe convincimur. Quin, talia ut ſint, multis nominibus utile eſt ac neceſſarium. Captivanda igitur mens noſtra omniſque cogitatio, Deoque ſubmittenda.

Multa ſedulò cavenda.

L. Sedulò autem cavendum eſt, ne præjudicia, cupiditates, falſa ratiocinia, inadvertentia, deceptor fortaſſis aliquis genius, fractæque ac corruptæ naturæ noſtræ labes, aliave tranſverſos agere, &, in conſpiciendo vero, obicem ponere apta, impediant, quo minus divinitatem iſtius, quam nunc indagamus, revelationis, aut res ipſas, quas forſan continet atque exponit, deprehendamus. Deus quoque, qui procul dubio attentos reddere, mentemque incitare atque excitare ita poteſt, ut recta veri perceptione, tanquam nova luce perfundatur, invocandus eſt, ut iſtum in modum proponi nobis curet, noſque ita examinare veritatem faciat, ut ea rite concepta, omnium cogitationum & actionum norma evadat.

Non unum eſt quod Dei verbum jactitant homines.

LI. Non unum eſt, quod Dei verbum, divinituſque revelatum homines jactitant. Quæ ſi inter ſe pugnent, ubi unius demonſtrata erit conſtabitque divinitas, reliqua pro fictis falſiſque habenda fore, certum erit: præſertim, ſi, ut inter ſe, ſic & illa inter, ac id unum, non bene conveniat.

LII. Quid Muhammedani de Alkorano ſuo; quid de Talmude Judæi, de Oraculis Gentiles, de traditionibus Papiſtæ aut ſingularibus Spiritus Sancti revelationibus Enthuſiaſtæ ſtatuant, novimus.

Uno probato reliqua rejicienda erunt.

LIII. Et ſane, facilè, ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, tantopere jactatas revelationes, mendacii convinceremus, ſi hoc jam agere è re & inſtituto eſſet. Unicum igitur hac vice ſufficiet: quod ſingula eorum, quæ jam enumeravimus, multa contineant, quæ ſcriptis Moſis & Prophetarum, nec non Chriſti atque Apoſtolorum è diametro adverſentur. Hæc autem à Deo eſſe, ilicò demonſtrabimus, ut cætera mendaci tribuenda ſpiritui, vel ex eô abunde appareat.

LIV. Ve-

Digitized by Google

LIV. Verum id quod nos pro divino agnoſcimus ſcriptum, prius ob oculos ponemus & quaſi digito indicabimus, antequam ejus divinitatem probandam in nos ſuſcipiamus. *Quid nos pro divino habeamus.*

LV. Sciendum igitur quos libros, & quo idiomate, & a quibus hominibus ſcriptos, intelligamus, integroſque ad noſtra uſque tempora conſervatos, quos divinæ adſcribendos eſſe atque infallibili inſpirationi contendimus.

LVI. Verbo: ſunt libri illi Veteris & N. T. quorum nomina hic recenſere non eſt neceſſe. Scripti a Moſe, Prophetis, Euangeliſtis, Apoſtolis; idiomate Hebræo, intermixtis partibus quibuſdam Armæa dialecto exaratis, & Græco. *Libri indicantur.*

LVII. Hos in hunc uſque diem ita ſervatos ſtatuimus, ut non tantum eorum verſiones, verum etiam eâ quâ exarati olim ſunt linguâ reperiantur. Et ita integri, ut ne hac quidem in parte curæ Dei ac providentiæ ullo modo ſuccenſere poſſimus.

LVIII. Eos autem libros a viris divinitus agitatis ita ſcriptos eſſe contendimus, ut pro divinis omnino, hom(ineſque ad fidem atque obſervantiam eorum quæ in iis continentur obſtringere valentibus, ſint agnoſcendi. *Eos Dei inſtinctu ſcriptos contendimus.*

LIX. Et primo quidem, hominum conſcientiam teſtem volo, an non talis hæc ſit revelatio, qualem, ſi ulla exiſtat, eam eſſe debere §. XLVI. 1. 2. 4. demonſtravimus. *Et meritò,*

LX. Unde & facilè ad omnem conſcientiam, quod tertium requiſitum erat, hujus revelati atque revelationis divinitas demonſtrari poteſt: quod enim ad Deum eſt, peccatoremque, ubi rectè obſervatur, ad Deum eſſe facit, ejuſque omnes facultates & operationes eò flectit, adeoque perficit, id ſanè non poteſt eſſe niſi à Deo. Quod nos eam docet reſtitutionis noſtræ viam, quæ, niſi à Deo, nulla ratione excogitari, atque excogitata nulla ratione reſpui, aut ullius vel minimæ abſurditatis convinci, quæque hominem ſagaciſſimum ſapientiſſimum, inſitis principiis, conſcientiæque dictamini, naturæque rationali, imo ipſi τῷ γνωςῷ τοῦ θεοῦ convenienter, ad æternæ ſpem beatitatis, peccato non obſtante, erigere poteſt, illud inquam, quod nobis iſtam viam indicat, ac docet, à Deo *Omni conſcientia judice.*

non eſſe ne concipi quidem poteſt. Verum illa ſcripta quæ nos divina dicimus, id agere, ut nobis, poſt ſedulam ſcrutationem, conſtat, ſic & aliis probatum dare, in ſequentibus eſt animus.

LXI. Ulteriorem autem hujus rei probationem ante iſtud examen, quod requiritur, ut ea quæ jam diximus ipſi pateant, nullus homo meritò exegerit. Amuſſim enim quandam, ut ita loquar, propono, quam rectam atque amuſſitatam eſſe, nemo, niſi conſcientiæ reluctetur, inficias ire poteſt: jam addo, hoc aut illud iſti amuſſi omnino congruere: quis jam ita abſurdus erit, ut rei illius, cum illâ amuſſi convenientiam, probatam petat, antequam res illa, ad iſtam amuſſim, prout fas eſt, exigatur?

LXII. Deinde &, ſi quis, nondum probatæ divinitatis obentu, ſcrutari iſta ſcripta, & ad amuſſim exigere detrectet, convinci facile poterit, indignum ſe eſſe, qui iſtius cognitionis luce perfundatur; indignum, qui videat ἀξίωμα quod in illo ſcripto conſpici datum eſt. Si enim à Deo Scriptura ſit, juſtiſſimè Deus majeſtatique ſuæ convenienter agit, quod talem eam tradat, ut ab homine faſtuoſo ac protervo, ejus divinitas deprehendi haud poſſit: & ἀναπολόγητος erit ac αὐτοκατάκριτος, quiſquis, ſcrutatione ſcriptum indignum judicans, ad ejus veram cognitionem atque amorem, ſuo damno, nunquam pervenerit.

LXIII. Porro & alia ſuppetunt divinitatis ita manifeſta ſigna atque argumenta, ut nemo ſit, qui ullo deinceps obtentu dubiam hujus revelationis reddere auctoritatem poſſit. Probè hoc volumen excutiamus, & ab omni parte divinitatis ſuæ radios vibrare experiemur.

LXIV. Huc igitur oculos mentemque omni cum attentione animi vertamus. Prophetias videbimus, magno numero complementum nactas. Imò quod nos, qui gentes ſumus, Moſen doctorem, Chriſtumque Meſſiam agnoſcamus, & utriuſque doctrinam ſcrutemur ac amemus, dum Judæi errorum turbine abrepti, palabundi ac vagabundi calamitatibus tantum non ſuccumbunt, vaticinii non unius divinita-

Alia argumenta.

tem

Digitized by Google

tem haud obſcurè demonſtrat. Quin indies accidere videmus, ea, quæ, multa ante ſecula, in iſthoc verbo, prædicta eſſe, nemo negaverit. In uno myſterio, ſi dogmata conſideres, cuncta, uno quaſi in centro, Chriſto Jeſu, collecta ſapientiſſimè, deprehendes. Idem omnes univerſi ſcripti partes prædicant & conſilium & gratiam Dei de hominis in Chriſto ſalute. Ipſius diaboli ſtrophæ, ſophiſmata, perſecutiones, odiumque planè ſtupendum, idem probant; à Deo nimirum eſſe, quæ ita ipſi diſplicent ſacræ paginæ. Corda hominum mutare; à peccatis imò vel primo primis concupiſcentiæ & peccatricis naturæ motibus avocare, in adverſis conſolari; ipſam mortem prudentiſſimis ſuavem reddere; animumque, antea perverſum, ad Dei, rectique omnis amorem, ita accendere, ut, ſpretis omnibus mundi illecebris, ipſi unicè adhæreat: certè non eſt ſcripti; quod non omnino divinum ſit. Quin ethnicorum fabulæ, fictique deorum cultus, modo rectè excuſſeris, haud contemnenda iſtius veſtigia veritatis referunt, quam integram partibuſque omnibus abſolutam ſcriptura exhibet. Adeo ut iis artibus, quibus extirpare ſtuduit, reipſa ſtabiliverit iſtius verbi doctrinam divinitus eluſus Satanas. A Satana profectò non eſt, quod ipſius regno adverſatur, nec à mendace ſpiritu, quod omne mendacium retegit & refutat.

LXV. Aſt præterea ſcriptores ipſos contemplemur, homines nulla lucri aut gloriæ aut voluptatis ſpe inductos, ſimplices, ne ſua quidem vitia reticentes, moribus in exemplum compoſitis; hominum contemtum, odia, perſecutiones, quin exquiſitiſſima tormenta præmium reportantes, offendemus; de quibus ne ſuſpicio quidem ulla fraudis cuiquam merito ſuboriri poſſit. Et ea narrant, *quæ audiverunt*, *quæ oculis viderunt ſuis*, *quæ contemplati ſunt*, & *quæ manus ipſorum palpaverunt*, Joh. 1. 1. *A conſideratione ſcriptorum.*

LXVI. Nec exiguum argumentum eſt, quod ex Moſis doctrina reliqua tanquam ex ſcaturigine manaverint, nihilque aliud ſint quam Moſaicæ Doctrinæ totidem commentarii: *Quia cum Moſis doctrina exa-*

Digitized by Google

ſic conve-niunt. quando eum divino beatum alloquio conſtat. Quod ſane ita clarum eſt, ut ne ullo quidem obtentu in dubium vocari queat. Argumentum id egregiè, ut ſolet, exequitur in Summa Theol. Coccejus; quo lectorem remittimus.

Et gentium teſtimonia non deſunt. LXVII. Haud parum quoque ad rem facit, multa, vel ipſis gentibus ac Judæis auctoribus, ita geſta, quemadmodum a divinis ſcriptoribus narrantur. Quæ ex Herodoto aliiſque quod ad res Veteris, ex Joſepho Flavio, quin ipſo Talmude, ad res Novi Teſtamenti facientia, ab aliis collecta ſunt, huc non transſcribemus.

Idem Stylus docet. LXVIII. Styli, quicquid obganniat Atheus, ea majeſtas eſt, ut vel diſertiſſimos gentilium in ſui admirationem rapuerit. Longinus περὶ ὕψους Sectione VIII. Verum ubi res ipſa loquitur teſtibus haud indigemus.

LXIX. Cum iis, qui ita manifeſtæ veritati præfractè obſtrepunt, pluribus diſputare, nihil attinet. Quippe quibus examinare rationum momenta aut non vacat, aut non lubet, aut operæ non eſt pretium. Niſi forte cupiditatibus ſe ita ſecurè indulgere, admiſſa iſtac divinitate, non poſſe pervidentes, ultro conſcientiæ vim inferant profligatæ homines vitæ.

Quæ argumenta, gratia Sp. S. accedente, mentem plene convincunt. LXX. Aſt non obſtante omni ea argumentorum vi ac pondere, tanta humanæ mentis caligo eſt, tanta noſtra corruptio, ut, prout fas eſt, percipi ea veritas a quoquam mortalium haud poſſit, niſi præſto ipſi ſit gratia Spiritus Sancti, qua fiat, ut, ſepoſito omni præjudicio carnalique abnegata cupiditate, quin & ſapientia, 1. attento animo excipiat quæ in Sacra Scriptura ſeſe produnt divinitatis argumenta: 2. deinde probè excepta argumenta ad notiones innatas ſedulo ac prudenter expendat. Uſque dum 3. eò, vi veritatis, ſeſe tali menti ultro prodenti, adigatur, ut firmiter ſtatuat, credatque a Deo revera & divinitus inſpiratam omnem eam Scripturam eſſe.

Ejus gratiæ neceſſitas probata. LXXI. Atque hæc eſt illuminatio quæ non niſi a Spiritu Sancto ſperanda eſt homini peccatori. Hæc eſt quam teſtifica-

tio-

Digitized by Google

tionem Spiritus Sancti jure dicimus, cujus adverſus omnes Pelagianos neceſſitatem arguit, omnimoda mentis noſtræ a Deo, & mentis peccatricis, ut quicquam bene agat, a Spiritu Sancto, dependentia.

LXXII. Nullus actus a mente exeri, niſi volente Deo, poteſt. Nullus actus a peccatore qui bonus ſit, niſi volente Sp. Sancto. Deo ſic in communi, ut ita loquar, ut cauſæ primæ omnem creaturæ actum ipſa vindicat ratio. Poſt peccatum vero omnem bonitatem actus Deo Spiritui Sancto vindicat Scriptura. Quæ res, poſtquam de perſonarum Divinarum Oeconomia & hominis impotentia ad omne bonum Spirituale ſuo loco egerimus, perſpicua erit. *Ratione.*

LXXIII. Scriptura, quod diximus, palam adſtruit. *Spiritus* enim *eſt qui teſtatur quod Spiritus ſit veritas.* 1 Joh. v. 6. Non, alio ſuperveniente audibili aut viſibili teſtimonio, ſed rationali mentis perſuaſione, qualem jam explicatam dedimus. *Revela oculos meos, ut cernam mirabilia ex lege tua* Pſ: CXIX. 18. *Dominus Lydiæ cor adaperuit, ut attenderet iis, quæ dicebantur Paulo* Act. XVI. 14. *Scriptura teſtimonio.*

LXXIV. Et ſane ſi deinceps in percipiendo vero ac genuino Sacræ Scripturæ ſenſu Spiritus Sancti ductu indigeamus, quænam ſuperbia eos agitat, qui, ut ad Scripturæ divinitatem amplectendam adigamur, eam requiri cum Socinianis negant?

LXXV. Ex dictis autem, cum, nulla adhuc factâ eccleſiæ mentione, imo vel ipſa ejus notione ne quidem audita, aut percepta, Sacræ Scripturæ divinitatem conſtare poſſe, & ſolidè probari palam ſit, fruſtra ſunt Pontificii qui hic auctoritatem eccleſiæ tantopere crepant, ac ſi auctoritas eccleſiæ nos demum obſtringat ut credamus S. Scripturæ. Divinam in ſe & a Deo eſſe fatentur, & nos adigi non poſſe ut eam divinitatem agnoſcamus, niſi adſtricti atque obligati auctoritate eccleſiæ de S. Scriptura teſtantis abſurdiſſimè addunt. *Exploſa eccleſiæ hac in parte ficta auctoritate.*

LXXVI. Rogatum velim Huetium, an eas, quas ad probandam Sacræ Scripturæ divinitatem in Docto opere Demon-

Digitized by Google

monſtrationis propoſuit, ſolidas eſſe judicet, nec ne? Si poſterius, quorſum eas *demonſtrationum* nomine inſignit? Si prius, quod omnino dicturum exiſtimo, an igitur demonſtrationes erunt quæ non habeant vim ad convincendos hominum animos? vel an convicti quoque non debebunt de qua convicti ſunt admittere atque amplecti veritatem, antequam accedat hominum auctoritas? Inepta profecto cavillatio.

LXXVII. Eccleſia nobis proponere poteſt & examinandam commendare Scripturam; verum ipſam Scripturam probè expendenti ex argumentis jam allatis clarum evadit a Deo eſſe & propterea ut divinam accipiendam eſſe. Non poteſt dubitari utrum a Deo acti fuerint, qui Scripturam nobis reliquere, modo ad ipſa dicta probè attendatur. Taceo circulum quem committunt, dum ex Scriptura, unicè eccleſiæ auctoritate ſtandum eſſe, & ex teſtimonio Scripturæ eccleſiæ auctoritatem demum conſtare frivole contendunt.

LXXVIII. Cum igitur à Deo ſit quod veneramur Dei verbum, ut per illud cognoſci ab homine peccatore, prout decet, ac coli poſſit, neceſſariò *perfectum* eſt, & cuncta complectitur, quæ homini, ut iſtum ad ſcopum pertingat, neceſſaria ac utilia ſunt:

Scriptura ſufficit abſque Traditionibus aliis.

LXXIX. Traditiones igitur fruſtra jactitant Pontificii ut neceſſarias, tum ad nonnulla cognoſcenda, quæ in Sacra Scriptura non reperiantur; tum ad intelligendum verum Sacræ Scripturæ & dogmatum ſenſum. Nam & omnia complecti quæ eccleſiæ neceſſaria ſint ex dictis conſtat: nec minus clarum eſt, eam, niſi ex ſe intelligi ſufficienter poſſit, non eſſe illud verbum, eum in finem eccleſiæ gratioſe conceſſum. Præterea infallibilis & unanimis eccleſiæ traditio nulla datur, niſi eam intelligamus, quam Scriptura continet. Ab initio verbum promiſſionis non ſcriptum traditum eſt, verum & jam ante diluvium id interpolatum & de eo litigatum fuit. Qui poſt diluvium fuit mundus, in πολυθεΐαν brevi prolapſus eſt, ut Abrahami ex idololatrarum medio vocati exemplo conſtat. Quæ traditio fuit cui fidi poſſet, quando *omnes receſſerant*,

una

una putidi effecti erant, non erat bonus etiam unus? Pſ. XIV. Rom: III. 19. Doctrinam Chriſtianam ſemper in mundo fore Chriſtus prædixit: inde tamen nihil pro univerſali & certa atque infallibili traditione: quod pluribus demonſtrat Coccejus Summa Theol. Cap. III. §. 50. & ſeqq. Et incertus eſt conſenſus univerſalis. Et in errorem hunc aut illum conſentire omnes poſſunt, nonnullis licet fundamentum tenentibus. Nec promiſſio de traditione integra ſervanda extat. Nec communi vigilantiæ tuto fidimus. Nec majora pro ſuis adferre poſſunt traditionibus Papiſtæ quam Judæi. Et a fide maximam Chriſtianorum multitudinem defecturam dudum S. Scriptura prædixerat. Ut ejus traditio & conſenſus non ſint tanti faciendi.

LXXX. De libris Apocryphis dicimus, cum divinitatis characterem non prodant; merito pariter rejici; ut alia taceam quæ Docti Belgæ Interpretes fuſe in præfatione iis præfixa, poſt Raynoldum, de hac re diſſeruerunt. *Apocrypha rejiciuntur.*

LXXXI. De perſpicuitate Scripturæ, ex iis quæ jam diximus, non minus facile judicare eſt. Et ſane ei, in quem datus eſt, fini inſervire haud poſſet, niſi ipſa ſibi tantam lucem adfunderet, ut, quæ ad ſalutem neceſſaria, inde clare intelligere & in cognitione rerum divinarum ſemper proficere diligens ſcrutator poſſet. *Scriptura perſpicua eſt.*

LXXXII. Quin & ipſa ſuæ interpretationis norma ſufficiens ni ſit, atque unica, fruſtra nobis amuſſis & tam credendorum quam agendorum data norma eſt. *Ipſa ſuæ interpretationis norma.*

LXXXIII. Ut temeritatis facilè convincatur, quiſquis ejus dictis aliunde ſenſum adfingere, aut eorundum ſignificationi cancellos præſcribere præſumſerit. *Verba* igitur id omne *ſignificant*, *quod*, per ſcripturam, *ſignificare poſſunt*. Et quoniam ex vero nil ſequi poteſt niſi verum, illudque verum fontem referat, unde profluxit, eâdem auctoritate, *ad ſui fidem* atque obſervantiam *obligant*, *quæ legitimâ ſequela* ex Dei verbô eliciuntur, *quâ ea*, *quæ ῥητῶς in iis continentur*.

LXXXIV. Verſandam igitur ab iis quorum Deum & veritatem *Omnibus legenda.*

ritatem noſſe intereſt, id eſt, ab omnibus; adeoque in vernaculas vertendam linguas eſſe, nemo poterit inficiari.

Tuto ei igitur fidemus teſtanti ſui ipſius,

LXXXV. Tuto igitur deinceps de ſeipſa teſtantem audiemus. Et ſic conſtabit ulterius ejus.

1. Auctoritatem.

LXXXVI. 1. Auctoritas divina tum in ſe ipſa tum quoad nos.

2. Integritatem.

LXXXVII. 2. Integritas: qua nobis incontaminatæ & incorruptæ reliquæ factæ ſunt univerſi canonis partes ad unam omnes.

3. Perfectionem.

LXXXVIII. 3. Perfectio: qua omnia continet quæ ad inſtruendum & perficiendum Dei hominem, in genere normæ, deſiderari poſſunt. Scripta quidem illius pars eſt una poſt aliam; aſt quemadmodum jam antequam divina revelatio ſcripto mandata eſt, ſumma credendorum, adeoque & agendorum nota fuit in eccleſia, ſic & poſtea id quod primò ſcriptum fuit eadem ſufficienter continuit; quæ in ſequentibus ulterius fuere explicata atque enucleata.

LXXXIX. Sic hæc perfectio verbo Dei adfuit cum vel prima tantum promiſſio extaret, cui multæ aliæ ad tempora uſque Moſis acceſſere; quæ ſingulæ fere omnium credendorum atque agendorum ſummam complectentes, ſe invicem explicabant, illuſtrabant, & res promiſſas, veræ fidei objecta & pietatis non fucatæ normam atque incitamentum magis & magis explicabant.

XC. Hinc Moſis ſcriptis ea perfectio denegari non poteſt, quippe qui & primam & ſequentes promiſſiones, patribus factas, recenſuit & collegit. Ut vel hac ratione merito *ſervus fidelis in tota domo* Dei dicatur Num. XII. 7. in eccleſia omni unquam tempore extitura, adeo ut & *teſtimonium* exhibuerit *eorum quæ in futurum dicenda erant* Hebr. III. 5. & nihil tanquam à Deo profectum auditura ſit eccleſia & recipere debeat, niſi, cujus in Moſis teſtimonio veſtigia reperiantur.

XCI. Et qui non ſufficerent, extra quæ, nec Chriſtus quicquam nec Apoſtoli docuere? *Nihil*, id de ſe Paulus teſtatur

Digitized by Google

tur Act. XXVI. 22. *dicens extra ea quæ tum Prophetæ locuti erant, futura eſſe, tum Moſes.* Ad Moſis ſcripta Prophetarum verba exigi olim debuere Deut. XIV. 1-5. Quin noviſſimo tempore Judæis convincendis Moſis ſcripta ſufficient Deut. XXXI. 19. quale encomium ſane ipſis non competeret, niſi, quam rejecere Chriſti doctrinam, in iis reperire, ex iis doceri poſſent. Quapropter obedientia ſub Novo Teſtamento a circumciſis cor præſtanda non aliam habitura normam erat, quam legem Moſis.

XCII. Ut Hoſeas merito aſſerat, non partim ſcriptam eſſe legem, partim non ſcriptam; ſed omnem Iſraeli ſcripto relictam: id enim valent verba *Scribebam ipſi* Iſraeli *multitudines legis meæ* Hoſ. VIII. 12. quod tantundem eſt ac omnes partes ejus, quam multæ eæ ſunt. Ita *multitudo oſſium* Job. XXXIII. ſunt omnia oſſa.

XCIII. Et nullam aliam ob rationem חֻקּוֹת dici potuere, niſi quoniam determinatum & definitum quid continent, cui nec demi quicquam nec addi abſque adulteratione poterat? id enim valat vox חֹק. Et palam huic obſervationi ipſe legiſlator adſtipulatur, quando impoſterum huic legi Moſis, huic Moſis doctrinæ, qua viam ad optatum finem, ad vitam æternam indicabat, quod vox תורה denotat, huic inquam legi addendum nihil, nihil detrahendum eſſe ita ſerio jubet. Deut. IV. 2. XII. 32.

XCIV. Verba quoque teſtamentorum & fœderis cum Iſraele initi Exod. XIX. & XX. cum extenſione ad gentes Deut. XXIX. 14, 15. & *gloriam Dei* & *nomen Dei* & *vias omnes* & *bonum ſuum* Deut. XXXIII. 18, 19. Pſ. CIII. 6. in iis expoſuiſſe Deum liquet. Sufficientia igitur fuere Moſis ſcripta.

XCV. Acceſſere Moſis commentatores Prophetæ, qui promiſſiones, leges, rerum ante & poſt Chriſti adventum futurarum ſeriem, explicarunt, vindicarunt, applicarunt: uſque dum noviſſimus prophetarum Maleachi, canoni prioris temporis colophonem additurus, Iſraelem denuo tanquam ad ſufficientem normam, ipſius Dei verbis, ad ſcripta Moſis revocaret, *mo-*

Digitized by Google

mores eſtote legis Moſis ſervi mei cui præcepi in Choreb ad TOTUM, qui omni tempore futurus eſt, *Iſraelem ſtatuta* ſeu definitiones & *judicia* ad quorum normam Deus judicat adeoque aut juſtum declarat aut injuſtum, id eſt, vitæ æternæ participem aut æternæ miſeriæ damnatem. Ea ſubdens quæ Legem Moſis idoneum inſtrumentum fuiſſe probant, ut, qui ejus recordarentur, Dominum advenientem agnoſcere eique obedire, & anathema Judaiſmo incredulo, & terræ Canaan, a Deo, per Romanos infligendum, effugere, atque benedictio cum Abrahamo fieri poſſent.

XCVI. Et cum Scriptura tempore adventus Jeſu Chriſti fuerit ſufficiens *lex*, id eſt, doctrina indicans viam juſtitiæ & vitæ, quin & *certificatio* ſeu *conteſtatio* תּוֹרָה וּתְעוּדָה Jeſ. VIII. 19. 20. certe deinceps eo adigi non potuit eccleſia, ut, tanquam ſi ſcriptura jam non ſufficeret, credere neceſſe haberet quæ ſcripta non ſunt, aut certis hominibus, ſine demonſtratione ex ſcripturis, denuo dictanda. Hinc ſibi non credentes increpat Chriſtus, quod Moſi non crederent; nec ad ullum aliud quam Moſis teſtimonium provocat. Joh. V. 38. 39. 46. 36. VII. 19. Et traditiones omnes ex verbo jam ſcripto refutat profligatque idem Dominus Mat. V. XXIII. XV.

XCVII. Huic ſufficientiæ Sacræ Scripturæ manifeſte ſuffragatur Paulus 2. Cor. I. 12. 13. exertè aſſerens *ſe nihil ſcribere quam & legebant & agnoſcebant*. Et largitur Judæis, quod habeant μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας *deformationem* ſeu delineationem *cognitionis & veritatis* Rom. II. 17, 18. 20. Et quid deeſt iis literis *in quibus manendum eſt, quæ poſſunt ſapientem facere ad ſalutem & perfecte inſtruere hominem Dei ad omne bonum opus?* 2 Tim. III. 15. Ut merito minetur Johannes, *ſi quis addiderit ad ſermones prophetiæ libri illius, Deum additurum in ipſum plagas ſcriptas in eo libro* Apoc. XXII. 18.

XCVIII. Certe *fundamentum* continet cui omnia inædificanda ſunt, quod qui novit, is omnia noverit. 1 Cor. I. 17, 18. II. 1, 2. III. 11, 12. 1 Joh II. 3, 5, 7, 8, 27. IV. 2. 4. In-

Digitized by Google

XCIX. 4. Intelligibilitas: qua talis eſt, ut intelligi & quid credendum quid faciendum ſit, ex ea, probè examinata, diſci poſſit. *Lucerna pedi meo eſt verbum tuum, & lux tramiti meo.* Pſal. CXIX. 105. *Teſtimonium Jehovæ eſt fidele, fatuum ſapientem faciens. Præceptum Jehovæ eſt clarum, illuminans oculos.* Pſ. XIX. 8. adde Prov. VI. 23. 2 Petr. I. 19. 2 Cor. IV. 2. Deut. XXX. 11. cum Rom. X. 6--9. *4. Intelligibilitatem.*

C. Nec quicquam nobis adverſatur, quod de cœcis, induratis, inſenſatis, inconſideratis & ſermonem Dei in ſe non habentibus legamus: quin id pro nobis facit, quippe ſic non ſcripturæ obſcuritas, ſed hominum malitia accuſatur. Certè nulla ſcientia, nulla ars addiſci abſque νοήσει atque συνέσει poteſt. Datur νοῦς ἀδόκιμος καὶ διεφθαρμένος *mens improba, nihil penſi habens, ac corrupta. Homo naturalis* nil niſi mentem habens in corpore, Spiritum Dei non habens Jud: 19. *non capit quæ ſunt Spiritus* 1 Cor: II. 14. verum non in ſole, non in luce, non in ſcriptura, ſed in oculis, in corde illius mali labes eſt. Ut meritò neget Apoſtolus *Euangelium ſuum tectum eſſe*, præterquam *in pereuntibus, in quibus Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium, ut non ſplendeat ipſis lux euangelii gloriæ Chriſti* 2 Cor: IV. 4.

CI. Abſque gratia Spiritus Sancti ſalutariter intelligi non poſſe certum eſt, ſed hic de perſpicuitate objecti, non de capacitate ſubjecti agimus: de qua, Coccejus Summa Theol. Cap. VI. §. 26. & ſeq. Conferri etiam hic debent quæ nos §. LXX-LXXIV. diximus.

CII. 5. Noſtrum circa eam Scripturam officium. Cujus non minima nec poſtrema pars eſt, operam dare ut ſciamus ea quæ Deus nobis revelavit & largitus eſt. Ut diſcamus ſenſum Chriſti. Ut Deum Patrem & quem miſit Chriſtum Jeſum rectè cognoſcamus Joh: XVII. 3. Et innutriti ſanis ſermonibus, viri evadamus in intellectione rerum divinarum, habentes ſenſus exercitatos ad diſcernendum bonum & malum. In intellectu perfecti. Quod & ἀπὸ *5. Nos eam debere ſcrutari.*

βρέφους incipiendum eſt, ad exemplum Timothei, Paulo tantopere laudatum 2 Tim: III. 15.

CII. Huc facit omnis generis ſcrutatio. *Scrutemini Scripturas* Joh: v. 39. Omne ſtudium, omnis labor, quem eruendo ſenſui verborum Dei quovis modo impendimus, *ſcrutatio* eſt. Fit autem legendo, audiendo, meditando & invicem inſtituendo, ſeu bini aut plures ſe invicem, ſeu unus aut plures totum cœtum ac gregem Sacram Scripturam interpretando, doceant. Lubet hic nonnulla mutuari a Biſterfeldio de Script. S. Eminentia & Efficientia pag. 36. & ſeqq. *Interpretatio Scripturæ eſt clara genuini ſenſus enunciatio* Proverb: I. 6. 1 Cor: XIV. 1, 13, 26, 29. *quæ tamen claritas varios gradus, pro varietate rerum, perſonarum, ac circumſtantiarum admittit*, Num: XII. 6, 7, 8. Act: II. 17. 1 Sam: III. 1, 21. 2 Petr: I. 20. *& ab initio mundi uſque ad ejus finem ſumſit ac ſumet incrementum. Enunciationem vocamus inveſtigati ſenſus explicationem, ſeu expoſitionem, ſive illum quis aliis, ſive ſibimet ipſi repræſentet.* „*Inveſtigatio ſenſus Scripturæ eſt accurata ejus inventio ac dijudicatio.* Pſ: CXIX. *per totum* Proverb: II. I. Joh: v. 39. 1 Petr: „I. 10. 1 Cor: II. 10, 15. *Interpretatio adeoque inveſtigatio ac enunciatio, conſideranda eſt generaliter & ſpecialiter. Generalis conſideratio agit de mediis omnibus perſonis interpretantibus, rebus interpretandis, interpretationumque modis, communibus.*

„*Interpretatio Scripturæ quatenus genuini ſenſus perceptionem ac repræſentationem ſignificat, eſt officium omnium ac ſingulorum fidelium ratione rectâ utentium.*

„CIII. *Univerſæ vero & ſingulæ Scripturæ partes interpretandæ ſunt; id eſt, earum genuinus ſenſus efficaxque uſus in hac vitâ inveſtigari debet ac haberi poteſt.* Eſt enim „tota quanta quanta lux. *Pſal.* 19. 9. & 119. 105. 130. „*Prov.* 6. 23. tota utilis ad uſus infra explicandos, red„dendumque hominem Dei perfectum. 2 *Tim.* 3. 16. tota „ad noſtram doctrinam ſcripta. *Rom.* 16. 4. nihilque ex eâ

„tan-

Digitized by Google

„ tanquàm ſuperfluum ſubducendum vel omittendum. *Apoc.*
„ 22. 19. quod etiam de prophetis, quamvis primâ fronte
„ obſcuriſſimis, firmiter credendum eſt. 2 *Pet.* 1. 19. 20.
„ & 3. 18. *Ezech.* 40. 4. & 43. 10. 11. 12. & 44. 5. 6. ex
„ quo templo omnes hodiernæ juſtoque Dei judicio cruen-
„ tæ de gubernatione eccleſiaſticâ controverſiæ perfectè de-
„ finiri & deberent & poſſent. Ideò clamat Johannes in Apo-
„ calypſi, univerſæ Scripturæ epitome; *Beatus qui legit,*
„ *& beati qui audiunt verba prophetiæ hujus, & obſervant*
„ *quæ in eâ ſcripta ſunt.* *Apoc.* 1. 3.

„ CIV. *Dantur quoque interpretandi modi & media omni-*
„ *bus fidelibus recta ratione utentibus communia.* Secus ſcri-
„ ptura fruſtra acutè ingereretur filiis. *Deut.* 6. 7. *Eccleſ.*
„ 11. 12. 13. nec foret ſemen catholicum. 1 *Pet.* 1. 23. nec
„ Iac. c. 2. v. 2. *Heb.* 6. 12. 13. 14. Et Salomon catholicam
„ cognitionis clavem. *Luc.* 11. 52. non ſolum ſapientibus
„ & intelligentibus, ſed etiam fatuis ac pueris porrigit.
„ *Prov.* 1. 4. 5. Hinc Apoſtoli non tantum ad Timotheum
„ & Titum, ſed etiam ad Philemonem, Gajum, ac Matro-
„ nam ſcripſere: Et in Synodo Apoſtolicâ, quæ omnium
„ Chriſtianarum Synodorum perfectiſſima idea eſſe debebat,
„ non ſoli Apoſtoli, ſed presbyteri cum totâ eccleſiâ judica-
„ runt. Inter illos etiam generoſiores Theſſalonicenſes, qui
„ *Act.* 17. 11. 12. omnia, quotidie, juxta ſcripturas exa-
„ minabant, fœminæ fuere.

„ CV. *Media illa communia ſunt præparantia, guber-*
„ *nantia vel conſummantia:* quorum omnium *ſupremus ma-*
„ *giſter & promus condus eſt Spiritus ſanctus, officina Oratio,*
„ *gymnaſium Tentatio.* Quemadmodum autem media ſunt
„ adhibenda, ita oppoſita impedimenta removenda. *Deut.*
„ 29. 4. & 30. 6. *Ezech.* 35. 25. 26. 27.

„ CVI. *Spiritus*, inquam, *ſanctus eſt ſummus primuſque*
„ *Scripturæ Dictator, Doctor ac fidelium ductor.* 2. *Pet.* 1.
„ 21. *Exod.* 28. 3. & 31. 3. & 35. 30. *Num.* 11. 16. 17.
„ *Prov.* 1. 23. *Joh.* 16. 13. 1. *Cor.* 12. 4. 11. Nec quicquam

Digitized by Google

„ ſine ipſo ſalutariter cognoſci poteſt, at per ipſum omnia.
„ *Joh.* 3. 5. 1. *Cor.* 2. 10. & deinceps. Ipſe ſiquidem omnium
„ fidelium facultates purgat, vivificat, ſuſtentat ac conſum-
„ mat. 1. *Corinth.* 3. & 6. 19. & 2. *Cor.* 1. 21. *Apoc.* 1. 4.

„ CVII. *Media præparantia ſunt quæ interpretantem in*
„ *congruo ſtatu collocant, certaque requiſita in eo efficiunt*
„ *Prov.* 2. 1. & d.

„ *Congruus interpretantis ſtatus eſt religioſa, adeoque omni-*
„ *moda & omnigena, totius hominis ad ſacrarum literarum*
„ *ſtudium, applicatio.* nempe & *accurata mentis intentio,*
„ *efficax voluntatis ac affectuum.* 1. *Th.* 23. *Iſta meditare, in*
„ *iſtis eſto.* 1. *Tim.* 15. *Mane.* 2. *Tim.* 3. 14. *Legem Domini*
„ *inſpice, intuere, in illa ambula* &c. *Pſal.* 119. in quo
„ Pſalmo nullus humanarum facultatum actus omittitur quin
„ Scripturæ applicetur *Illa autem applicatio fiat ſemper &*
„ *ubique*, *Pſal.* 1. 1. 2.

„ CVIII. *Huic præparationi opponitur graviſſimum im-*
„ *pedimentum tum innata tum affectata incogitantia quâ homo*
„ *vel planè non, vel confuſe & obiter mentem Scripturæ*
„ *meditationi applicat:* qui pernicioſiſſimus morbus per cor
„ lapideum & clauſum, ejuſque remedium per cordis aper-
„ tionem in Scripturâ repræſentatur. *Ezech.* 36. 28. *Act.*
„ 16. 14. & *Luc.* 24. 45. Hujus incogitantiæ gradus &
„ fructus deſcribuntur. *Pſal.* 1. 1, 2, 3.

„ CIX. *Requiſita illa ſunt ratione facultatum cognoſcen-*
„ *tium, appetentium & exequentium. Ratione facultatum*
„ *cognoſcentium eſt prævia ſcientia, diligentia, & juſta æſti-*
„ *matio.*

„ CX. *Prævia ſcientia eſt frugalis rerum ſignorumque in*
„ *naturâ vitâque humanâ obviarum notitia. Phil.* 4. 8. Ad
„ *ſignorum notitiam pertinet cognitio linguarum ſanctarum,*
„ Hebrææ ſcil. & Græcæ; quarum ſumma utilitas patet ex
„ *Eſ.* 28. 9. 11. 1. *Cor.* 14. 21. 22. & 2. 13. 1. *Pet.* 4. 11.
„ Utraque, *rerum* puta & *verborum*, *notitia* diligenti ac ju-
„ dicioſâ collatione ex ipſiſmet ſacris literis ſufficienter hau-
„ riri

Digitized by Google

„riri poteſt. *Pſal.* 19. 8. & 119. 30. *Prov.* 1. 4. *Matt.* „11. 26. 1. *Cor.* 1. 26.

„Ignorantiam linguarum compenſat miniſterium verbi & „Scripturæ in vernaculas tranſlatio. *Eph.* 4. 10 1. *Cor.* 14. „quæ fundamentalia continet, quæque & ſcrutatione exa„minari, & à Spiritu ſancto in piorum conſcientiâ obſigna„ri poteſt. 1. *Joh.* 2. 20. 27.

„CXI. *Requiſita ratione facultatum appetentium ſunt* „*omnimoda & fervida ejus in Scripturam ſacram propenſio.* „*Prov.* 21. & deinceps. *Pſal.* 40. 9. *Jer.* 31. 33. *Heb.* 8. 10. „*Rom.* 6. 17. *Pſal.* 119. quâ homo ex toto corde, ex totâ „animâ, & ex omnibus viribus in id incumbit, ut veram „Scripturarum intelligentiam aſſequatur. ibid. v. 2, 5, 10. „*Eſ.* 58. 2.

„*Hac* complectitur omnes voluntatis vires ac motus, „omneſque ejus modos ac gradus ſeu affectus: nominatim „*ardens deſiderium*, *conſtantem amorem*, ac *ſummam oble*„*ctationem*: quæ omnia ſcitè repræſentat parabola Chriſti. „*Matt.* 13. 3. & deinceps.

„CXII. Ex prædictis requiſitis fluit *pia docilitas quâ ver*„*bum Dei humiliter recipimus*, *fideliter retinemus*, *feliciter*„*que recolimus ac ruminamus*. *Pſal.* 119. 11. 13. 15. & „deinceps. *Deut.* 6. 6. & deinceps. *Num.* 15. 37. & dein„ceps.

„CXIII. *Sequuntur requiſita quæ ex parte facultatum* „*exequentium ſunt neceſſaria.* Illa complectitur *vita ſancta*.

„*Vitæ ſanctitas eſt congrua ſtudioſi ſacrarum literarum di*„*ſpoſitio*, *quâ ſe totum divinæ voluntati ſibi in ſcripturâ pa*„*tefactæ conformare ſtudet.* *Lev.* 11. 44. & 19. 2. & 20. 7. „1. *Pet.* 1. 13. 14. 15. *Joh.* 7. 17. *Matt.* 7. 24. & dein„ceps. *Jac.* 1. 6. 7. 8. Hæc eſt beata illa meſſis quâ ſemen „fert conſentaneos fructus. Ea conſtat *fuga mali*, adeòque „pœnitentiâ, & *ſtudio boni*. *Pſal.* 34. 15. *Rom.* 12. 1.

„Itaque Scriptura tanquam *Regina & Dictatrix* debet „ſedere in arce ac throno animæ noſtræ, omnibuſque no-

„ſtris

Digitized by Google

„ ſtris ſenſibus, appetitibus ac motibus leges præſcribere ac „ dominari, ut nos quaſi penitus in ſe transformet. 1 *Joh.* „ 3. 9. cum 1 *Pet.* 1. 23. *Heb.* 4. 12. *Rom.* 2. 17. & 6. 17.

„ CXIV. *Hactenùs fuerunt media hominem ad Scripturæ* „ *interpretationem præparantia: ſequuntur eandem gubernan-* „ *tia: quæ recipiunt interpretationis Normam vel Formam*, „ ſeu Media & Modum. *Priora comprehendemus ſub Ana-* „ *logiâ fidei.*

„ CXV. *Analogia fidei* (nobis hic) *eſt perfecta rerum ac* „ *perſonarum ad interpretationem Scripturæ pertinentium pan-* „ *harmonia*, ſeu *univerſalis* reſponſus ac commenſus. Per- „ fectio ratione intellectus poſtulat *claritatem & certitudi-* „ *nem*, ratione voluntatis *bonitatem* & *ſanctitatem*, ratione „ potentiæ executivæ, *facilitatem* & *efficacitatem*. *Jac.* 3. 17. „ *Univerſalitas* poſtulat, ut ſemper, ubique & omnibus con- „ congruat ac ſufficiat, adeoquè omnimodò ſit proportio- „ nalis. Ejus partes poſſunt conſtitui tres: nimirum ὑπο- „ τύπωσις ὑγιαινόντων λόγων, μέτρον πίστεως, & μέτρον ἡλικίας „ τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ: *Hypotypoſis ſanorum ſermonum*, „ *Menſura fidei*, & *Menſura plenæ ſtaturæ Chriſti.*

„ CXVI. *Hypotypoſis ſanorum ſermonum eſt clariſſima* „ *& ſolidiſſima axiomatum doctrinæ ſalutiferæ ex univerſo* „ *ſacrarum literarum ſyſtemate collectorum catena.* 2 *Timoth.* „ 1. 13. *Rom.* 2. 17. & 6. 17. Hæc eſt ipſiſſimum fidei ver- „ bique *ſemen.* 1 *Pet.* 1. 20, 21. & deinceps. totius ædificii „ *fundamentum. Eph.* 2. 20. 1 *Cor.* 3. 13. Ejus *compendium* „ catecheſis: *radix* tria priora capita Geneſeos, imprimis „ fons promiſſionum. *Gen.* 3. 14. & deinceps. undè ex his „ capitibus omnes fidei articuli, ad ſalutem neceſſarii, firmâ „ conſequentia deduci poſſunt. *Pſal.* 40. 8. *Heb.* 10. 7.

„ CXVII. *Hæc biblica catena poteſt commodè dividi in* „ *æneam*, *argenteam* & *auream. Ænea eſt prima ex ſolo* „ *Moſe conſtata.* Moſes enim eſt univerſæ Scripturæ *fons* & „ *Oceanus. Deut.* 46. & 18. 22. & 34. 10. cum *Exod.* 33. „ & *Num.* 12. *Eſ.* 8. 20. *Luc.* 16. 29, 31. & 24. 27. 44.

Joh.

Digitized by Google

,, *Joh.* 5. 46, 47. *Act.* 26. 23. quod nec Chriſtus, nec Paulus
,, affirmare potuiſſet niſi univerſum Euangelium in Pentateu-
,, cho contineretur, illincque firmiter deduci poſſet. *Mal.* 4. 4.

,, CXVIII. *Argentea eſt ſecunda ex Prophetis*, ſeu *cæ-*
,, *teris V. T. libris, conflata. Luc.* 1. 70, 71. *Act.* 3. 24.
,, Nullus ſiquidem eſt Propheta, qui non agat de Chriſto.

,, CXIX. *Tertia eſt aurea ex N. T. libris cum præceden-*
,, *tibus accuratiſſimè collatis concinnata*. Repræſentatur *Exod.*
,, 26. 32. & 36. 34. Nam quatuor Euangeliſtæ ſunt N. T.
,, *ingreſſus* & *janua*. Hæc triplex *catena* nihil ſit aliud, quàm
,, viva Jeſu Chriſti crucifixi *pictura*. *Exod.* 25. 22. *Num.*
,, 7. 89. 2 *Cor.* 3. Nam Jeſus Chriſtus Dominus, eſt uni-
,, verſi tam V. quam N. T. *Spiritus* & *anima*. 1 *Cor.* 2. 1.
,, *Gal.* 3. 1. & deinceps. & 6. 16. *Col.* 2. 2. Structura hæc
,, ſit: *Fiat tabula articulorum fundamentalium, ea deduca-*
,, *tur per Pentateuchum, ſeliganturque dicta de iis evidentiſſi-*
,, *ma: his ſuccenturientur ſynonyma ex Prophetis, tandem-*
,, *que ex N. T.*

,, CXX. *Menſura fidei eſt clarum & vivum conſcientiæ*
,, *à Spiritu Sancto illuminatæ accurateque examinatæ teſti-*
,, *monium. Act.* 2. 16. & deinceps. *Rom.* 8. 16. & 12. 3.
,, 1 *Cor.* 2. 15. 2 *Cor.* 1. 12. & 13. 5. *Heb.* 8. 10. 1 *Joh.*
,, 2. 27. 1 *Tim.* 3. 9. Hæc fidei menſura variat quidem,
,, ſed ſingulis fidelibus ſua ſufficit. *Matt.* 25. 7, 15, 29. &
,, 13. 12. eſtque internus ille *phoſphorus*. 2 *Pet.* 1. 19. &
,, univerſale teſtimonium ratione perſonarum, rerum &
,, modi.

,, CXXI. *Menſura plenæ ſtaturæ Chriſti* (hic) *eſt ſapiens*
,, *ac prudens ſtatûs eccleſiæ repræſentatio:* ſeu *accurata æco-*
,, *nomiæ temporum*, inprimis præſentium, *idea*. *Eph.* 1. 10.
,, & 4. 12. & deinceps. 1 *Cor.* 12. 8. & deinceps. 1 *Tim.*
,, 3. 16. 1 *Cor.* 4. 4. Hoc vult Paulus. *Rom.* 12. 3. ἀλλὰ
,, φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν: *ſapere ad ſobrietatem eſt* ita ſapere,
,, ut, cum ſingula tùm univerſa membra ſana & ſalva, ſarta
,, tecta maneant. Hæc *idea* concinnanda eſt partim ex ſacris

„literis, præſertim hiſtoricis & propheticis, partim ex quo-
„tidianâ experientiâ, & prudenti propheticarum periodo-
„rum ad noſtra tempora ἐφαρμογῇ applicatione & accom-
„modatione. Quemadmodum autem periodus N. T. ſeptem
„ſigillis. *Apoc.* 10. 7. ſic V. T. ſeptem ſeculis ſeu interval-
„lis mirificè inter ſe proportionalibus abſolvitur. Nam *re-*
„*gnum cœlorum* eſt inſtar vivifici ſeminis aut taleæ omnes
„ſuas eſſentiales partes ſemper, ſed nunc minùs nunc magis
„evolutas ac explicatas habentis. *Heb.* 1. 1. *Pſ.* 145. 13.
„*Matt.* 13. 31, 32. *Eph.* 3. 5.

„CXXII. *Univerſum V. T. eſt typicum, adeoque propheti-*
„*cum.* Si Adam, Noach, Abraham, Iſaac, Jacob, Jo-
„ſeph, Moſes, Joſua, Simſon, David, Salomon, Zo-
„robabel &c. omnes populi Iſraëlitici Sacerdotes & Reges
„fuerunt typi, utique ipſorum quoque ſtatus & res geſtæ.
„Hæc obſervatio magnum habet uſum in V. T. ejuſque
„ad N. T. applicatione & citatione. *Idem ſtatuendum eſt*
„*de ceremoniis V. T. univerſis.*

„CXXIII. *Omnia miracula Chriſti ſunt prophetica*: hoc
„eſt; Miraculorum Chriſti ordo & uſus repræſentat ſpiritualia
„Chriſti erga eccleſiam ipſiuſque membra beneficia. *Matt.*
„8. 16, 17. cum *Eſai.* 4. & 9. 1. & deinceps. *Marc.* 16.
„17, 18. Hinc primum miraculum edidit in nuptiis. *Joh.*
„2. 1-12. ut nuptias ſuas cum eccleſia indicaret. Hæc ob-
„ſervatio habet inſignem uſum in explicandis Prophetis,
„conciliandis Euangeliſtis, ipſorumque panharmoniâ oſten-
„dendâ. Hactenus ille poſtrema ulteriore examine digna ſunt.

CXXIV. Legendam igitur ab omnibus & in linguas verna-
culas vertendam eſſe neceſſe non eſt ut probemus. Et tan-
tum non pudet jam dudum Pontificios errorum quos hac in
parte ita palam olim docuerunt.

CXXV. Nec homo illiteratus, non niſi vernaculo ſermo-
ne Scripturam Sacram legens, cogitur perpetuo eſſe ſollicitus,
utrum vero fundamento fides ſua innitatur nec ne. Non
quidem diffiteor literati hominis, & linguas originales, ut
vo-

Digitized by Google

vocantur, callentis, ſortem, vel eo, longe feliciorem eſſe, quod ex ipſo fonte dulcius bibat & in multis majorem nanciſci πληροφορίαν poſſit. Quapropter omnibus impenſè commendandum linguarum illarum ſtudium. Et cum turpis lucelli cauſa ad Garamantas & Indos homines Chriſti nomen profeſſi liberos noſtros ablegemus; & quia ſic ferunt mores ſeculi, Gallicæ atque aliarum linguarum cognitionem a teneris unguiculis iiſdem non ſine ingenti labore inculcamus, qua ratione, quod linguæ, quibus nos ipſe Deus alloqui dignatus eſt, ita neglectim habeantur, excuſare coram Deo poſſimus, ego profecto, non video. Et non poſſum non mihi perſuadere, quin quando Deus futurus erit unus & nomen ejus unum per univerſam terram, eæ quoque linguæ futuræ ſint longe communiores & familiariores. Quam turpe Chriſtianis eſt tam a Judæis quam a Muhammedanis hac in parte pudore ſuffundi! Et horret animus, Theologos, quin inter eos qui & Coryphæi audiunt, fuiſſe, qui ita parum utilitatis in hoc ſtudio viderunt, ut, poſt Buxtorfios, Hottingerum & ſimiles, ac ita probe in vernaculas transfuſam Sacram Scripturam, de eo non ſit magnopere laborandum.

CXXVI. Non tamen tantam cognitionis harum linguarum ſtatuimus neceſſitatem, ut abſque ea homini illiterato fidei ſuæ ratio ac fundamentum conſtare non poſſit: minimè. Vix datur ulla verſio, quæ verſionis nomine digna cenſeatur, ex qua non ſumma rerum credendarum ex minus puro licet fonte, derivari queant, cujus veritas omnino ſeſe prodit conſcientiæ hominis per Dei Spiritum illuminati, quin & ad ἀναπολογησίαν uniuscujuſque, qui probe rem expenderit. Characteres ſane divinitatis quas §. LXIV. & ſeq. propoſuimus hac fidei ſumma manifeſte deprehendentur. Quæ & aliis argumentis deinceps allatis demonſtrari poterit.

CXXVII. In hujus fundamenti poſitione, qui ad Scripturæ ſcopum, qui eſt peccatorem ad æternam ſalutem erudire, ad eam quam ipſa conſcientia ſuggerit θεοπρέπειαν & reliquas notiones inſitas, ſignatè Dei infinitam perfectionem,

Digitized by Google

independentiam, libertatem, ſuique dependentiam totalem accuratè & prout fas eſt attenderit, næ is haud abſque fructu rerum credendarum ideam aliquam ſibi feliciter formabit.

CXXVIII. Qua jam ex Scripturis, ut ut non accuratiſſimè in illam qua utitur linguam transfuſis, bene formata, normam habet, ad quam cœtera, quæ ulterius ſe prodere ſcrutanti videbuntur, exigat, judiciumque ſuum tanquam ad amuſſim formet. Imo ea, quorum jam conſtat divinitas, quotidie ruminans ipſam rerum divinarum genium magis magisque perſpectum habebit, & ſic vel de ipſarum verſionum minori aut majori accuratione ipſi judicare dabitur. Indies cirtices ſtudio gnaviter incumbentes eo proficere videmus, ut, ex ſedula verſionis lectione, ſæpiſſime recte de eo quod in Græco aut alio idiomate, quo conſcripti auctores erant, extabat, cum tamen aut penitus deperditæ eſſent aut ſaltem ipſis nunquam viſa ulla eo idiomate ſcripta exemplaria, judicare poſſint. Idem & hic obtinet.

CXXIX. Imo & in verſionum accuratiſſimarum uſu aliter verſandum non eſt. Sit licet verſio noſtra Belgica præ plurimis laudanda, non tamen ullum humanum de ea teſtimonium ad fidem de illius integritate faciendam, hominiſque de ea convincendam conſcientiam ſufficit. Dicta igitur methodo in timore Domini inſtituendum eſt, iis, qui a Deo eſſe doctos, quam humanæ auctoritati inniti tatius eſſe prudenter exiſtimant.

CXXX. Neque enim ulla verſio ita accurata eſſe poteſt, cui non eccleſiæ profectus, linguarum, tot jam heroibus præeuntibus, minus impeditum ſtudium, vaticiniorum implementa, expectandumque jam dudum ex divina pollicitatione, noſtris præprimis temporibus, cognitionis incrementum, & quotidiana piorum experimenta multum addere decoris ac perfectionis poſſit. Neque homines nobis divinitus dati ſunt de quibus Deus dixerit, ut in eorum laboribus acquieſcamus: ac ſi poſt eos nihil amplius in hoc genere tentandum foret. Ut quemadmodum in cœteris, ſic & hac in parte profectum

Digitized by Google

ctum non optare deſidioſum ſit & Laodicenorum genuina indoles.

CXXXI. Quin licet vel accuratiſſima ſit Scripturæ verſio talia tamen quærenda ſunt iſtius ἀκριβείας documenta, quæ fidem faciant divinam, adeoque conſcientiæ ſatisfaciant. Hic, ſi ullibi, cavendum, ne Papiſmus nobis tacitè ſubrepat: aut arenoſo fundamento inædificemur.

CXXXII. Sacra Scriptura autem, quoniam ab eodem fonte cum eâ, quæ homini indita eſt atque increata cognitio, promanat, nihil procul dubio dictat, quod inſitis principiis adverſetur; imò, quod, rectè perceptum, non exactiſſimè cum iis eorumque dictamine conveniat, cuique adeo conſcientia non neceſſariò adſtipuletur, modo veritatem, prout in S. S. extat, rectè perceperit eamque non reſpuat. Sic Biſterfeldius in egregio Tractatu quem edidit de S. Scripturæ Eminentia p. I. *Cumque idem ſit naturæ, qui gratiæ auctor, Deus, principia recta ratione ac experientia nixa non tollit, ſed præſupponit; idque cum in contemplatione veri Rom.* I. 19. *tum in actione & effectione boni Rom.* II. 15. & XII. 2. 2 *Cor.* XI. 15. *unde abſurde inter lumen naturæ & gratiæ fingitur diſſenſio: neque Col.* II. 8. *vere ſed falſo dicta Philoſophia, nec* 2 *Cor.* X. 5. *ſanæ rectæque, ſed inſanæ & malitioſæ rationis intelliguntur diſcurſus: vereque inſaniunt qui ſummum rectæ rationis in Theologia uſum rident. Phil.* IV, 8. *Non contradicit ſanæ rationi.*

CXXXIII. Graviſſimè nihilominus errant, qui Theologia naturali contenti, eam ad vitam æternam ſufficere ſtatuunt. Multa eaque egregia ex diligenti τοῦ γνωστοῦ illius quod de Deo in omnibus hominibus φανερὸν *manifeſtum eſt*, ita ut deprehendi poſſit, quin non lateat, niſi volentibus. 2 Petr. I. II. 5. multa inquam ex illius τοῦ γνωστοῦ diligenti ut & ex τῶν ποιημάτων *rerum factarum* ſedula contemplatione elici quidem poſſunt ſcitu digniſſima atque utiliſſima. Non ſolum exiſtere Deum, verum & ita perfectum eſſe, atque infinitum, ut §. IX. notavimus, non tantum, verum & de viis Dei multa ex jam laudata tam internè quam externè facta revelatione communi *Theologia Naturalis non ſufficit ad ſalutem.*

ac naturali, ſciri poteſt. Imo ex arbitrio Dei & ad gloriam ejus cuncta eſſe & fieri debere eadem inculcat. Et quoniam rectæ ſunt & juſtæ viæ Domini & peccatoribus bene eſſe & tam ſtupendo cuncta ordine regi videt, hinc penes Deum arcanos actionum ſuarum fines eſſe, eique omnium juſtiſſimam molliminum rationem conſtare facile conjicit, quam latere ſibi probe perſentiſcit. Ut ſuſpicio fortè alicujus ulterioris ſuboriri revelationis quidem poſſe videatur atque excitari deſiderium; verum hic terminus eſt & ultimum quo homo Philoſophus, accuratè licet ideam Dei innatam contemplatus, vel ſagaciter τὰ ποιήματα ruſpatus, pertingat.

CXXXIV. Notari autem debet & νόησιν, qualis requiritur, defuiſſe, & præjudiciis laboraſſe, & cupiditatibus omnis generis obnoxios fuiſſe gentiles, adeoque nunquam eo perveniſſe, quo alioquin, ſi rem ipſam conſideremus, pervenire potuiſſe videntur.

CXXXV. Et ſi vel eo profeciſſent, multa tamen ignoraſſent quorum ſine cognitione ad gloriam Dei peccator eſſe non poteſt. Sane niſi & gratiæ conſilium noverit, fundamentum non habet cui fide innitatur. Ex dictis in Ichnographia liquida hæc ſunt. Et gratiæ conſilium abſque trinitatis, gentibus pariter incognitæ, agnitione, convenienter Deo concipi haud poſſe ibidem probavimus.

CXXXVI. Nec inter gentes unquam fuit qui Deum recte amaverit: quin ipſæ earum virtutes ex concupiſcentia potius & inordinato ſui ipſius quam Dei amore omnes prodierunt. Quod argumentum accurate ut ſolet & ſolide in noviſſime edito tractatu exequitur Wittichius.

CXXXVII. Hinc per conſcientiæ accuſationem quotquot ſe ipſos probe examinarunt haud ſiti ſunt eſſe ſecuri. Unde animi in extremis fluctationes, &, omnis mater ſuperſtitionis falſique cultus fons, ingens & perennis metus. Qui ita vel optimæ notæ gentilibus adhæſit, ut in ultimo vitæ articulo, Alcibiadis amores non memoro, omnium alias eminentiſſimus Æſculapio Gallum offerri voluerit. Egregium ſanè pietatis docu-

Digitized by Google

documentum & inſtantis argumentum beatitatis. Hinc ridicula impuri cultus ratio: qua non tantum *ſtoliditate vel monſtroſitate ſimulachrorum*, verum *& Sacrificiis homicidiorum, & coronatione virilium pudendorum*, & *mercede ſtuprorum*, & *ſectione membrorum*, & *abſciſſione genitalium*, & *conſecratione mollium*, & *feſtis impurorum obſcœnorumque ludorum*, ſeſe venerari Deum deoſque contenderunt: teſte Auguſtino de C. D. Libr: VII. Cap. 26. Nec minus abſurde de amore proximi quam divino cultu gentes ſomniarunt: furari, virgines dotem corpore mereri, maſculæ libidines, debitorem qui ſolvendo non eſt dilacerare, a marito uxorem quæ vinum olcat occidere, ſeſe in mariti rogum præcipitem dare, novam nuptam a ſacerdotibus devirginari, legibus permiſſa, quin virtutis encomio decorata fuere gentibus, iis etiam quas imitandas ut prudentiores exiſtimabant. Confer Vogelſang. Exercit. p. 22. Boecler ad Grot. de J. B. ac P. L. II. Cap. V.

CXXXVIII. Tandem ex Scriptura abunde patet id quod dicimus. Vita æterna ſane in cognitione Patris quidem unius illius veri Dei, aſt non minus in cognitione, illius quem miſit Pater Chriſti Jeſu ſita eſſe dicitur Joh: XVII. 3. Neque ita emphaticè redemtor, pax noſtra, ſalus & omnia diceretur, ſi præter & extra ipſum ſalus obtineri poſſet. Imo vero nihil eorum quæ ad vitam æternam requiruntur præter & extra Chriſtum reperiri aut haberi poteſt. Non ſapientia; non juſtitia; non ſanctificatio; non redemtio 1 Cor: 1. 30. non renovatio; non imago Dei; non reſurrectio ad gloriam. Jam ab initio, inimico ſerpentis ſemini & perituro, mulieris ſemen opponitur, illi autem ſoli per contritum cujuſdam calcaneum ſalus, huic totalis contritio & interitus Gen: III. 15. Hinc jam ab initio ut rejectaneos, quippe ab illius promiſſionis fide deficientes, filios hominum reperimus Gen: VI. 2 &, oblivioni tradita promiſſione, atque obſoleta jam illius fide, tolerare diutius mundum noluit Deus. Inſtauratum denuo fœdus & iridis ſigno confirmatum, poſt diluvium, haud meliore ſucceſſu. Idololatriæ flagitiorumque omnis generis colluvie

obrutum

Digitized by Google

obrutum antiquum obtinet humanum genus. Deinceps poſt avocatum ab idolorum cultu Abrahamum, menſura peccatorum a Canaanitidis repleta, Iſraele ſeminario eccleſiæ facto aliæ gentes fuere *abſque Chriſto, alienatæ a republica Iſrael, & hoſpites teſtamentorum promiſſionis, ſpem non habentes, abſque Deo in mundo* Eph: II.12. meræ *tenebræ* Eph: II.1-3. imo *ſub poteſtate tenebrarum* Col: I. 13. 1 Petr: II.9. Peculiari proinde gratiæ vindicatur quicquid Iſraeli obtigit præ iis quæ gentibus conceſſa ſunt Act: XIV.16. Pſ: CXLVII.19,20. illud ad ſalutem hoc ad ἀναπολογησίαν. Rom: I. 20. Et quid obſecro de gentibus Apoſtolus? qui ſcrutati, qui τὰ ποιήματα contemplati ſunt & in Dei cognitione jam provectiores videbantur, *Deum cognoſcentes non glorificarunt* tamen *aut gratias egerunt: quin dicentes* ſe *eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt* Rom: I. 21, 22. & *Deum ignoraſſe* dicuntur Act: XVII. 23, 30.

CXXXIX. Non aliam legem cordibus inſcriptam habuere, quam quæ operum vocatur, dicitque, *homo qui fecerit ea, vivet in iis* Rom: X. 5. quæque adeo non niſi condemnare hominem, peccatum autem propter ἀδύνατον τοῦ νόμου condemnare nullo modo poterat, quin erat *lex peccati & mortis* Rom: VIII. 2. adeoque omnem peccatori adimens ſalutis ſpem.

CXL. Nec contrarium ulla ratione evinci poteſt. Nolim miſericordiæ Dei terminos figere, at nec juſtitiæ: quarum utriuſque ratio cum nobis ex ſcriptura conſtet, non decet nos ex humano affectu vias Dei metiri, *quæ non ſunt ut noſtræ* Jeſ: LV. 8. Nec nos ſollicitos reddit eorum ſtatus qui *fecere quod in ſe erat*: ut, poſt Pelagianos & Scholaſticos Arminius loqui amat; præterquam enim quod non credamus quemquam gentilium feciſſe quod in ipſo erat; id eſt, quod, ſi ſtatum & ideam innatam & ποιημάτων indolem reſpicias facere potuiſſent, confer ſupra §. præter id, inquam, fecerint quod in ſe, peccarunt tamen indies, & ad majora vel ex conſcientiæ dictamine obligabantur, & quid

Digitized by Google

quid de peccatis jam perpetratis? Unde, cum nulla ipſis quæ menti ſatisfacere poſſet expiationis conſtaret ratio, bona conſcientia frui nunquam potuere: excuſaverit ea & *abſolverit ipſos* in his aut illis, & *accuſavit* tamen & condemnavit Rom: 1. 20. peccaverint ſine lege, ita exerte ut Iſraelitis, data, non ſufficit; palliatio quidem ea non abſolutio a crimine eſt: *abſque lege condemnabuntur* Rom: 11. 12. Ad ea quæ de Jobo, de Cornelio, de aliis dicuntur, quorum virtutes quidem ſplendidis peccatis accenſeri nequeunt, facilis eſt reſponſio: promiſſionis ille gnarus fuit, ut ex Cap. XIX. 25, 26, 27. & aliis abunde liquet; hic aut proſelytus fuit, aut religionis Judæorum cognitionem & ſic fidem ac ſpem jam animo conceperat. Inſcios & Chriſtum ignorantes ſalutis participes, ut Chriſtianorum infantes, factos eſſe, abſque ulla ratione de ullis gentibus, & contra Scripturam de adultis fingitur: nec de Chriſtianorum infantibus, quibus vitam concedere longiorem potuiſſet, ſi voluiſſet Deus, meliora nobis polliceri auderemus, niſi tot & tam iteratæ promiſſiones Dei, alibi citandæ, id flagitarent. De nonnullorum Patrum, Juſtini, Clementis Alexandrini, Chryſoſtomi, Cyrilli Alexandrini, Auguſtini, Jobii apud Photium & Euthymii Zigabeni imprudenter hac de re dictis non multum laboramus, cum aut meliori ſenſu accipi poſſint, aut rejici, Scripturâ contrarium aſſerente, omnino debeant.

CXLI. Hiſce jam ita prælibatis, demonſtrato ac recepto Sacræ Scripturæ canone, jacto illo fundamento, ad eruendam τῆς κυρίας διδαχὴν me accingam.

CXLII. Duas autem hypotheſes ſupponam, quarum veritatem, cunctorum, quæ in SS. conſpiciuntur, φαινομένων, ſic loquar, explicatio, firmiter demonſtrabit: ſuppono inquam, Deum, ens illud primum atque independens, omnique perfectione perfectiſſimè gaudens, omniſufficiens, adeoque immenſâ ſapientiâ, ſanctitate, atque potentiâ, præditum, eſſe Patrem Filium ac Spiritum Sanctum, hoc eſt, in Deo eſſe, qui mitti poſſit, & homo fieri, ſeu humanam naturam ſibi habitaculum atque inſtrumentum, quo nonnulla exequatur, aptare, inque

Ad explicandam Scripturam adhibentur binæ hypotheſes. 1. Deum eſſe trinum.

ea pati, Deoque Patri, à quo mittatur, obedire uſque ad mortem, eumque in modum exiſtere juſtitiæ divinæ exemplar, fierique ἔνδειξιν ita glorioſam, ut Deus, peccatores, iſti ſponſori datos, juſtitia omni ac ſanctitate incolumi, juſtificare queat: liberatos illos atque redemtos peccatores, illi filio peculium dare, atque poſſeſſionem ſanguine acquiſitam, quos ſibi, adeoque & Patri ſuo, jungat per Sp. qui & Patris cum ſit & Filii, ab utroque mitti poſſit, hominesque jam propoſitæ veritatis certos reddere, perſuaſoſque, eòque, mira vi adigere, ut illam veritatem agnoſcentes, ultrò ſeſe iſti Sp. committant, & ad communionem cum P. in F. per Sp. S. adducantur; videantque, experiantur, ament, glorificent triunum illum Deum, iſthoc modo, ſeſe ac perfectiones ſuas omnes & ſingulas glorioſiſſimè manifeſtantem, fruendaſque ac laudandas æternùm creaturæ rationali exhibentem.

2. Condidiſſe conſilium gratiæ.

CXLIII. Talis ſi ſit Deus, eumque in modum agat, neceſſe eſt, ut conſilium penes eum ſit, ac decretum, ex quo & juxta quod ita agat. Cum enim mens ſit, intellectu atque voluntate prædita, ex conſilio agit, quod ſapienter, ac prudenter cepit. Non volenti quoque ipſi, quoniam independens eſt, omniaque ab ipſo ſunt ac dependent, nihil accidere poteſt. Sequitur igitur, voluiſſe ea, ac decreviſſe Deum facere, quæ facta ſunt. Huic decreto ſi quis aut æternitatem, aut libertatem, aut independentiam, aut immutabilitatem atque conſtantiam, cuncta denique determinantem determinationem negaverit, næ ille imperfectum menti divinæ actum affinxerit, adeoque Deum imperfectum, id eſt, non-Deum conceperit.

Hujus ſcopus Dei gloria.

CXLIV. Hujus conſilii ſcopus alius eſſe non potuit, quam ipſius Dei gloria. Hoc eſt, ſui, perfectionumque ſuarum, illuſtris, Deumque decens, manifeſtatio, æternum agnoſcenda, amanda, digneque, omni mentis actu, corporiſque motu, à creatura rationali habenda atque celebranda.

CXLV. Om-

Digitized by Google

CXLV. Omnia quoque cum à Deô ſint & ad Deum, ſequitur, ſi maximè ex iſto conſilio ſeſe glorificare lubeat ac propoſitum ſit, fas eſſe, ut omnia ſic fiant, tali modo ſe habeant, eoque dirigantur ordine, quo commodiſſimè iſti ſcopo inſervire eoque tendere poſſunt.

CXLVI. Sapientiam quoque ſummam decet, mirando nexu res omnes ita concatenare, ut ad finem, operanti unicè dignum, decenterque ac firmiter propoſitum, omnia & ſingula, ſuo quæque modo, placidè fluant.

CXLVII. Verborum ſeu dictorum alius, ſapienter operanti, finis eſſe non poteſt, quam ille, ad quem omni molimine, cuncta quæ efficit, flectere ac dirigere propoſuit.

CXLVIII. Hinc nec verba Dei nec opera ejus, vero ac ſapienti in nexu, adeoque, prout optandum eſt, altum ſatis ac ſapienter prudenterque perſpicimus ac contemplamur, niſi ea, ut iſtum in finem tendentia, ſeu illum revelantia, adeoque, jam laudato conſilio, certo nexu ſubſervientia, conſideremus. Recte nobis omnibus factis Dei dictiſque ſub *viæ*, ejuſque revelationis notione, obverſantibus: *via* nimirum, quâ cuncta eant, aut ire narrentur, ad finem, divino numini propoſitum ac decretum.

CXLIX. Quicquid de Deo, de nominibus, de decretis, de cunctis operibus Dei dici aut diſci poteſt, huc omne recidat neceſſe eſt, ut in omni factorum dictorumque Dei contemplatione, ſemper hujus conſilii cogitationem merito menti ſimus objecturi & in vividiſſima reminiſcentia ſervaturi.

CL. Quin imo multas rixas, nunquam aliàs deſituras, ſopitum iri omnino putamus, ubi eâ imbuti ſententiâ, cuncta quæ fecit, dixitque Deus, facitque indies, facietque, ſeu ea futura prædixerit, ſeu non, iſthoc in nexu, inque ea, quam, ſuo quæque loco, ad iſtum Dei glorioſiſſimum finem relationem habent, ſapienter unà conſiderare docti erimus.

CLI. Hypotheſes illas a me ſupponi nemini abſurdum videatur, cum pro veris theſibus haberi nolim, niſi poſtquam evicero quod §. CXLII. dixi, omnia ſcripturæ phænomena haſce

Digitized by Google

prodere & ut emphatice explicentur & quemadmodum Deo convenit concipiantur, omnino earum poſitionem atque adſertionem requirere.

Hæ hypotheſes. CLII. Præterea Hypotheſes, quas §. CXLII—CXLIX. propoſuimus, ſi probè ad inſitæ veritatis normam atque amuſſim examinentur, tales eſſe apparebunt.

1. Nihil abſurdi. 1. Ut nulla abſurditas, nulla veritatis à natura cognitæ abnegatio, adeoque nulla impoſſibilitas, aut contradictio in iis reperiri, multo minus ſolida ratione monſtrari poſſit. Quod ex clara, eorum omnium, quæ carnalis ſapientia nobis oggerere ſatagit, ſolutione, abundè conſtare poſſet, ſi id jam ageretur.

2. Imo multa continent quæ ipſa probat ratio. 2. Imo vero multa complectuntur, quibus ipſa ſana adſtipulatur ratio, quæque ultro amplectitur atque approbat. Etenim omnia, ipſumque adeo hominem, unicè ad Deum eſſe; Deum de omnibus ita ſtatuere, prout ad ſui gloriam viſum fuerit; quis non æquum ac juſtum dixerit? Et, ſi quis ambigat: Dei primitas, ἐξοχὴ, ſupereminentia, convictum dabunt. Nihil ſanè juſtum magis excogitari poteſt, quam, ad eum eſſe, ex quo & per quem ſunt omnia. Modo autem, Deum decente, hoc eſt, nullam ejus perfectionem negante, quin omnes quam maximè manifeſtante, omnia ut ad eum finem dirigi, ſic & de iis ita dirigendis conſilium initum eſſe, quis minus æquum vel per ſomnium cogitare poſſit? Decentiorem autem, eo, quem propoſuimus, quicquid ſit de Dei omnifufficientia, cui nullos terminos figit prudens meditatio, decentiorem inquam, tam capiendi quam exequendi conſilij modum, nos ſaltem nec excogitare nec mente concipere aut aſſequi poſſumus: nec ab alijs unquam conceptum eſſe aut propoſitum, certi ſumus.

3. Secus quam omnis alia methodus. 3. Omnis alius actionum divinarum nexus ac modus millenis premitur abſurditatibus.

4. Confirmantur pro S.S. divinitate dicta. 4. Denique de hoc accipiendi decreta Dei divinaque molimina connectendi modo ac methodo, ſigillatim dici poſſunt, quæ §. VI. revelationis divinæ notas & κριτήρια eſſe debere, ipſa nos ratio edocuit.

CLIII. Quæ

Digitized by Google

CLIII. Quæ ſi quis rite hic repetat & attento conſideret animo, ultro ſeſe hypotheſeon noſtrarum veritatem, atque ſponte ſua, prodere, non poterit inficiari.

CLIV. Ordo igitur & inſtituti noſtri ratio nunc exigit, ut dicta Dei, factaque omnia, in ſummam & compendium aliquot redacta, quantum pote, accurate contemplemur; ſciſcitantes atque expiſcantes, utrum ea univerſa ac ſingula in maxima emphaſi & ſumma cum ſapientiæ, aliarumque virtutum divinarum, demonſtratione; uno verbo, verè prout Deum decet, nobis ſint obverſatura, ſi, juxta hypotheſes datas, explicentur ac concipiantur.

CLV. Quod ubi ita probaverimus, ut ad omnem conſcientiam fieri manifeſtum poſſit; hypotheſin illam veram & certam, quin univerſæ Theologiæ quaſi baſin & medullam: adeoque religionem noſtram Reformatam penitus divinam, atque ab omnibus amplectendam eſſe, concludere in proclivi erit.

CLVI. Ita autem id nos per Dei gratiam præſtituros confidimus in Domino, ut unuſquiſque, qui dicenda in timore Dei recte examinaverit, ultro huic veritati ſit adſtipulaturus: nimirum verba Dei ſic ſumta & opera Dei ſic conſiderata, quam maximè Deum referre ejuſque gloriam patefacere modo glorioſiſſimo. Quin, ſine illius detrimento & aliqua obſcuratione, aliter concipi & menti noſtræ exhiberi atque obverſari haud poſſe. Quo argumento, ad veritatis, quam profitemur, demonſtrationem, majus, nemo jure à nobis exegerit.

CLVII. Ne autem, poſt exhibitam longa ſerie revelatæ veritatis integram ſummam, omnia ad iſtum ſcopum referre cumque fine illo ſummo connectere meditanti, nimis arduum evadat, haud abs re fore judicavimus, in ſingulis ſtrictim ac breviter oſtendere, quemadmodum ea, ſeu dicta ſeu facta, eum in finem tendant, illamque enarrent, firmentque veritatem, quam, hypotheſeos inſtar, §. CXLII—CXLIX. propoſuimus.

Digitized by Google

CLVIII. Non etiam ad prolixam omnium revelatorum explicationem ſeſe jam diffundet noſtra tractatio, videri poſſunt præprimis Enchiridion Auguſtini ad Laurentium, Calvini Inſtitutio, Cocceji Summa Theologiæ, Burmanni Synopſis, aut alia iſtius generis ſcripta. Veritate in ſingulis breviter propoſita, id præſertim operam dabimus, ut pateat, omnia ſupponere & probare ea quæ in hypotheſi noſtra propoſuimus & ex ea §. ſeq. elicuimus.

CLIX. Atque ea plana nobis ad veram ἐπίγνωσιν *cognitionem* non ſolum, ſed & σοφίαν *ſapientiam* & compendioſa via videtur: quam in timore domini calcare, nec non intrepido animo atque indefeſſo labore, aliis, pro modulo præire lubet. Gloriam dantes ei, qui ſeſe magis magiſque nobis conſpiciendum præbebit. Donec ad conſummatam ſapientiam conſummatè profecti, tandem glorificemus illud numen, quod, per tot rerum ſapientiſſimè concatenatarum nexus, omnia aliquando eum in ſtatum rediget, quo perfectiſſime referent factorem ſuum: Deuſque admirabilis exiſtet in omnibus ſanctis, eritque in æternum omnia in omnibus. Quando palam fiet, omnia, ut ex Deo, ſic, juxta ſapientiſſimum voluntatis conſilium, jam penitus ad Deum eſſe. Quod Deo, angelis, beatiſque peccatoribus æternum præſtabit Sabbatum, ad quod anhelamus & feſtinamus, quotquot apparitionem Domini Jeſu diligimus.

CLX. Nonnulli eorum, qui, curata methodo, divina revelata in ſummam redegerunt, primo de nominibus, tum de perfectionibus ſeu virtutibus; tandem de operibus Dei non inconcinnè agunt. Quæ omnia & ſingula bene perpenſa, Deum nobis exhibebunt perfectiſſimum & triunum, quique tale, quale in hypotheſi ſuppoſuimus, ſeu ex ea primò elicuimus, conſilium, ab æterno fecerit; & in tempore exequatur, adeo ut, ſi voluerit ſe ut triunum ac iſtiuſmodi conſilium molitum revelare, aliter egiſſe pia mens optare haud poſſit. Quod in omnibus erit demonſtrandum.

Theolo- CLXI. Revelata omnia ſimul ſumta & ordine debito

ac

Digitized by Google

ac ſcientifico concinnata ea doctrina ſunt, quam, ad exemplum veterum, *Theologicam* merito appellamus. *gice quid ſit.*

CLXII. Hanc rite cognoſcere & amare facit Theologum, tanto provectiorem, quanto magis in illius doctrinæ perceptione atque amore profecerit.

CLXIII. Hæc cognitio Theologi, Theologia dicitur. *Qui vocetur in S. S.* Et *γνῶσις cognitio*, vocatur, ſignate *γνῶσις σωτηρίας ſcientia ſalutis* Luc: I. 77. cui merito *ὑπερέχον excellentia* tribuitur Phil: III. 8. & *ἐπίγνωσις agnitio* Col: I. 10. *φρόνησις δικαίων prudentia juſtorum* Luc: I. 17. & *σοφία ſapientia*. I. Cor: II. 6. quæ majus quid eſt quam cognitio: *Sapientia.* quippe hoc nomine veritatum nexus, concatenatio, earumque ex uno principio ortus & concinna in unum eundemque ſcopum tendentia potiſſimum indigitatur. Hinc *ἐπιγνώσει* jungitur, ut ad quam graſſamur per *ἐπίγνωσιν* & ab *ἐπιγνώσει* Col: I. 10. Sapientia Dei dicitur I Cor: II. 7. *Sapientia Dei.* quam loquuti ſunt Apoſtoli, ibidem verſu ſexto. Opponiturque Sapientiæ *σαρκικῇ carnali* I Cor: III. 19. non *ἀνθρωπίνῃ humanæ* tantum; ſed & quæ *illius ævi* ac ſeculi erat, quod, Pauli tempore, templo adhuc ſtante, nondum effluxerat. I Cor: II. 6. Quippe quam nunc ſectamur ſapientiam, ea eſt, quam Paulus vocat *πολυποίκιλον σοφίαν multivariam ſapientiam* Eph: III. 10. quæ non jam Judæis ſolum, ſed *inter gentes*; non jam promittit ſed *annunciat*; non per umbras, aut typos, aut pollicitationes de futuro, ſed per *Euangelium, imperveſtigabiles divitias Chriſti* Eph: III. 8. *qua ſapientia* Chriſtus nobis factus eſt I Cor. I. 30. Quippe quæ multis modis & partibus olim revelata doctrina erat, in omni nexu, concatenatione, concinnitate integra nunc a Chriſto nobis revelata ſapientia eſt. Heb: I. I. ut nunc demum clare & palam Deo viiſque Dei omnibus ſua conſtet juſtitia, pulchritudo & decus: nunc permiſſi lapſus, nunc longanimitatis olim exercitæ, tolerati hactenus peccati, graviſſimorum judiciorum generi humano inflictorum, impacti Judæis jugi, carnalis præſcripti cultus, verbo: omnis

Digitized by Google

nis viæ Dei juſtitia, æquitas, rectitudo appareat. Hinc omnes jam τέλειοι ſumus, ſi cum iis, qui ante euangelii vixere tempora, inſtituatur comparatio. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* 1 Cor: 11. 5. Et quia docta eſt & quia a Chriſto, jam domino facto Act: xx. 28. jam dominum ſe probante tradita eſt, & eum dominum docet, διδαχὴ ȣ κυρίȣ vocatur. Act: XIII. 12. Hinc adhærendum eſt & *firmiter tenendum verbum quod ſecundum doctrinam eſt.* Tit: 1. 9. Hanc Theologicam paulo penitius contemplabimur.

Theologiam qui dicit is dicit. CLXIV. Theologiam qui dicit, is dicit. 1. Eſſe Deum. 2. Eum eſſe cognoſcibilem ad ſalutem. 3. Eſſe qui cognoſcat, aut ſaltem cognoſcere poſſit.

1. Eſſe Deum. CLXV. Primum quod attinet; & quid Deus ſit & eum exiſtere §. VIII—XX. demonſtravimus.

2. Eſſe qui cognoſcat, adeoque. CLXVI. Secundum tria ponit, 1. perceptibilitatem, 2. perceptivitatem, 3. & utramque talem ac tantam ut peccatori ſalutaris ſit.

α Perceptibilem eſſe Deum CLXVII. Perceptibilitas mihi eſt, ea Dei perfectio qua ejus conceptus, &, per conceptum, ac in conceptu, ſimilitudo quædam haberi poteſt.

β Creaturam eſſe Dei perceptivam. CLXVIII. Perceptivitas autem de qua hic loquimur, eſt aptitudo entis cogitantis, qua, intrinſeca quadam ſimilitudine, aliquid in ſe habere poteſt. Hic autem de Theologia loquentibus perceptivitas hæc eſt aptitudo entis cogitantis, qua, intrinſeca quadam ſimilitudine, Deum & res divinas in ſe habere poteſt. Hæc perceptio cum vitalis, mentalis, rationalis ſit, cognitio vocatur. Eſtque rei quaſi menti objecta quædam repræſentatio.

CLXIX. Et perceptibilitatem igitur Dei dicit & perceptivitatem illius, qui eum cognoſci aſſerit.

Ad ſalutem CLXX. Utraque autem tanta eſſe debet ut peccatori ſalutaris ſit; adeoque mortuus in peccato, hac cognitione vivat. Fruſtra enim alioquin ipſi, quin ad majorem vexationem revelata non Theologia ea ſed tormentum foret. Quod de Deo cogitare nefas. Talis igitur oportet cognitio ſit, quam ſequa-

Digitized by Google

quatur amor Dei, id eſt, conſtans voluntas qua peccator & totus & in omnibus velit eſſe ad Deum. Talis autem cognitio, quam iſtiuſmodi ſequatur aut comitetur voluntas, non poteſt non eſſe vita peccatoris & ipſa beatitudo. Eſt enim nobiliſſima mentis actuoſitas, qua major ulla aut excellentior cogitari non poteſt. Quin ſummum bonum cognoſcere ut fas eſt, & amare, id eo frui eſt, non aliis enim mentis actibus eo frui creatura poteſt.

CLXXI. Non poteſt autem Deus peccatori obverſari ut amabilis, id eſt, non poteſt peccator Deum talem percipere, Deum talem cogitare, ut ad quem accedere, quem amplecti, quem amore ſuo dignum judicare atque amoris objectum ſeligere audeat, niſi recte percipi atque amari poſſe putet.

CLXXII. Id autem de Deo cogitare non poteſt, niſi aliquod demonſtrandæ erga peccatorem miſerum gratiæ penes Deum conſilium ac propoſitum eſſe omnino credat. Cum enim præter Dei propoſitum nihil fieri poſſe ipſa Dei idea & creaturæ omnimoda dependentia doceat, gratiam quoque ſibi aut ſalutem ullam, niſi Deo volente ac decernente, obtingere poſſe pariter conſtet: hinc fieri non poteſt, ut Deum, cui, ſua non minus juſtitia quam hominis reatus in comperto eſt, amet, niſi credat gratiæ penes ipſum eſſe conſilium. Res clara & aperta eſt. Aſt vero ſi non amari, ergo & non recte percipi: recte enim perceptus & ſub grata, liceat ita loqui, ſpecie perceptus, non poteſt non amari.

Percipi ad ſalutem non poteſt niſi gratiæ penes ipſum conſilium ſit

CLXXIII. Non datur igitur recta Dei perceptio ſeu cognitio, adeoque nec vera Theologia in homine peccatore niſi poſito conſilio gratiæ atque agnito.

CLXXIV. Gratiæ autem illud conſilium cogitari & concipi convenienter non poteſt, niſi ſtatuatur Deus triunus.

& niſi Deus ſit triunus.

CLXXV. Non potuit Deus tale capere conſilium niſi ejus executio Deo fuiſſet futura glorioſa.

Quod probatur.

CLXXVI. Non potuit Deo glorioſum eſſe, peccato jam ob-

Digitized by Google

obnoxio homini gratiam demonſtrare, non demonſtrata juſtitia. Et major perfectio erat ita demonſtrare gratiam poſſe, ut ſimul ſua juſtitiæ gloria conſtaret.

CLXXVII. Id autem fieri non poſſet, niſi Deus & peccatum punire & tamen condonare poſſet, id eſt, & juſtitiæ ſimul exhibere & miſericordiæ ἔνδειξιν.

CLXXVIII. Hæc autem decenter concipi non poſſunt, niſi ſit in quo glorioſe ſatis illuſtretur juſtitia, dum peccatori obtingit gratia. In morte autem animalium, quin ipſius peccatoris, ea ſatis glorioſe fieri non poterat, niſi æternum duraret: ille autem ne æterna quidem ſufficeret.

CLXXIX. Hinc talis perſona requirebatur a cujus dignitate iſti juſtitiæ demonſtrationi decus accederet ſufficiens ac juſtum pondus.

CLXXX. Talis autem eſſe non poterat niſi & Deus & homo eſſet, adeoque & pati, & ex paſſionibus tantis emergere valeret.

CLXXXI. Hoc munus hoc onus ei, non niſi volenti, ſponteque id in ſe ſuſcipienti, imponi potuit. Non niſi ex conventione igitur cum Deo judice. Ut jam Deum judicem pariter ac ſponſorem, habeamus. adeoque plures in Deitate perſonas. (quas tres eſſe ulterius deinceps probatum dabimus in ſequentibus) Sufficit poſſe nos nunc concludere

CLXXXII. *Deum non eſſe ad ſalutem perceptibilem, adeoque nullam dari poſſe Theologiam peccatoris, non admiſſo gratiæ conſilio, & doctrina de pluralitate, adeoque, ut deinceps patebit, trinitate perſonarum.* Quod erat demonſtrandum.

Quæ percipiendi vis reliqua ſit in homine. CLXXXIII. Sic quouſque & qua ratione perceptibilem dicat Deum qui Theologiam dicit, vidimus. Videnda nunc eſt Perceptivitas: id eſt aptitudo entis rationalis ad percipiendam ac cognoſcendam eam Theologiam.

CLXXXIV. Nulla eſt veritas, quæ, menti creatæ perceptibiliter propoſita, ab ea percipi adeoque & cognoſci non poſſit. Perceptio autem noſtra & voluntatis operationes

ita

Digitized by Google

ita ſunt arcto junctæ nexu, ut pro ea ſpecie, ſub qua, ut ita loquar, perceptioni res quædam objicitur, voluntas quoque ſeſe diverſimodè circa eandem exercere ex ipſa mentis indole ſequatur.

CLXXXV. Hinc fieri non poteſt, ut, quando, aut res ipſa clare & diſtinctè percipitur, aut de re quadam, licet ipſa propter infinitatem ſuam aut nimiam fortaſſis perfectionem, aut aliàs minus clare & diſtincte prout in ſe eſt percipiatur, divinum tamen clare & diſtincte pateat teſtimonium; fieri inquam non poteſt, ut non judicio, adeoque voluntate ei rei mens adſtipuletur, ac ut veram admittat & pro modo perceptionis amplectatur.

CLXXXVI. Quantumvis autem per peccatum corrupta mente noſtra, & præjudiciis, & cupiditatibus, & ſenſibus abreptâ, ac tranſvorſum actâ, reliquum tamen & menti naturale eſt, τὸ percipere & velle: quippe quæ ipſa ſint mentis natura atque eſſentia.

CLXXXVII. Hinc & veritas omnis, verbis ex uſu, tum communi, tum Sacris Scriptoribus quodam modo peculiari, ſignificantibus, menti objecta, ab ipſa mente pro ſuo modo concipi ac dijudicari poteſt. Nec eſt quod de homine irregenito hic laboremus, cum in Diabolis res clara ſit.

CLXXXVIII. Mens autem judicans, niſi ſibi vim inferat, non poteſt non pro Divino agnoſcere id quod ipſius rei, ſeu ex rei ipſius orta contemplatione, ſeu ex Dei revelatione hauſta, perceptio, menti clare & diſtincte ut verum ac divinum objicit.

CLXXXIX. Hoc fundamento Apoſtolus nititur, quando ad omnem provocat hominis conſcientiam 2 Cor: IV. 2. quod fruſtra fieret, niſi ea mentis eſſet indoles, ut veritatis propoſitæ perceptionem habere & de ea judicare poſſet.

CXC. Et non parum huc facit, quod veritas divina omnis, ad innatam vere expenſa, ſeſe nec non divinitatem ſuam ultro prodat; accedente eo conſcientiæ dictamine, quod non poſſit non eſſe verum quicquid a Deo dictum doctumve eſſe conſtiterit.

Digitized by Google

CXCI. Sic maxime ἀναπολόγητος homo naturalis, quin & αὐτοκατάκριτος hæreticus evadit Rom: 1.20. Tit: III.11.

CXCII. Accedit ſubinde operatio quædam Spiritus Sancti, vel in ipſis reprobis, qua fit, ut intendatur hæc hominis perceptivitas. Nimirum, quando vi voluntatis Spiritus Sancti homini alicui irregenito obtingunt talia aut talia ſalutis media, & vi ejuſdem voluntatis exiſtunt tales in ejuſdem mente cogitationes ut 1. attendat 2. percipiat 3. dijudicet 4. admittat veritatem revelatam ejusque partes, non ſine magna ſubinde accuratione, quod in hominibus eruditis ſæpe accidit.

Perceptivitas hominis naturalis qui differat a ſalutari.

CXCIII. Verum enim verò alia tamen & alterius planè generis perceptivitas requiritur, ut rectè, & prout fas eſt, adeoque ſalutariter, veritas ulla, vel minima, percipiatur, dijudicetur, recipiatur ab ullo homine peccatore.

CXCIV. Hujus autem tum explicanda eſt indoles, & ab omni alia diſcrimen, tum probanda eſt & exiſtentia & neceſſitas.

ℵ Indole.

CXCV. Indoles & natura hujus perceptivitatis perfectior & longe alia eſt quam quæ in homine irregenito unquam reperitur. Mens quidem ſemper eadem, creatus ſpiritus, cujus eſſentia æternum cogitare eſt, quod ad ſubſtantiam & cogitationem quaſi genericam attinet, ſemper idem. Verum vi voluntatis Spiritus Sancti, mens illa acta, ſeu mota ſeu agitata, attendit, percipit, judicat, ita ut ſimul amore vel minimam veritatis ſcintillam amplectatur, quo fit, ut in illam quaſi defixa enixo ſcrutetur ſtudio, ſeſeque & omnia ſua ad illius veritatis normam componere annitatur, non ſine ingenti cum præjudiciis, carnisque cupiditatibus, ut &, tam diaboli quam hominum aliorum tentationibus, lucta: quæ cuncta tamen, ex veritatis contemplatione, atque in ea profectu magna diliciatio atque exultatio comitatur. Et hinc fit, cum res ſpirituales ingens requirant & intenſum ſtudium, ut multo penitius intueatur, & alia ſub ſcheſi, ut ita loquar, quæ veritates divi-

nas

nas ac cœleſtes ſpectant, ei obverſentur, quam homini naturali, ſpiritum Dei non habenti.

CXCVI. Magnum igitur & immenſum fere, hominis in peccatis mortui inter atque regeniti perceptionem ac perceptivitatem diſcrimen eſt. Quod ut paulo clarius conſpiciatur, ſigillatim cauſam utriuſque & effectus & intenſionem & ipſam formam interiorem paucis expendamus.

CXCVII. Utriuſque, quatenus realis mentis ſeu actus ſeu habitus eſt, prima cauſa Deus eſt & divina voluntas: unius quidem, quatenus in Deo omnes vivimus, movemur & ſumus Act: XVII: 28. omnisque realitas ipſi tranſcribenda eſt; alterius autem, quatenus Deus peccatoris in Chriſto eſt: adeoque proprie Spiritus Dei quatenus Spiritus Chriſti eſt. Qui Chriſti ſunt, ii Spiritu Chriſti ducuntur, id eſt, aguntur & ſic agunt: Rom: VIII. 14. Eſt quidem una tantum in Deo voluntas, quæ Patris eſt & Filii & Spiritus Sancti; ſed quemadmodum perſonæ diſtinguuntur & unaquæque earum eſt ipſa eadem eſſentia, cum diverſa atque alia ſubſiſtentia ſeu conſiſtentia; ſic & eadem voluntas alia atque alia eſt, pro diverſitate nimirum perſonarum. Spiritus Sancti autem voluntas, ut quicquam extare faciens propter voluntatem filii aut ſponſoris aut conſummati Sacerdotis, longe aliter nobis obverſatur, quam ſimpliciter quicquam producens. Aſt non hac ſed illa ratione receptivitas & receptio, quæ eſt in regenitis, ſpiritus ſancti effectus eſt. Verum hæc demum manifeſta evadent, poſtquam OEconomiam divinarum perſonarum didicerimus. *a Cauſa.*

CXCVIII. Sic cauſam vidimus: in effectibus vero maniſeſtiſſimum diſcrimen eſt. Unius forte gaudium aliquod erit & lætitia quædam Mat: XIII. 20. alterius autem, veritatis amor, amplexus & univerſi hominis ad illius normam compoſitio, & quaſi nova formatio Rom: VI: 17. *a Fructibus.*

CXCIX. Ut juſtitia per veritatem dominetur, veritaſque liberos reddat Joh: VIII. 32. ſanctificet Joh: XVII. 17. ſibique ſubigat ac captivet omne νόημα 2 Cor: X. 5. adigens

totum hominem ad *ὑποταγὴν τῆς ὁμολογίας ſubjectionem adſtipulationis* 2 Cor: IX. 13. Quale quid perceptivitatem ac perceptionem hominis naturalis nec comitatur unquam nec ſequitur.

7 Intenſione.

CC. Nec minus intenſione differunt, qua una magis eſt vivax, conſtans, perennis adeoque & penetrans præ alia.

CCI. Unde & ipſa perceptivitas, adeoque & perceptio, longe procul omni dubio alia eſt in regenito ac in irregenito.

CCII. Ut unum irregenitum licet præ alio multa, & ſpiritualia quoque, percipere ultro fateamur: omnem tamen vel minimum rectæ & vere ſpiritualis perceptionis actum penitus homini irregenito impoſſibilem merito dicamus cum Apoſtolo 1 Cor: II. 14.

CCIII. Cui autem hæc differitas exigua nimis videbitur, is conſideret, 1. nos de re ſprituali agere quæ ulterius exprimi verbis vix poteſt 2. arctiſſimo voluntatem cum intellectu nexu junctam, quin reipſa unam eandemque rem eſſe, nimirum, mentem ipſam diverſimode conſideratam, prout aut ſimpliciter percipit aut libere judicat, eligit, ſpernit, amplectitur, averſatur: adeoque. 3. ex voluntatis recto judicio, aut ſive amplexu ſive averſatione judicari demum de recta perceptione ac perceptivitate poſſe. Ubi recte judicat & vult mens noſtra, ibi debita præceſſit perceptio & eſt recta perceptivitas. Sic vice verſa, ubi recta & regenita perceptivitas adeoque & perceptio, illic & recte judicandi ac volendi facultas eſt. Quæ quando utraque Spiritui Sancto penitus transſcribuntur, nihil Pelagianiſmi poteſt eſſe reliquum.

CCIV. Atque ita hujus perceptivitatis vidimus & perceptionis indolem ac ab omni alia diſcrimen: *Neceſſitas* nunc demonſtranda reliqua eſt. Verum enim vero cum de hominis corruptione, de morte ſpirituali, de vita gratiæ, cum omni vel minimo ſuo actu ex Chriſto per Spiritum Sanctum unice derivando, in ſequentibus demum acturi ſimus, inde argumenta petere præpoſterum foret.

CCV. In

Digitized by Google

CCV. In genere hoc clarum eſt & ſufficit. Mentis nobis conſtat ex §. v, vi. omnimoda dependentia. A Deo igitur eſt ejuſque voluntate omnis in ea realitas. Major autem ea tanto eſt quanto recta magis & bona. Quin, peccato interveniente, ut recta evadat perceptio, major requiritur realitas adeoque major ſupponitur dependentia.

CCVI. Voluntas autem Dei eam in nobis perceptivitatem tali modo efficit, qualis convenit univerſo gratiæ & redemtionis ac ſalutis noſtræ myſterio. Quare ſi ex ejus ulteriore cognitione palam fiat, ſpiritus Sancti hoc opus eſſe, confecta erit controverſia. Aſt merito eam in illa loca rejicimus. Satis eſt ſi vel hactenus ſupponatur tantum.

CCVII. De hac autem perceptivitate pariter ac de rerum cognoſcendarum perceptibilitate notandum eſt; tantam eam eſſe debere, ut ad ſalutem peccatori ſufficiat. Qua de re verbo egimus Ichnogr. §. XLVI. 2.

CCVIII. Tertium quod §. CLXIV. ab eo, qui Theologicam dicit, aſſeri monuimus, nunc ſequitur: videlicet, eſſe qui cognoſcant aut cognoſcere ſaltem poſſint. Spiritûs eſt & mentis τὸ cognoſcere. Mens autem ſeu ſpiritus datur tum independens tum dependens. Ille Deus eſt, qui procul dubio ſe novit exactiſſimè & perfectiones ſuas, ſignatè omniſufficientiam, tandemque molimina ſeu vias ſuas. Novit quoque ea quæ ſpiritui ſeu menti dependenti & creatæ aliquando revelare decrevit. Hæc cognitio Theologia *Archetypa* dici ſolet, ut *Ectypa* omnis ea quæ ad illius quaſi exemplar in creatura ulla reperitur. *γ Eſſe qui cognoſcant.*

CCIX. Spiritus creatus vel eſt ad certum aliquod corpus organicum ordinatus eique quaſi rector datus, vel nulli corpori peculiariter adfixus. Hic angelus dicitur, de cujus tum natura tum Theologia, tum aliis, ſuo loco agemus: ille homo eſt. Occurrit autem homo, qui ut Mediator Dei, ſic & Deus & homo, uno verbo Θεάνθρωπος, & qui φιλὸς ἄνθρωπος ſit. De illius Theologia, quæ *unionis* vulgo audit, hic quoque loci, ſi ordine inſtituere velimus, agendum non eſt.

CCX. Ho-

Digitized by Google

Theologices noſtra ſubjectum homo peccator eſt. CCX. Homo igitur illius de qua agimus Theologiæ ſubjectum eſt, & quidem peccator, tum in hac tum in futura vita: nunc autem vivens ſub OEconomia N. Teſtamenti. Utrum autem eſſe poſſint & revera ſint iſtiusmodi homines qui Theologiam eam cognoſcant, aut ſaltem cognoſcere poſſint, ipſi, facto periculo, experiemur. Addat nobis per Spiritum ſuum eam, qua tantopere indigemus, perceptivitatem benignus ille Deus: ardentiſſimis eum precibus veneremur, *ut nobis det Spiritum ſapientiæ & revelationis, in cognitione ipſius, illuminatos oculos mentis noſtræ, ut ſciamus, quæ ſit ſpes vocationis ipſius, & quæ divitiæ hæreditatis ipſius in ſanctis.* Eph: 1. 16, 17, 18. Nec in caſſum laborabimus, modo in timore Dei huic ſtudio incumbamus. Diverſi tamen gradus ſunt quo proficere datur Theologiæ ſtudioſo. Et divinæ revelationis & temporis & aliarum circumſtantiarum ratio modum hic ponunt, unicuique tamen, qui divinitus factam revelationem ritè ſcrutatur, ea obtinget cognitionis & amoris menſura, quæ ipſi ſufficiat, ut, ſuo & loco & tempore, divino inſervire conſilio poſſit.

CCXI. Deum igitur percipere & amare cum nobis per ejus gratiam volupe ſit; ea quæ de de Deo ſcienda ſunt in ſummam redigemus, quam deinde nobis amoris normam præfigemus.

Theologices Summa. CCXII. De Deo autem acturi, tum ejus GLORIAM, ut omnium cognoſcendorum collectum quaſi jubar, tum ſigillatim, ejus ESSENTIAM, NOMINA, PERFECTIONES, & MOLIMINA expendemus. Ad ea enim tanquam ſumma capita omnis Theologices cognitio commode reducetur, continuo quam accuratiſſime obſervatis, quas de S. S. Trinitate ac Conſilio Gratiæ poſuimus, Hypotheſibus.

CCXIII. Atque ita ichnographiæ delineatione defuncti ad Scenographiam pergimus, Sequitur igitur

UNI-

Digitized by Google

UNIVERSÆ THEOLOGIÆ, SCENOGRAPHIA.

CAP. I.

De GLORIA DEI.

I.

THeologicen igitur tractaturis ii ſermones expendendi veniunt, qui de Deo agunt. Non tam humani autem quam divini, ut evadamus οἱ τὸν θεὸν ἐκ θεοῦ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ εἰς δόξαν αὐτοῦ λέγοντες. *Deum, ex Deo, coram Deo, ad gloriam ejus dicentes.*

II. Perceptio autem non ſolum ſed & amor veritatis cum Theologum faciat, videndum erit. 1. Quæ & quomodo percipienda ſint quæ Deus revelavit. 2. Qua ratione Deus ita cognitus amari debeat.

III. Amor autem ille rationalis eſt, adeoque talis, ut ad veram objecti amandi perceptionem ſit componendus formandus atque exercendus. Nimirum, talis eſt, qualem vera objecti amandi & recta perceptio exegerit. Unde & amor verus eaſdem ſupponet quas recta perceptio hypotheſes §. CXLII, CXLIII. in Ichnographia propoſitas.

IV. Scienda omnia in *gloria* Dei quaſi concentrantur. *Sciendo-*
Omnia quæ Deus revelavit, ſi unico verbo exprimere velis, *rum com-*
gloria Dei eſt. Apoſtolus ſciendorum ſummam verumque *pendium &*
amoris ac pietatis exercitium paucis complexus, ſic infit *agendorum ſcopus*
2 Cor: III. 18. *Nos autem omnes aperta facie gloriam De-* GLORIA
mini Dei.

mini tanquam ſpeculum intuentes, ad eandem imaginem transformamur a gloria ad gloriam, tanquam a Domini ſpiritu.

Quid ea ſit. V. *Gloria* Dei eſt ingens illud Dei ſuperpondium, immenſum illud pondus, quo ſuper res omnes infinitum excellit. Hebraicè כבוד vocatur, a כבד quod ſignificat pondus habere, gravitare, grave eſſe. Unicuique rei tantum ponderis quantum entitatis & perfectionis ineſt. Deus autem cum ſit maximæ, infinitæ, atque immenſæ perfectionis in ſe ipſo, maximum, ut ita loquar, juxta vim vocis illius Hebrææ, in ipſo pondus eſt. Necdum id tenemus quod gloriam Dei appellat Scriptura. Non enim ſolum id propriè denotat, quod abſque ulla relatione ad creaturas rationales, in ipſo Deo eſt; verum divinum illud omnigenarum perfectionum, ut ita loquar, ſuperpondium, ex quo judicari vult a creatura rationali. Hæc tenetur rem quamlibet tanti facere, quanti deprehendere poteſt eam revera eſſe. Judicium hîc juſtæ lancis inſtar eſſe debet, quæ ponderibus libræ impoſitis, pro eorum ratione, deprimitur. Mens igitur objecta hujus aut illius rei perfectione, ſeu impoſito pondere, recte vibrare ejus gravitatem debet, eamque ex ſuo æſtimare pondere. Immenſum autem illud eſt quod de Deo nobis occurrit & menti quaſi pondus injicitur. Hinc ſui æſtimationem, amorem, venerationem poſtulat maximam. Quod glorificare dicitur in ſacris, ſuperpondium illud Dei agnoſcere & colere & ſuſpicere eſt. Id a gentibus neglectum, qui *gloriam incorruptibilis Dei mutarunt in ſimilitudinem corruptibilis* Rom: 1. 23. Verum majus quid quam quod gentes cognovere, id eſt, quod gloriam, a peccatore, ad ſalutem agnoſcendam, adeoque vere & emphaticè gloriam dicit Scriptura. Sic dare dicimur Jehovæ gloriam Pſ: XXIX, 1. CXV. 1. Hinc *δόξα* Græcis a *δοκέω*, ut *δόξα* rei ſit quaſi pondus & pretium quo eam dignam putamus.

VI. Penitius autem paulo eam excutiamus. Deus ipſa ſumma perfectio eſt. Verum uno obtutu hunc Solem contemplari haud patitur mentis noſtræ acies. Plurimas igitur per-

perfectiones in Deo concipimus; ſeu Deum, cum diverſa ad hæc aut illa relatione, ſeu ſub diſtinctis diverſarum perfectionum notionibus. His autem omnibus perfectiſſime ut ita loquar reſplendeſcentibus, unus ab iis ad nos reſultat fulgor: hunc *gloriam* dicimus. Eſt igitur omnium divinarum perfectionum collecta quaſi reſplendeſcentia hæc quam *gloriam* dicimus. Et ea quidem quæ nobis peccatoribus nunc objicitur, in qua maximè coruſcat juſtitia & miſericordia Dei, quam peculiari ratione manifeſtatam voluiſſe Apoſtolus teſtis eſt Rom: IX. 23.

VII. Liceat venerabundo animo, ut mentem tanto melius exprimam, ſimili aliquo uti. Quemadmodum in concinna quadam multarum vocum muſica, quarum unaquæque ſit ſuaviſſima & aures mira dulcedine impleat, unus tamen junctusque quaſi & harmonicus ſonus eſt & ſymphonia quæ ex bene compoſitis ſingulis vocibus reſultat. Quemadmodum in pretioſo non minus quam ex variis pretioſis concinnato lapidibus κειμηλίῳ ſinguli lapides ſuum quidem fulgorem effundunt, ita tamen ut junctim unum jubar mira varietate ſpectatorum oculis objiciant: ſic hic ſeſe fere habet rectus de Dei gloria conceptus.

VIII. Sunt Dei perfectiones; ad unam omnes ſingulæ Deum nobis proponunt, omni veneratione excipiendum; verum cunctarum illarum perfectionum pulcherrimus quidam eſt quaſi & concentratus fulgor, hunc gloriam Dei appellamus. In eam tendunt omnes viæ, omnia molimina Dei, huic cum unaquæque res ſuo loco & tempore quàm optimè inſervit tunc ea ad gloriam Dei eſt.

IX. Quando autem paulo penitius examinamus qua ratione immenſum illud ſuperpondium innoteſcere, jubar illud nobis adfulgere, glorioſiſſimus in ſeſe, Deus voluerit; Peccatum anſa eſt & occaſio qua ſapientiſſime abuti voluit, ut in peccatore, ut erga peccatorem, ut ipſi peccatori, coram omni creatura rationali, conſtaret verum gloriæ divinæ pondus ac pretium.

Digitized by Google

X. Hinc in miſericordiæ ac gratiæ nec non juſtitiæ illuſtriſſima, non ſine inſigni aliarum quoque perfectionum demonſtratione ἐνδείξει, quærendus eſt gloriæ divinæ fulgor. Hinc nomen ſuum, qua appellatur gratioſus & multus benignitate nec ſontem habens inſontem, proclamat quando gloriam ſuam erat monſtraturus Moſi Exod: XXXIII. 18, 19, 20. Nec alias Dei gloria adfulgere peccatori in ſalutem poterat, niſi cum juſtitia luculenter gratia conſpiceretur. Et ſane quid gloria Dei in tabernaculo, in templo habitans Exod: XXIV. 16, 17. XL. 34. 1 Reg: VIII. 11. Lev: IX. 6, 13. aliud inſignivit, quam gratioſam Dei in peccatore, non ſine ſacrificio, non ſine juſtitiæ demonſtratione, habitationem? Hinc quando Deus, poſt tot ac tanta molimina ad ἀκμὴν, ad ſummum faſtigium pertinget, haſce potiſſimum perfectiones præclariſſimè demonſtrabit: ſic Apoſtolus 2 Theſſ: I. 8, 9, 10. aliis dabit relaxationem in revelatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, aliis veniet *in igne flammæ dantis ultionem ignorantibus Deum & iis, qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti; &c. cum veniet ut glorificetur in Sanctis ſuis.*

XI. Et eum in quo gloriam ſuam modo longe glorioſiſſimo conſpiciendam præbuit, propoſuiſſe legimus Rom: III. 25. *propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius, in demonſtrationem juſtitiæ ſuæ.*

Concipi non poteſt niſi poſito gratiæ Conſilio.

XII. At quis hanc gloriam vel ullo modo cogitare, multo minus percipere rectè poterit, qui non gratiæ demonſtrandæ conſilium penes Deum eſſe antea ſtatuerit. Non neceſſe eſt id evincamus, per ſe patet.

Et doctrina trinitatis.

XIII. Verum & trinitatis dogma gloriam Dei rite percepturo admittendum eſſe, non minus certum eſt. In Chriſto Jeſu demum & per Chriſtum facta eſt & fieri potuit & juſtitiæ & gratiæ, quæ hujus gloriæ, liceat ita loqui, partem faciat potiſſimam, conveniens demonſtratio. Verum nec ejus ἱλαϛμὸς, tum ad glorificandum Deum, tum ad adeundam immenſæ gloriæ coronam futura ſufficiens erat,

niſi

Digitized by Google

niſi *in forma Dei eſſet & non duceret rapinam* parem eſſe *Deo* Phil: II. 6. debebat gloriam quaſi deponere, ille, qui deinceps recuperaturus erat gloriam quam habuerat, ante jacta mundi fundamenta Joh: XVII. 5.

XIV. Gloria Dei non niſi in facie Chriſti demum conſpicitur 2 Cor: III. 18. Et gloria terram non implevit, a cœlis ita prædicata, a gentibus agnita non eſt, niſi poſt Chriſti mortem, adſcenſionem, & notificationem per Euangelium factam. Neque Deum ita glorificare, infinitæ in ſeſe exhibere juſtitiæ ſpecimen, quo exhibito, Deus juſtificari poſſit juſtificans impium, ullius eſt præterquam ejus qui natura Deus ſit. Non minus enim ἀξίωμα eſt, eſſe ἀπαύγασμα *reſplendeſcentiam gloriæ*, eum, in quo reſplendeant & a quo quaſi repercuſſi nos feriant divinæ gloriæ radii, quam eſſe ipſum Deum. Ut Johannes vel ea ratione, quod cum aliis fidelibus facti *reges & ſacerdotes Deo & Patri ejus* dignum judicet *cui ſit gloria & potentia in omnia ſecula amen* Apoc: I. 6. concinunt quatuor animalia Apoc: IV. 9. quibus ſe jungunt *omnis creatura quæ in cœlo eſt & ſuper terram, & infra terram, & quæ in mari ſunt, & omne quod in eo eſt.* Apoc: V. 13. Quin gloria Jehovæ Zebaoth olim manifeſtanda & a Jeſaia viſa Jeſ: VI. 3. Chriſti gloria fuit Joh: XII. 41. Ideoque Chriſto nato ilico Domino accinunt gloriam, nunc videndam in Chriſto Jeſu Luc: II. 14. Gloria quæ Filio dari debet, eadem eſt cum ea, quam Patri deferimus, aut in Patre eſſe agnoſcimus. Hinc omnes filium honorare, id eſt, gloriam filii agnoſcere & revereri debent quemadmodum honorant Patrem Joh: V. 21. Deus tamen gloriam ſuam alii non dabit Jeſ: XLII. 8. XLVIII. II. Exertè autem filius *rex gloriæ* iteratò dicitur Pſ: XXIV. 7. 8. 9. 10. Hinc eccleſia Chriſto Pſ: CXLV. 5. *Ego eloquar gloriam honoris majeſtatis tuæ.* Non enim alium Regem ſuum agnovit David, quam quem Dominum agnoſcit Pſ: CX. I. qui filius eſt Hebr: VII. 17. cum Pſ: CX. 4. Et ſane quid aliud eſt, aut quis alius *rex gloriæ?* quam, quem *Dominum gloriæ* vocat Apoſtolus

Digitized by Google

1 Cor: II. 8. crucifixus noſter Jeſus. Unctus *gloriâ* Jac: II. 1. Qui ſe hominis ſervos ita ſolenniter & ſerio negant Apoſtoli & viri Apoſtolici *gloria Chriſti* ſunt. 2 Cor: VIII. 23. ut eccleſia *corona gloriæ* ejus Jeſ: LVII. 3. Imo quod maximè gloriæ Dei nuncius eſt Euangelium: id dicitur eſſe *Euangelium gloriæ Chriſti* 2 Cor: IV. 4.

XV. Ipſe Judaiſmus olim agnovit eam gloriam quæ habitavit in propitiatorio, fuiſſe שְׁכִינָה inhabitationem illius qui diſtinguitur a Patre, a כתר.† Sane gloria Dei a Moſe & univerſo Iſraele Exod: XVI. 7. 10. non ſine *ſpecie* quadam viſa XXIV. 16, 17. fuit gloria loquentis in Horeb, adeoque angeli, qui Chriſtus eſt Act: VII. 38. Mal: III. 1. Templum a Chriſto calcandum eo ipſo *gloria* Dei implendum dicitur Hag: II. 8, 10. ut merito dicat eccleſia Novi Teſtamenti apud Jeremiam Capite XVII. verſu 12. *Solium gloriæ* in *celſo præ priori* eſt *locus ſanctuarii noſtri:* quando non erit futurum templum Judaicum, aut a Papatu ad mimeſin Judæorum extructæ ædes, tunc *agnus* luculentiſſimè *templum* erit. Apoc: XXI. 32. Cujus *gloria* cœlos operitura erat Hab: III. 3. idem eſt, de quo Johannes I. 14. & *vidémus gloriam* ejus; *gloriam quaſi unigeniti a patre.* Tunc *manifeſtanda erat gloria Dei* ſeu revelanda Pſ: XL. 5. Edens Deitatis ſuæ inſigne quoddam ſpecimen, miraculoque adumbrans qualem facturus eſſet in ipſa Dei OEconomia mutationem, Joh: II. 11. *manifeſtaſſe gloriam ſuam* dicitur.

† כתר ... in Appar: B. pag: 79.

XVI. Hinc qui vel umbræ alicujus & figuræ Chriſti circa eccleſiam vices ſuſtinet, maritus, *gloria Dei* dicitur 1 Cor: XI: 7. cum Eph: V. 25. Ut antea arca, & templum, & omnes umbræ, effigiantes inhabitationem filii Dei in humana natura, & omnibus electis, decoratur nomine Gloriæ Jehovæ 1 Sam: IV. 21, 22. Jer: XIV. 21. XVII: 12.

XVII. Cum igitur nec gloriæ ſubjectum recte noverint qui non ut Patrem ſic & filium agnoſcunt ejuſdem gloriæ participem, & nulla ratio ſit eo gloriæ jubare peccatoribus

ad-

Digitized by Google

adfulgendi, niſi ſit tale ἀπαύγασμα τῆς δόξης quod una ſit χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως Dei Patris Heb: I. 3. gloriam Dei haud agnita trinitate, pluralitate ſaltem perſonarum, non recte concipi palam eſt.

XVIII. Spiritus Sancti eandem eſſe gloriam Jeſaias teſtis eſt, modo Apoſtoli verba conferas Jeſ: VI. 6. cum Act: XXVIII. 26. Nec gloriam Dei in facie Chriſti aliter quam per Spiritum Sanctum contemplamur 2 Cor: III: 18.

XIX. Nihil quoque eſſe poteſt ad gloriam Patris niſi in filio per Spiritum Sanctum, per Filium credimus in Deum, qui eum excitavit ex *mortuis, & ipſi gloriam dedit, ut fides veſtra in Deum foret. Animas veſtras mandatas habentes per Spiritum Sanctum.* 1 Pet: 1, 21, 22. O pietatis non minus quam veritatis myſterium! o adoranda! o glorioſa trinitas! Deum glorificemus ut Seraphim & ingeminemus *Sanctus Sanctus Sanctus Jehovah Zebaoth, omnes terræ plenæ ſunt ipſius gloria.* Jeſ: VI. 3. ut ipſe per gratiam evadat nobis gloria, ut unusquisque de Deo dicere poſſit, *gloria mea & erigens caput meum.* Pſ: III. 4.

XX. Omnia autem cum tendant ad gloriam Dei, totaque nobis eum in finem Scriptura data ſit, ut ad gloriam Dei eſſe doceamur, in illo objecto penitus defixi inhæreamus fas erit. Verum nimia luce offuſcandis partitim nobis ea Deus revelavit, quæ ſimul ſumta, hanc gloriam quaſi conſtituunt; hæc igitur ſigillatim nunc conſiderare inſtituti ratio flagitat. *Uno obtutu hæc GLORIA conſpici non poteſt.*

XXI. Quid per triunitatem Dei, quid per conſilium illud, adeoque per ea, quæ ſeſe in omnibus prodere demonſtrabimus; intelligamus; ſuccinctè diximus §. CXLII. & ulterius dicemus ubi ordo id exigit. Nunc igitur

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

DE NOMINE DEI.

NOMEN *Dei.* *In genere.*

I. PRimum quod ſeſe de rebus revelatis conſiderandum præbet, *nomen* Dei eſt, tum in genere, tum in ſpecie. Nomen Dei neceſſario ſignificat id omne, quod de Deo & quo Deus cognoſci poteſt ad ſui gloriam: quodque adeo vices ſuſtinere nominis apud creaturam rationalem queat. Id adorandum, invocandum, ei confidendum, in eo gloriandum eſt: quod ubi recte fit à creatura rationali tum glorificatur Deus & colitur, hinc omnis Dei cultus *nominis divini invocatio* appellatur Joel: II. 32. Rom: X. 13. Pſ. CXVI. 13. LXXVI. 2.

Trinitatem indicat.

II. Notandum verò, illud nomen, ſeu id, quod de Deo cognoſcibile eſt, non rectè cognoſci, niſi cognoſcatur Chriſtus Joh: XVII. 23. non rectè coli, niſi & colatur filius Joh: V. 23. Imo cognoſci penitus non poſſe, niſi in facie Jeſu Chriſti 2 Cor: IV. 6. Pſ. XXXVI. 10. hinc, nomen Dei olim quæſituri, ad angelum fœderis convertere mentis oculos debuerunt: quippe, ipſo Deo id indicante, in angelo, hoc eſt, nuncio fœderis, id nomen erat. Et, ne quis id ipſi minus emphaticè, aut dicis cauſa, aut gratis datum putet; *in medio* ipſius eſſe dicitur: & modo ita excelſo ac ſublimi, ut cum tremore coli debuerit, quippe peccata remittere aut non remittere jus ac poteſtatem habens Exod: XXIII. 21.

III. Hinc *facies* Dei vocatur Exod: XXXIII. 14. non minus quam angelus faciei. Jeſ: LXIII. 9. Quippe qui non ſolum in ſe eſt imago inviſibilis Dei Heb: I. 3. ſed & *ἀπαύγασμα τῆς δόξης* reſplendeſcentia gloriæ, in quo reſplendet gloria patris Hebr: I. 3. Facies Hebræis a פנה dicitur, quod *vertere*

tere ſe, ad aliquid verſum eſſe ſignificat: hinc facies. Ut ex etymo ſignificet id quod alicui advertimus, anteriorem partem qua aliquo reſpicimus. Optimè id ſane in Chriſtum quadrat; is eſt in quo ſe Deus ad nos vertit; anterior illa, liceat ita loqui, pars, qua nos adſpicit: ſeu iraſcatur & pœnas infligat, ſeu gratiam demonſtret, per filium id fit & in filio. Ut, qui eum videt, patrem videat Joh: XIV. 9. & amor & ira patris in Chriſto demum, ut in hominis facie affectus, conſpiciantur. Et, quis ille angelus, niſi cui Johannes, angelus & miſſus à Deo, viam paravit, qui quæſitus & deſideratus eſt a veteribus, qui venit in templum, ut ille Dominus fundator & ſtructor templi Mal: III. 1. cum Hebr: III. 3. Et certe filius nomen Dei demum conſummatè ſanctificavit, & , ut jam conſummatè per ſuam obedientiam ſanctificatum, notum fecit Joh: XVII. 6, 26. Pſ: XXII. 23. Chriſto loquente & in carne comparente populus Dei *nomen* ejus agniturus erat Jeſ. LII. 6.

IV. Verum nec gratia nec ira, nec ipſe Deus videri, credi, ita conſpici poſſunt, niſi in [illegible]ie Jeſu, ita tamen ut hic de Spiritu quoque cogitandum ſit; in ſanctificationem enim peccatori non cedet hæc contemplatio, niſi tanquam a Domini Spiritu. 2 Cor: III. 18. Imo ne quidem Chriſtum Dominum nominare aut dicere: hoc eſt, nomen, quod ipſi competit, ipſi tribuere, niſi in Spiritu Sancto 1 Cor: XII. 3. Ad videnda ea quæ in Chriſto Pater operatus eſt, adeoque ad intelligendum nomen Dei, Spiritu indigemus, tum ſapientiæ, tum revelationis Eph. I. 17-20.

V. Quis igitur niſi cœcus, triunum Deum hunc in ipſo nomine, iisque, quæ de eo in genere nobis dicta ſunt non videat? Quis hic non videat, triunius Dei conceptum de gratiæ demonſtratione, & excutioni datum conſilium. *Nomen igitur Dei Trinitatem prodit. Et gratiæ conſilium.*

VI. Certe quod fidei & fiduciæ objectum proponitur peccatori; cujus vis omnis ac fructus perit peccatori, niſi gratiæ indigitet decretum, id ſane hoc indicare, aut nihil ſignificare exiſtimamus.

Digitized by Google

VII. Aſt ipſe divini ſignificatus nominis haſce cum veritates arguat, baſin eas ac ſummam omnium revelatorum jure merito cenſemus. Quid enim revelatio, quam nominis divini enarratio? Nomen autem Dei haſce veritates prodit, complectitur, exprimit: &, vice verſa, hæ veritates nominis Dei notioni ita ſatisfaciunt, ut fiduciæ ac gloriationis objectum, mediumque ſanctificandi peccatoribus validiſſimum evadat, ſi ita concipiatur. Sunt igitur hæ veritates omnis Theologiæ clavis, medulla & compendium.

VIII. Et ſane, quam emphatica ſunt Deumque decentia, quæcunque de nomine iſthoc prædicantur, ſi hoc ſenſu, tam exilia erunt omnia ac tenuia ac diluta, ſi ſecus accipiantur.

IX. Si quis autem gratiæ illud conſilium minus clarè & perſpicue ipſo Dei nomine, expoſitum putet: Deum vim ejus præcipuam ipſum explicantem audiat. Sic infit Exod: XXXIV. 6, 7. *Jehova Jehova Deus fortis, miſericors & gratioſus, longanimis & multus benignitate ac fide; Cuſtodiens benignitatem millibus, condonans iniquitatem, defectionem & peccatum, nec ſontem dimittit impunitum.* Cujus nominis vis ſanè & veritas nulla in re magis apparuit, quam in morte Jeſu Chriſti: in qua maximam, cum demonſtratione juſtitiæ, gratiam notat Apoſtolus Rom: III. 24, 25. Nomen Dei proinde ponendum ſuper populo erat in benedictione ſacerdotali: ut certior fieret, Deum id ipſis gratioſè futurum, quod, ex bene percepta nominis emphaſi, in fide ſibi de Deo promittere poterant fœderati: Num: VI. 24-27. Et ter repetitum; ut gratiam nonniſi a triuno Deo ſibi pollicerentur. Hinc antea ſperantes expectaſſe dicuntur nomen Dei, *quia bonum ſtudioſis Dei* Pſ: LII. 11. Et Antichriſtus, dum juſtitiæ divinæ pariter ac gratiæ doctrinam oppugnat, trinitatiſque tremendum myſterium multis modis dehoneſtat, nomen Dei blaſphemare dicitur Apoc: XIII. 6. quod *unum* erit, quando, de triunius Dei gratioſo conſilio, ejuſque illuſtri executione, abſque impedimento, idem docebitur per univerſam terram Zach: XIV. 9.

X. Aſt

Digitized by Google

X. Aſt licet neceſſe non ſit, ut à ſui ſimili ullo peculiari nomine diſcernatur, placuit tamen, ut eo magis ſeſe nobis manifeſtaret, certis nominibus ſeſe ipſum indigitare. Quæ ſi ſeorſim contempleris, id præprimis ea omnia & ſingula denotare deprehendes, quod jam in iis, quæ de nomine Dei in genere ex ſacris præſertim notandum atque obſervandum diximus, videri potuit. *Nomina Dei ſunt univerſa Theologiæ compendium, totiuſque Scripturæ clavis*: Ait Biſterfeldius Vir Doctiſſimus. *Nomina Dei ſigillatim conſiderata.*

XI. Illuſtriſſimum eſt, quod pronunciare vetat ſuperſtitio & שֵׁם הַמְיֻחָד nomen proprium & שֵׁם הַמְּפוֹרָשׁ nomen ſeparatum vocant Judæi, Deus ipſe ſic effatur Exod: VI. 3. quem locum pervertunt Judæi, legentes לְעַלֵּם loco לְעֹלָם *ad abſcondendum* loco *in ſeculum*; vide Feſſel. Advers. part. 1. Cap. XVII. §. 7. הַשֵּׁם illud nomen, זִכְרוֹ memoriale ejus dicitur. Hoſ: XII. 6. quo nominato, ſibi in memoriam revocaturus erat Dei populus, quis ipſis & qualis & quid Deus eſſet. Significat, 1. Deum eſſe Exod: III. 4. ita ut nullo modo, qui perfectionem dicat, non ſit, nihilque cogitetur ipſi deeſſe? 2. Deum eſſe id quod eſt, adeo ut ſit hoc ipſum & ſemper id quod eſt. Non hoc & hoc; aut nunc hoc quod non antea fuit aut ſemper erit. Sed ſemper eſt id ipſum quod eſt. 3. Deum fieri id quod eſt. Hoc eſt, reipſa talem ſe præſtare, qualem ſeſe præſtiturum; ita perfectiones ſuas demonſtraturum, quales ſe eas demonſtraturum decreverat & promiſerat, אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה ero qui ero, הויה non minus fieri quam eſſe ſignificat. Et hoc ſenſu patribus id nomen, alias ſatis cognitum, nondum innotuerat: quippe nondum viderant, certo ſenſu, fieri Deum, id, quod ſeſe futurum fuerat pollicitus: hinc Iſraelem ex Ægypto illuc ducturus, ubi Deus in carne manifeſtandus erat, dicit, ſeſe cognitum iri ut Jehovam. *IEHOVAH.* *Ejus ſignificatio.*

XII. Verum & hoc nomen gratiæ conſilium, idque triunius Dei, ſupponit & arguit. Non-Deo nomen illud ſuum atque honorem, qui nomen illud ſequitur, Deus *Conſilium gratiæ ſupponit & arguit.*

 non

Digitized by Google

non dabit Jeſ: XLII. 8. quin ægerrimè fert vel ullum ἀξίωμα ſuum ab ipſis gentibus *non-Jehova* transſcribi Deut: XXXII. 27. Non uni tamen ἐμφατικώτατον hoc ὄνομα, verum & Patri & Filio & Spiritui Sancto tribuit verbum Jehovæ. Qui olim & vivos judicabit & mortuos, cui pater omne judicium tradidit Joh: V. 22. is idem eſt cum eo, qui, ſeculis aliquot ante decretorium illum diem, incredulæ perfidiam gentis & illatam ſibi ab ea injuriam ita ſeverè vindicavit: qui venturus dicebatur cum igne coram ipſo vorante Pſ: L. 3. quapropter ille dies ipſius non tolerandus foret Mal: III. 2. qui primo mundo per Noachum diem dixerat: a quo Sodoma ſubverſa. Is autem Jehova appellatur Pſ: L. 1. & Jehova ille judex pluere olim dicebatur ignem ſuper Sodomam a Jehova Gen: XIX. 24.

Non uni perſonæ tribuitur.

Filio.

XIII. Nec alia de redemptore, mater omnis viventis, Evah cogitavit, quando, Kainum enixa, virum Jehovam ex ſe genitum autumabat. Gen: IV. 1. Imo Jeſaias in eo eſſe videtur ut hoc nomen vindicet redemtori. Qui verſ. 21. Cap. XLV. dicit, *ego Jehova & non eſt præterea Deus extra me; Deus juſtus, & ſalvator non eſt præter me: reſpicite ad me & ſalvamini: per me juravi:* idem ad alterius de ſe teſtimonium provocat verſ. 24. quod Chriſtus alias ſæpe in carne feciſſe legitur. Teſtimonium autem his verbis conceptum proponit: *tantum in Jehova (mihi*, vel, *de me, dixit) juſtitia & robur:* dixit Deus pater, de me, vel mihi, me quaſi digito monſtrans, *tantum in Jehova*, in filio illo meo, *juſtitia & robur: ad eum accedet*, nimirum unusquisque ſalvandus, *& pudeſient omnes exardeſcentes contra illum: in Jehova juſtificabuntur & glorificabuntur omne ſemen Iſraelis.* Et, Jeſ: L. exertè *Jehovam* ſe vocat verſ. 1. qui ſe *veniſſe* teſtatur *& vocaſſe & neminem reſpondiſſe:* idem, ſibi *a Jehova linguam eruditorum datam* dicit, *ut ſciat opportunè loqui cum feſſo.* verſ. 4. quæ, ne quis de Chriſto dicta neget, paſſionis character additur verſ. 6. cœlaturæ illæ, ex quibus lapis ille, petra illa Mat: XVI. 18. dignoſci, ab attendentibus, perſpicuè poteſt.

XIV. Quin

Digitized by Google

XIV. Quin proprie Chriſto hoc nomen competit & primario, ut ita dicam. Memoriale Dei eſt, ſed peculiari modo illius angeli, cui, ut Jehovæ, plorans ſupplicavit Jacob: cui cum Jacob loqueretur, Deus pater dicit, *nobiſcum loquutus eſt*, id eſt, cum me & angelo illo, filio meo. Hoſ: XII. 5, 6. Saltem Jehova in Sinai loquutus eſt verba legis, Stephanus teſtis eſt Act: VII. 38. cum 30, 32, 35. Cui Paulus conſentit Hebr: XII. 26. Chriſti vocem fuiſſe, Chriſtus enim ille eſt, qui jam loquebatur, a quo ſe avertere tantum flagitium, qui ex cœlis venerat, Chriſti inquam vocem fuiſſe, quæ tempore datæ legis terram moverat, diſerte aſſerens. *Cui proprie competit.*

XV. Nec mirum, quoniam omne id quod Deus, vi hujus nominis factus eſt, id nobis in Chriſto & per ac propter Chriſtum factus eſt; *Quotquot enim ſunt promiſſiones Dei, in ipſo ſunt etiam, & in ipſo ſunt amen.* 2 Cor: I. 20. Venturus ad populum ſuum erat Jehova & medium perambulaturus pede ſuo Deut: XXXIII. 3. & paſturus oves ſuas Jeſ: XL. 5. 9. loquuturus ipſe cum populo Jeſ: LII. 6. cum iis diſceptaturus in deſerto gentium, ſub gentium imperio gementibus & per gentes diſperſis Ezech: XX. 35. Et ipſe futurus juſtitia populi ſui Jer: XXIII. 6. Hæc de Chriſto prædicta locorum curatior excuſſio probat: in Chriſto demum repleta eſſe eventus docuit. Ipſe *nobis a Deo factus eſt ſapientia, juſtitia, ſanctificatio ac redemptio.* 1 Cor: I. 30. Revera *Jehova juſtitia noſtra & Deus amen.* Jeſ: LXV. 16. *idem in quo omnes promiſſiones etiam & amen.* Unde & ipſe Deus Amen vocatur Jeſ: LXV. 16. quod ſi quis de Chriſto dictum eſſe neget, ipſum Chriſtum audiat, ſibi illud nomen vindicantem Apoc: I. 8.

XVI. Decenter quoque Deus fieri id omne, quo peccator indigebat, adeoque præſtare ea, quæ nomen Jehovæ pollicetur, haud poterat, niſi in viro, qui ipſi amicus, ſodalis, ſimilis eſſet. Redemptoris ἀξίωμα in alium qui non ſit *Sanctus Iſraelis* transſcribi non poteſt Jeſ: XLV. 25. talis igitur nos decebat pontifex Hebr: VII. 26.

Digitized by Google

XVII. Propterea, ut nomen ipſum, ſic & omnem ſignificatum illius nominis in Chriſto reperiri Johannes auctor eſt Apoc: I. 8. Chriſtus eſt ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος: magis genuina vocis Jehovæ tranſlatio & explicatio excogitari non poteſt. Verum ne vel tantillum deſideremus, *Et Spiritui Sancto.* Spiritui Sancto pariter id nomen datur Act: XXVIII. 25. 26. cum Ieſ: VI. 9. Hebr: III. 7. 9. IV. 3. 7. 8. Coll: Pſ: XCV. 7. 8. cum Exod: XVII. I. 7. Hebr: IX. 7. 8. cum Levit: XVI. 2. Hebr: X. 16. cum Jer: XXXI. 31.

XVIII. Hinc de factoribus Iſraelis in plurali dicitur, quod ſint *Jehova* Jeſ: LIV. 5.

XIX. Per Spiritum demum doceri poteſt & ab eo doctus eo transferri & formari homo peccator ut Jehova ipſi fiat id quod eſt. Quare non à filio tantum Jehova ſed & a ſeptem Spiritibus, a Spiritu, ſeptemplici tempore ſub N. Teſt. operaturo, gratiam precatur Johannes Apoc: I. 4. Sacerdos quoque, ut nomen Dei ſuper populum ponere non poterat, niſi, præter patrem Jehovam, etiam filio Jehova invocato: ſic & tertium addere jubetur; tertij quoque, qui Jehova ſit, mentionem faciens, Num: VI. 24, 25, 26. Gloria Dei Eccleſiam non replet, niſi per Spiritum; hinc Jehovam celebrans, Spiritus Sancti non obliviſcitur. Hoſeas Iehovam. קדשם *ſanctos*: Hoſ: XII. I. עליונין excelſos vocat. Dan: VII. 18. Jeſaias ter ingeminat *Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehova.* Jeſ: VI. 3.

XX. Provoco jam ad omnem conſcientiam, an non majorem in verbo Dei emphaſin, majorem ſapientiam, adeoque θεοπρέπειαν deprehendat, ubi hoc modo, ea quæ de hoc nomine dicta ſunt, intellexerit, quam ſi, hiſce repudiatis, nil niſi inanem & vanum tinnitum verbis reliquum faciat.

XXI. Imo falſo ſeſe iſtoc nomine Deus & abſque ſufficiente ratione decoraſſet, niſi talis eſſet, ut ipſe, ipſe inquam, id fieri nobis poſſit, quod ipſum futurum nomen hoc ſignificat. Ipſe juſtitia, ipſe ſanctificatio, ipſe rupes, profugium, gloriatio, ſalus noſtra. Nec tamen judicis ſe officio

abdicare

Digitized by Google

abdicare potuit; hinc, redemtor futurus, talis eſſe debet, ut utrique gloriæ ſuæ convenienter ſufficiat. Hoc eſt, ut filium & ſpiritum habeat. Sicque merito & omni in emphaſi ipſum vocamus Jehovam.

XXII. De ſecundo nomine אֶהְיֶה Exod: III. 13, 14. *EHE-*
quoniam cum priori ejuſdem originis eſt, & nil ſignificat, *JEH.*
quod non in priori contineatur, ſc: futurum Deum id quod eſt, ſigillatim agere nihil attinet.

XXIII. Tertium ſequitur אֱלֹהִים in ſingulari אֱלוֹהַּ Dii, *ELO-*
Deus. Tetragammato dignitate proximum id eſſe quinque *HIM.*
rationibus in Gen: I. 1. probat Abarbanel. Ut id ſaltem, Judæis non invitis, proxime poſt nomen Iehova expendamus, præprimis, cum & Etymon & uſus & forma idem triunius Dei gratiæ conſilium, quo omnia collineare contendimus, certatim prodant. Etymon quod attinet, non exoticæ *Ejus Origo.*
id, atque Arabicæ, ſed Hebrææ originis abitramur. Ortum debet voci אלה ſive verbo, quod jurandi & adjurandi; ſive nomini, quod execrationis ſignificationem habet, qua maledictus declaratur, qui hoc aut illud ſeu fecerit, ſeu omiſerit; nec Grammaticum illud, de ה in אלה Hebraico quieſcente, contrarium probat: forma vocis illud fulcimentum requirente, quippe ſine eo nec affixa nec numerum pluralem admittente, ut הִתְמַהְמֵהַּ *cunctari* a מַה quid: item יָהּ a יָאָה nec non הִתְלַהְלֵהַּ &c:

XXIV. Ab אלה igitur derivatum, Deo uni legiſlatori, *Significa-*
qui poteſt ſervare & perdere id jam primo & abſolutè com- *tus ejus.*
petit. Significat igitur Deum, illius naturæ eſſe & majeſtatis, qua juſtum ipſi, ac fas eſt, ut medium beatæ cum ipſo communionis acquirendæ ſpernentem aut negligentem, execretur. Adeoque ſub execratione id medium homini proponat, ſive id ſit imaginem Dei integram ſervare, eaque juxta præſcriptum Dei dignè ambulare: ſive, oblato ſeſe redemtori, in fiducia committere. Hinc fœderis ſanciendi cauſa additur אלה execratio: ſic Deut: XXIX. 14. 19. 20. 21. Poſt peccatum autem ſeſe ab execrando denominare, etiam quando ipſi

Digitized by Google

ipſi cum ijs res eſt, quorum ſeſe bonum eſſe & vitam & omnia teſtatur, qui fieri poſſet, niſi penes ipſum eſſet de ſalute peccatoris conſilium, quod ipſi ſub excratione exponatur: nimirum illi nuncio fidem atque animum adjiciendum, illi veritati adſtipulandum eſſe, Deoque eam exponenti fidendum, ni peccatori iteratam in ſeſe execrationis diram derivare volupe ſit.

Uſus. XXV. Uſum videamus. Peccatori dicit, *fiam tibi* לאלהים *Deus* ſeu in Deum, *Gen:* XVII. 6. Quid peccatori, ejuſmodi alloquium audienti, convenientius in mentem venire poteſt? quam 1. ſufficientem Deum eſſe, qui denuo fœdus pangat, pacemque faciat cum peccatore ſibi decenter: 2. imo penes Deum id decretum eſſe: quorſum enim alias iſtud alloquium, quod, poſito peccato, verum eſſe non poteſt, niſi ex ſingulari & gratioſo voluntatis divinæ conſilio.

Pluribus tribuitur, XXVI. Verum & pluribus id nomen in ſumma emphaſi datum legimus, nimirum ne & trinitatis myſterium inde nobis non identidem conſtaret, Pſ: LXXXII. 1. legitur *Elohim ſtetiſſe in cœtu Elohim* & verſ: 8. ſermo eſt ad eundem, diciturque, *ſurge Elohim, judica terram* Pſ: LXVIII. 28. *Invaleſce Elohim*, dicitur illi, qui *aſcendit in altum.* Is autem Chriſtus eſt, filius ille Dei. Eph: IV. Pſ: XLV. 7. *Solium tuum Elohim, ſeculum & æternitas.* verſ: 8. *unxit te ô Deus, Deus tuus:* quæ filio dicta Paulus teſtatur *Hebr:* I. 8. 9. & ex textibus ipſis valide probari poteſt.

Nec filio tenuiore ſignificatu quam Patri. XXVII. Neque vox Elohim Chriſto tenuiori & minus emphatica ſignificatione unquam tribuitur quam Patri. Quod patet ſi conſideremus, 1. ſine ulla limitatione Chriſto tribui, 2. à creaturis eum directè & abſolutè ita compellari: quod Moſi à Pharaone, nec ulli dictitio Deo unquam factum legimus. 3. Pater & Filius junctim ſubinde dicuntur verus Deus, 4. Filius ſic appellatur cum hypotheſi unitatis Patris & Filii. 5. ὁ θεὸς Deus ille dicitur. 6. Imo Deus dicitur contradiſtinctè ad omnes Deos dictitios Joh: x. 35. 1 Cor: VIII. 5. 7. Deus appellatur in regno Dei, poſt abro-

abrogatam omnem, ut ita loquar, Deitatem dictitiam, vindicatamque ab omni ſubjectione ſub Diis dictitiis Eccleſiam. 8. Significatus vocis Elohim & Θεός non convenit Chriſto niſi propriè & emphaticè; quippe is juſtitia, gloria, ſalus, vita & omnia peccatori, quæ Deus ſolus eſſe peccatori & fieri ipſe poteſt, & ipſum ſe futurum promiſerat, 9. Quin & iſta denominatione decoratur jam dudum antequam, juxta Socinum, ad eum ſtatum perveniſſet, in quo potiſſimum Deus dici, ex ipſius ſenſu, mereatur.

XXVIII. Spiritui Sancto pariter tribui non minus certum eſt. Act: v. 3, 4. 2 Sam: xxiii. 1, 3. Luc. 1. 68, 70. 2 Petr. 1. 21. *Et Spiritui Sancto.*

XXIX. Formæ autem & conſtructionis ratio hæc non leviter confirmant. Tam poteſtate enim quam forma plurale eſt. *Plurale eſt.* 1. quia non variat in plurali ſignificatum, neque in ſingulari collectivum eſt. Exceptio quidem eſt in vocibus אדון & בעל ſed & in hiſce communis plerumque regula obtinet: ut ſaltem ſæpiſſimè plurale ſignificandi vim eſſe voci אלהים negari nequeat. 2. pluralis autem numerus res ſignificatas auget, vel ipſo *Bechai in Leg.* Fol. 15. Col: 1. id fatente. Similiter *Rambam* minimum duo ſignificare pluralem aſſerit: *in Hilchot Iſſure Bia* Cap: vi. fol. 324. 1. imo vero & de hac noſtra voce idem ſtatuit אין אלהים פחות משנים Elohim non ſunt pauciores duobus. *ad Miſch.* 1. *Cod. Talm. Sanhedrin* fol. 114. Col: iii. 3. Cum verbo quoque ſingulari alias jungi non poteſt. Gen: 1. 1. accidit id quidem vocibus אדון & בעל ſed iis nunquam plurale additur, τῷ אלהים autem paſſim. 4. Cum verbo & adjectivo imo & pronomine quoque plurali non raro conſtruitur Gen: 1. 26. xv. 13. xxxv. 7. 2 Sam: vii. 23. Deut. v. 26. Joſ: xxiv. 19. Jer: x. 10. Pſ: lviii. 12. Gen: iii. 22. quæ ratio ita valida eſt, ut Judæi, ejus vim eludere conantes, Deo angelos jungant, 5. Accedit auctoritas Cabbaliſtarum, ut videri poteſt apud Clariſſ. *Altingium Diſſert. Philol.* iv.

XXX. Verum enim vero cum Dualis non ſit ſed plura-

Digitized by Google

lis numeri, ſaltem tres hac voce denotari perſpicuum eſt: pluralis non deſignat pauciores tribus ait ſcriptor Judæus ibidem citatus. Hinc quando de hominibus אלהים ſermo eſt, tres ſemper numero judices in pauciſſimorum quoque conſeſſu unanimiter requirunt.

XXXI. Elohim *in propria ſua ſignificatione non ſignificat unam perſonam, ſed tres. Dico, ſignificat tres perſonas, non tres Deos. Et ſic unus tantum eſt* Elohim: *non enim plures ſunt trinitates, ſed una. Neque* Elohim *ſignificat dii, ſed tres qui ſunt unus Deus. non enim eſt vox abſoluta, ut Deus, ſed intrinſecè reſpectiva; cujus adæquatum ſignificatum, ſine relatione ac multitudine ad perfectiſſimam unitatem revocabili, ne concipi quidem poteſt. Et fruſtra ejus profunditas Latinâ, vel Græcâ voce exprimitur.* Sunt verba Biſterfeldii contra Crellium pag. 513.

XXXII. Et notat *Elohim* eos, quos nomine Jehovæ Scriptura indigitat, de quibus dicit, eos, & Jehovam & unum eſſe, *Audi Iſrael, Jehova, Deus noſter, Jehova, unus.* Deut. VI. 4.

IAH. XXXIII. Proxime ſuccedit יה quod cum יהוה & אהיה volunt eſſe proprium non appellativum. Sic de eo Biſterfeldius. *Jah eſt nomen Chriſti proprium, ejus ex muliere nativitatem & incarnationem, omniaque ejus inde proficiſcentia beneficia exprimens Exod.* III. 13. *Hanc interpretationem tum contextus, tum univerſa ſcriptura docet:* Pro contracto Jehova habendum non cenſemus 1. quia lingua Hebræa iſtiuſmodi decurtata nomina vix admittit. 2. Voci Jehovæ ſubinde jungitur Jeſ: XII. 2. XXVI. 4. 3. Imo & eadem pericopa יהוה & יה & אדני frequentata reperiuntur. Pſ. CXXX. 1. 2. 3. Jeſ: XII. 2. XXVI. 4. 4. Nulla iſtius contractionis apparet ratio 5. Addo ſubinde abſtracti habere notionem.

XXXIV. Hinc de יה אלהים & יה שמי id eſt, Jah triunius Dei & nominis ejus legimus Pſ: LXVIII. 5. 19. Imo Pſ: LXXXIX. 9. rogatur Deus, quis ut tu, præditus Jah? quis ita præditus illa re, quæ Jah dicitur, ut tu Domine!

XXXV.

XXXV. Verbum יאה occurrit Jer: x. 7. nec non apud Paraphraſtem Chald. & Syrum N. T. interpretem, & decoris, ſeu decentiæ notionem habet. Ut hoc Dei nomen ab ea radice commode derivetur. Vulgata Jer: x. 7. habet *decus*. Syrus ut & Theodotion (hic enim verſus, una cum nonnullis aliis, ejuſdem capitis, deeſt in verſione LXX. virali) ac Chaldæus vertunt, *tuum enim eſt regnum*. Arabs, *tibi convenit*. Eo omnia redeunt, ut יה ſignificet decentiam, pulchritudinem, venuſtatem, concinnitatem Dei: qua & eſt, & ſeſe demonſtrat ita decorum, ita pulchrum, ita glorioſum, quemadmodum decet eſſentiam perfectiſſimam. *Origo.*

XXXVI. In Chriſto autem illius demum plenam fuiſſe & conſummatam demonſtrationem res ipſa clamat. Hinc Apoſtolus ex illius decentiæ conſideratione, totius operis redemtionis rationem prudenter arceſſit Hebr: II. 10. VII. 26. ubi decentiæ tribuit, quod Chriſtus paſſionibus conſummari, & talis ſacerdos ac dux eſſe ſalutis debuerit. Talis quippe Dei erat decentia, ut, nec alium dederit, nec in alio ſuam ita glorioſe oſtendere decentiam potuerit, præterquam in, cœlis ipſis excelſiore, filio. Paraphraſtes Chaldæus Pſalmi ſexageſimi octavi verſum decimum nonum, qui de Chriſto agit, ſub nomine יה יהוה vertit *majeſtas gloriæ Dei*, forte & *ἀπαύγασμα τῆς δόξης* recte dixeris. Ita Chriſtus deſcribitur Hebr: I. 3. Jeſaiæ XII. 4. *timor* habetur in Paraphaſi jam laudata. Certe in illo verbo, in Chriſto, tremenda juſtitiæ atque univerſæ gloriæ majeſtas conſpicienda data eſt. *In Chriſto conſpicienda quæ hoc nomine ſignificantur.*

XXXVII. Hinc יה dicitur *futurus in ſalutem* Exod: XV. 2. Et adverſus populi ducem, adeoque angelum aſſertorem, manum elevans Amalek, dicitur ipſius manus fuiſſe adverſus יה Exod: XVII. 16. eundem nimirum qui antea futurus *in ſalutem dicebatur*. Chriſtus hoc nomine inſignitur Pſ: LXVIII. 5, 19. cum Eph: IV. 8, 11. & laudandus eſt ac celebrandus, quod ipſe ſit, aut ipſi ſit יה i. e. pulchritudo ſeu decentia.

Digitized by Google

XXXVIII. Et quoniam ea decentia tempore N. Teſt. maximè manifeſtanda erat in Chriſto Ieſu, hinc de laudando יה Iah potiſſimum in iis Pſalmis legimus, quæ de N. T. prophetiam continent. CII. 19. CXIII. 1, 9. CXV. 18. CXVIII. 2. CXLVI. 1, 10. CXLVIII. 14. CXLIX. 1, 9. CL. 1, 6. Ut & in iis qui rerum ſub N. T. futurarum figuram & typum quaſi exhibent, eumque in finem ita res factas enarrant ut rerum ſub N. T. pictura ſint, e. g. Pſ: CV. 45. CVI. 48. &c.

XXXIX. Sic & deſtructo Babele, adeoque decentia hac Dei inſigni modo demonſtrata, libereque jam prædicata & agnita, *Hallelujah* ab eccleſia ingeminandum dicitur Apoc: XIX. 1, 2, 3, 4, 6. Jeſaias eccleſiam celebraturam dicit redemtorem ſuum ut יה יהוה Iah Jehova, cum Deus percuſſerit mare Egyptium & Euphratem, ut nec Turca nec Anti-Chriſtus amplius ſint impedituri acceſſum gentium & Judæorum ad Chriſtum: confer. Jeſ: XI. 15. Typicè quondam liberata eccleſia ſic olim cecinerat, *robur meum & canticum meum Jah* Exod: XV. 2. Non alium denotans, quam qui dux ipſis datus erat, ac defenſor, & qui geſtaturus erat ipſos, angelum facierum Exod: XXIII. I. cum Jeſ: LXIII. & Mal: III. 20-23. Ut nominis Jehova plenum implementum videatur tunc exiſtiturum, quando Jah, ſeu decentia Dei glorioſiſſimè conſpicietur, & nomen Dei in tota terra unum erit.

XL. Spiritus autem eſt, qui eam nobis detegit decentiam, qui eam in Chriſto monſtrat, & pios ad eam agnoſcendam ac celebrandam valide incitat.

Myſterium P. F. & S. S. innuit.

XLI. Quis jam myſterium Patris & Filii & Sp. Sancti hic non reperiat; niſi qui non attendit ad ea, quæ diximus. Nam & Chriſto Dei filio יה tribui, & ita vocari & in ipſo demum decentiam Dei unice reperiri, agnoſci, coli poſſe, per Sp. S. luce meridiana clarius probavimus.

ADONAI. Quando de Deo.

XLII. אדני Adonaj eadem nobis ſuggeret. Et de Deo & de creaturis uſurpatur. De Deo autem 1. quando abſolute ponitur i. e. nullo reſtringente limitatur ut Exod: V. 2. Pſ: XII. 5. Pſ: CXIV. 7. Mal: I. 6. 2. Quando effertur

cum

Digitized by Google

cum ה demonſtrativo. Id enim & in hac voce ita fulcit & auget ſignificatum, ut Deum ſummum neceſſariò ſignificet, quemadmodum Exod: XXIII. 17. XXXIV. 23. Ieſ: I. 24. III. I. X. 16, 33. niſi ratio manifeſta eam vim τῷ ה adimat ut Deut: X. 17. & Pſ: CXXXVI. 3. ubi cum ii Domini Deo & Domino ſuperiori ſubjiciantur palam hæc emphaſis ex ה ſublata eſt. 3. Quando ponitur cum additamento dilatante, ut Dominus univerſæ terræ & ſimilia. Ioſ: III. 11, 13. Pſal: XCVII. 5. Mich: IV. 13. Zach: IV. 14. VI. 5. &c. 4. Quando geminatur Deut: X. 17. Pſ: CXXXVI. 3. 5. Quando cum aliis divinis nominibus jungitur Ioſ: III. 13. Pſ: XXXV. 5. Exod: XXIII. 17. Ieſ: I. 24. III. I. X. 16. Pſ: CXIV. 7. Exod: XXXIV. 23. Ieſ: LI. 22. 6. Quando prædicata divina adduntur ut Pſ: CXXXV. 5. CXLVII. 5. Neh: VIII. 10. 7. Tandem cum *Kametz, quod non propter pauſam additum ſit, quando ſcribitur, æque ac Jehova, nomen unius Dei proprium, & nulli creaturæ, vel fictitio Deo communicabile eſt, quod agnoſcunt inter Judæos Onkelos, qui ubique pro eo habet* יי *& Rabbi David Kimchi, qui, citante Sixto Senenſi Lib.* V. *Biblioth. Annotat.* 100. *dixit, Adonai quoties ſcribitur cum Kametz honoris & excellentiæ cauſa Deo tribuitur, & e Photinianis Socinus in explic.* Pſ: LXVII. 8. *& Crellius l.* I. *cap.* X. *de attrib. præfixo libris Volkelii de Vera Religione. Hinc Judæi pro* יהוה *legunt* אדני. 135. *vicibus abſolutè de Deo ponitur, quanquam Maſora tantum* 134. *locos adducat.* Feſſel. Adverſ. Sacror. Lib. V. Cap. III. §. I. & 2.

XLIII. Lubet iterum Biſterfeldium audire. *Propriè ſumtum tres perſonas ſuas creaturas ſua voce conſtitutas gratioſiſſimè ſuſtentantes, hoſtibus vero potenter ac judicialiter reſiſtentes exprimit, ſignificat autem gratioſam rerum aliàs per ſe lapſurarum quaſi manutentionem. Aliquando ponitur in ſingulari, idque vel cum affixo ſingulari, ubi ſignificat ſpecialem fiduciam & applicationem* Pſ: CX. I. *vel additis epithetis ut* Mal: III. 2. *Plerumque in plurali cum Kametz. ubi vel*

Digitized by Google

propriè pro tribu, vel Synecdochicè pro una perſona accipitur, ut pro patre Pſ: 11. 4. *pro filio* Gen: xv. 3.

Vocis formæ. XLIV. De Forma vocis videri poteſt Hackſpan. Sylloge Diſp. de nomin. Divinis 11. Quando cum patach Scribitur, eſt plurale cum affixo. §. 26. & ſeq.

Significatus. XLV. De ſignificatione rectè in Concordantiis Kircherus אדון *Dominus, ſuſtentator; columen familiæ ſeu Reipublicæ ſic dictus, quod, ut baſis ædificium, ita huic curatio & adminiſtratio rei incumbit ac nititur. De Deo* אֲדֹנָי *ſcribitur & filius Dei intelligitur, qui ſuſtentator & columna eſt eccleſiæ ſuæ.*

XLVI. Derivatur ab אדן/ quæ vox baſin ſignificat & ſuſtentaculum ac columen cui ædificium aut columna imponitur & innititur. Et ſane, ſive primam rerum creationem, ſive ſuſtentationem ulteriorem, ſive redemtionis & gratiæ opus univerſum conſideremus, baſin, fundamentum, ſuſtentaculum eſſe Deum, qui potenti ſua voluntate omnia ſuſtineat, nemini poteſt eſſe dubium.

Qui non admiſſa fide myſterii P. F. & S. S. concipi non poteſt. XLVII. Hic autem ſignificatus de Deo convenienter Scripturæ concipi non poteſt, non concepta trinitate & conſilio gratiæ; ſiquidem baſis creatæ molis eſſe non poſſit, niſi ea talis ipſi inædificetur, ut quâ glorioſæ demonſtratio gratiæ commodiſſime repræſentetur; ipſeque eam ita ſuſtineat, ut, qui tale opus & molitus ſit, & per omnia exequatur.

XLVIII. Certè novæ creationis perficiendæ cauſa, ipſa terra cum rerum omnium univerſitate fundata & אֲדָנֶיהָ baſibus ſuis Iob: xxxviii. 6. impoſita eſt Pſ: xxiv. 2. Hinc ex terræ fundatione Chriſti regnum numquam diſiturum poſt Davidem Pſ: cii. 26. 29. Paulus colligit Hebr: 1. 12.

Præprimis Filio competit. XLIX. Filius autem cum ſit *initium* adeoque origo *viarum* Dei Proverb: viii. 22. ut quæ fecit Pater ea & fecerit filius Ioh: v. 19. 1. 3. & ſecula per ipſum condita non ſolum ſint Hebr: 1. 2. verum & omnia, baſis inſtar, ſuſtentet verbo ac juſſu ſuo potenti Hebr: 1. 3. ut omnia ſimul

in

in ipſo ſubſiſtant Col: 1. 17. nominis hujus notio ſeu res ſignificata palam in filio reperitur.

L. Eccleſiæ baſis, & petra, cui ea inædificatur, ipſe eſt Mat: XVI. 18. Jeſ: XXVIII. 16. Id in tabernaculo effigiatum fuit, cui baſes argenteas אַדְנֵי־כֶסֶף & columnas auro obductas מְצֻפִּים זָהָב fieri Deus juſſit Exod: XXVI. 19, 21, 32, 37. Quippe merito, candidæ, &, argenti inſtar, albicantis obedientiæ Chriſti, divinitatis, tanquam auri, ſplendore, valore, ſoliditate, ornato & aucto, eccleſia inædificanda erat. Hinc Chriſti, eccleſiam ſuſtinentis, *crura* dicuntur *columna marmorea fundata* עַל־אַדְנֵי־פָז *ſuper baſes auri obryzi*. Cant: V. 15.

LI. Ut jure merito hoc nomen præprimis filio Dei vindicemus: & Patri tribuendum dicamus, eam potiſſimum ob rationem, quod filium habeat, in quo decreverit, & fecerit, cuique tanquam baſi impoſuerit eccleſiam, quæ rerum omnium opus eſt primarium, & propter quam, cætera ſunt condita, adeoque una cum eccleſia Dei filio tanquam baſi innixa.

LII. Sæpe eo ſenſu occurrere, ut οὐσίαν καὶ φύσιν θεοῦ tribus perſonis communem, adeoque Deum triunum denotet, non negamus, verum non niſi cum reſpectu ad myſterium jam propoſitum.

LIII. Hinc filio ſæpiſſime ut & Spiritui Sancto datum legimus.

LIV. Filio: Joſ: V. 14. *Iſte angelus eſt angelus redemtor, qui eſt facies Dei*, Exod: XXXIII. 14. *Atque facies Dei ſignificat ipſum Deum, ut fatentur omnes interpretes. De hoc dicitur nomen meum in eo eſt.* Hæc Gerundenſis, citante Maſio in Joſuam. Hunc angelum eundem eſſe cum eo de quo dicit Jehova Exod: XX. 21. *nomen meum eſt in medio ejus* aſſerit Rambam in l. Exod. Imo juxta Kabbaliſticam explicandi rationem myſticam, pariter aſſerit « *hunc angelum eſſe angelum redemtorem, qui dixerit Ego ſum Deus ille Bethelis, angelus dicitur quia per hanc proprietatem fiat omnis* « *guber-*

Et ſæpe datur.

„ *gubernatio mundi.* Hic angelus eſt Metatron, eſt Schaddai Confer quæ dicemus ad nomen שדי *Metatron nominatur* ait Bechai in loc. Exodi *quod in hoc nomine comprehenduntur duo ſignificata nempe* אדון & אלוה *Dominus* & *Nuncius. Hic quia cuſtodit mundum vocatur* שומר ישראל. Elias *in* Tiſbi adducit *hunc angelum dici* שר הפנים *Principem faciorum.* Confer Schmid. Colleg. Biblic. Loc. III. Dict. III. Coccej. Sanhedr. p. 82. Et ſane, qui Jehova, qui dux exercitus Jehovæ dicitur, qui urbis Hiericho ſibi traditionem arrogat, & a Ioſua divino honore afficitur, alius a Deo eſſe non poteſt. Idem Juſtinus Martyr, Origenes & Euſebius de hoc loco. Adde quod VI. 13. ubi, antequam cognoſceret, אֲדֹנִי *domine mi* compellat, deinceps אֲדֹנָי vocat verſ. 15. & Jehova verſ. 14. & qui Gideonem reſpexerit ac miſerit. Cui Gideon Sacrificium obtulit verſ. 18. Qui igne Gideonem exaudivit verſ. 21. Cui Gideon altare exſtruxit. verſ. 24. Præterea Pſ: XLV. 12. compellatur eccleſia ut ſponſa, eique dicitur, *quoniam ipſe*, de ſponſo loquitur Chriſto Jeſu, eſt אֲדֹנַיִךְ *& adora eum* וְהִשְׁתַּחֲוִי־לוֹ *& etiam, proinde*, eſt enim hic illativum; ita eſt Dominus tuus, ut inde ſequatur adoratio. Accedit Pſ: CX. 2. Hic eſt inquit R. Saadias Gaon ad Dan: VII. 12. Meſſias, auctor juſtitiæ noſtræ: quomodo ſcriptum eſt Pſ: CX. 2. Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis. Et dedit ei poteſtatem &c. ſicut ſcriptum eſt Pſ: II. 6. &c. Ego autem unxi regem meum ſuper Sion. Verba Hebræa habet Voiſin Jud. Theol. pag. 49. Idem Angelus Dan: XII. 8. cum Apoc: I. 13. II. 8. Zach: I. 9. IV. 5, 13. VI. 4. quinquies אֲדֹנִי vocatur. Zach: III. 2. Jehova dicitur, angeliſque malis & imperiis juſſa dare verſ. 8. Cap. I. nec non ea agere, quæ Dei & mediatoris ſunt: ut eſt, interior impulſus atque inſpiratio, I. 9, 13, 14. II. 7. IV. 1, 4, 5. V. 5. 10. VI. 4. interceſſio efficax, I. 12. vindicta in hoſtes, II. 13. jus & Dominium in populum Dei, II. 15. patrocinium & defenſio eccleſiæ adverſus Satanam ἀντικατηγορική, III. 1. 6. imo peccatorum remiſſio & juſtitiæ imputatio,

III. 3,

III. 3, 4, 5. Porro Mal: III. I. Nec non Dan: IX. 17. ubi exauditio precum *propter* ipſum flagitatur. Gen: XVIII. 3. 17, 31, 32. XIX. 18. De angelo illo ſermo eſt, qui ut Jehova fecit pluere a Jehova: XIX. 24. confer phraſin cum 2 Tim: I. 18. Tandem Exod: IV. 10, 13. V. 22. cum Act: VII. 30, 31. Jud: V. & Jud: VI. I. Jeſ: VI. I.

LV. Et hæc in veteri catecheſi ſic olim docta fuiſſe vix dubitet, qui legerit ea, quæ ex Rabbi Ioſeph ben Gecatilia adfert Buxtorfius in Diſſertat pag: 278. & 279. lubet ipſius verba exſcribere. „Rabbi Ioſeph ben Gecatilia ſcribit in „libro *Porta lucis*, in quo expreſſè agit de Nominibus divi-„nis: Nomen primum, quod proximum (i. e. facillimum) „eſt rebus creatis, eſt per quod ingrediuntur in conſpectum „Regis DEI BENEDICTI, ſineque quo nulla alia datur „via videndi faciem Regis, eſt nomen illud, quod vocatur „ADONAI. *Item:* Nomen ADONAI eſt Theſaurus, in „quo repoſita ſunt omnia ornamenta & κειμήλια Regis &c. „*Item:* non eſt ulla ratio conjungi cum nomine JEHOVÆ, „niſi per manus ADONAI. Et quia iſtud Nomen eſt ταμεῖον „Nominis Tetragrammati, & Palatium, in quo JEHOVAH „habitat, idcirco Nomen יהוה in Scripturâ ſemper legitur „per אדני ADONAI, quaſi innueretur, quod quicunque „quærit JEHOVAM, eum inventurus ſit per nomen „ADONAI. *Item:* Omne dominium Dei eſt per manus „ADONAI. Et quia nulli creaturæ via patet ingrediendi „ad nomen Dei, nullæ etiam orationes, precationes & de-„precationes ingredi poſſunt ad Deum, niſi per nomen hoc „ADONAI, idcirco ordinarunt veteres illud in principio „omnium precationum, ut; ADONAI, *Domine labia* „*mea aperias*, Pſalm: 51. 17. Per manus enim hujus Nomi-„nis effundit Deus omnis generis influentias per nomen „ADONAI, & in eo ſunt reconditi omnes theſauri Regis „& omnes ejus divitiæ &c. Hæc & ſimilia apud Authorem „nominatum leguntur, quæ hic adducere viſum fuit, quod „iſtis, quæ de Nomine ADONAI hic dicuntur, eleganter

„nobis repræſentetur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & eo „ſenſu nomen DOMINI apriſſimè ei congruat. *Nemo enim „venit ad Deum Patrem, niſi per ipſum*. Joh: 14. 6. *Qui „ipſum novit, novit etiam Patrem.* ibid. *Ille in Patre eſt, „& Pater in ipſo*, verſ. 10. 11. *Ipſe & Pater unum ſunt*, „Joh: 10. 30. *Nemo Deum novit unquam; unigenitus ille „Filius, qui eſt in ſinu Patris, revelavit eum nobis*, Joh: 1. 18. „*Ille eſt, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & cognitionis.* „Col: 2. 3.

Ut & Sp. S. LVII. Spiritui Sancto: Dan: x. 16, 17, 19, 21. Feſſelins Adverſ. L. v. Cap. III. §. 8. hæc habet: *nomine* אדני *vera quoque divinitas Sp. S. adſtruitur: Nam quando Moſes* Exod: xxxiv. 9. *ad Jehovam dicit, vadat quæſo* אדני *Dominus in interiori noſtro; tum Onkelos reddit: vadat nunc* שְׁכִינְתָא דַיְיָ *inter nos; ubi, monente Rabbi Elia in Tisbi & Methurgeman Spiritus Sanctus voce* שכינתא *deſignatur, utpote cui eductio Iſraelitarum ex Ægypto, ejuſdemque ab Iſraelitis facta exacerbatio, adſcribitur*, Jeſ: LXIII. 10. 11. Act: VII. 51.

LVIII. Ut mirum non ſit, Deum in plurali vocari אדנים Mal: 1. 6. Neh: III. 5. Hoſ: XII. 5. ad ſignificandum, tum Sacro-Sanctam trinitatem, tum ut ita loquar, requiri ad verum conceptum Dei, ut concipiatur quemadmodum eſt, baſis & columen rerum omnium ac præſertim eccleſiæ.

EL. LIX. אֵל *eſt nomen Dei eſſentiale primum, quod proprie ſumtum tres perſonas omnia ſapientiſſimè & efficaciſſimè facientes & gubernantes exprimit. Nimirum ſignificat vivificam illam rerum omnium adminiſtrationem. Synecdochicè ſumtum aliquando ſignificat patrem* Pſ: XVI. 1. *plerumque Chriſtum*. Hæc Biſterfeldius.

Unde. LX. A fortitudine & robore Deo tribui non eſt dubium. *Primum nomen Dei eſt* אֵל *quod Septuaginta* Θεὸν, *id eſt, Deum; Aquila,* ἐτυμολογίαν *ejus exprimens,* ἰσχυρὸν, *id eſt, fortem interpretatur*, citante Hieronymo, in Epiſt. ad Marcellam. Quanquam & apud LXX. ἰσχυρὸς pro אֵל repe-

Digitized by Google

reperiatur loco non uno, ut ex Concordantiis Kircheri videre eſt.

LX. Prima vice occurrit Gen: XIV. 18, 19. 20. 22. qui locus anſam dat ſimilia cum præcedentibus, de hoc quoque nomine Dei cogitandi. Imprimis ſi & alia loca, in quibus hæc vox reperitur, ſedulo conferamus. Gen: XVII. 1. 2. & XXXV. 11. fœdus cum Abrahamo erigens Deus, & eximias proponens promiſſiones hoc ſeſe nomine inſignivit. Et quando, fidem in venturum Meſſiam profeſſus, Abraham ſolenni cultu Deum veneratur, ſub hac eum denominatione conſiderat Gen: XXII. 33. Iſaac Jacobo benedictionem a Deo precaturus Deum אל vocavit Gen: XXVIII. 3. Sic & Jacob filiis in Ægyptum profecturis ab אל bona omnia pollicetur Gen: XLIII. 14. Ioſephum ita emphatice ab אל omne bonum expectare jubet Gen: XLIX. 25. Nec non Moſes pro Aarone & Mirjam intercedens Deum in fide, hac voce compellat Num: XII. 13. Adde Gen: XLVIII. 3.

LXII. Et ſanè Iſaaci Deus ſignate Deus dicitur, non niſi ex gratiæ conſilio, quod triunius eſt, nec aliter concipi poteſt. Ut talis autem אל vocatur Gen: XXXIII. 20. Imo Deus Iſraeli calcar additurus, ut intrepido Ægyptum peteret animo, ſic eum compellat Gen: XLVI. 3. *ego* האל *ille Deus, Deus patris tui, ne timeas deſcendere in Ægyptum, nam in populum magnum ponam te ibi.* Hinc domus Dei, in qua gratioſe cohabitabat Patriarchæ, & familiariter cum ipſo converſabatur angelus quoque fœderis, בית אל Bethel vocatur Gen: XXXI. 13. XXXV. 7. Illius σκήνωσις ἐν ἡμῖν ſatiè ſignificatur, cum Domus Dei mentio eſt. Imo ipſe, ut objectum ſalutaris cognitionis, Iſraeli ut אל erat obverſatus Exod: VI. 1. Gratiarum actio pro liberatione præſtita, ad Deum ut אל, dirigitur. Exod: XV. 2. 10. Nomen quoque ſuum proclamaturus, nec non juſtitiæ ac miſericordiæ indicium decenter exhibiturus, ſe nomine אל ornat ipſe Deus, Exod: XXXIV. 6.

LXIII. Nulla quoque in re ita effulget τὸ κράτος τῆς

ἰσχύος τοῦ Θεοῦ quemadmodum in redemtionis opere Eph: I. 7. ut, ſi a potentia ſic dicatur, procul dubio id alludatur, in quo luculentiſſima roboris divini fuerit demonſtratio, redemtionis opus. Cujus occaſione & manus & brachium & potentia Dei potiſſimum memorantur.

Inde & Trinitas innoteſcit. LXIV. Aſt, ne & trinitatis inde non innoteſceret myſterium, non tantum voci plurali אלהים venuſtè jungitur Gen: XLVI. 3. eundem quippe notat trinum quem Elohim: Nec minus certum eſt haud poſſe eſſe אל qui non ſit triunus, quam non poſſe eſſe Elohim: verum & ille Deus בית אל de ſe in plurali loquitur; notatu dignus locus eſt Hoſ: XII. 5. ubi Pater dicit, quando Jacob luctabatur cum angelo, luctatum eſſe non cum Deo tantum, ſed luctatus *eſt* עִמָּנוּ *nobiſcum*; cum Deo qui eſt triunus.

Filio tribuitur. LXV. Hinc & filio Dei non uno loco tribuitur. Gen: XVI. loquitur verſ. 7. 12. angelus Iehovæ, illum videt Hagar; & verſ. 13. teſtatur ſe vidiſſe אל quem vocat & Jehovah & אל. Deut: XXXII. 15, 16, 17. agitur de peccato a Judæis commitendo in Chriſtum, qui rupes vera eſt Jeſ: XXVIII. 16. eam autem rupem ſpernere, illius oblíviſci, erat oblivinioni dare τὸν אל verſ. 18. Qui cœlum conſcenſurus erat in auxilium populi Dei eſt filius, is autem אל dicitur Deut: XXXIII. 26. Idem Pſ: LXVIII. 25. Imo & addito tali epitheto, quod omnem dubitationem eximit Jeſ: IX. 6. אֵל גִּבּוֹר.

SCHADDAI. Etymon. LXVI. שַׁדַּי plerumque adjective, nonnunquam ſubſtantivè venit. Nonnulli a שד *uber*, alii a שדדה quod Chaldæis & Syris notat fudit, effudit, & metaphoricè jecit, jaculatus, ejaculatus eſt 1 Sam: XX. 36, 37. Exod: XIX. 13. ut שדי tantundem ſit ac jaculator: tela certè habet quæ jaculetur dominus & quibus lædat & occidat hoſtes Pſ: VII. 14. aut electos convertat Pſ: XLV. 6. aut defendat, aut ſuos caſtiget; unde non inconcinnè alicubi a Sebaſt. Schmidio vertitur *fulminator*. Job: VI. 4. חִצֵּי שַׁדַּי *ſagitta fulminatoris*; certe fulminatori ſagittas tribui haud mirum eſt, tela Jovi tonanti adfinxit antiquitas.

Digitized by Google

tiquitas. *Vibrataque jactat fulmina* Ovid. II. Metam. Erant fulmina poſtulatoria, monitoria, auxiliaria &c. Alii a שַׁדַּד id autem denotat I. vaſtari, quod alludit Spiritus S. Joel: I. 15. II. Symphoniam muſicam, in qua *ex diſcordibus & ſe mutuo vaſtantibus & ſe infringentibus tonis harmonia oritur*, ut ad Eccl: II. 8. notat Coccejus, & III. pinguedinem. Alii putant tantundem valere ac שׁ pro אשר & די qui eſt די aut cui eſt די quæ vox notat ἱκανότητος *ſufficientiam* Mal: III. 10. vel 12. Prov: xxv. 16. Sane ex Dei omniſufficientia omnes creaturæ, præſertim nova, tanquam ex uberrimo fonte, eſſentiam, motum atque omnia derivant. Jacula ipſi in promtu ſunt quibus convertat, defendat ſuos, occidat hoſtes, quin ipſum diabolum, cui peſtis & ſeu peſtiferum fulmen eſt Hoſ: XIII. 14. 1 Cor: xv. 55, 56. puniendæ creaturæ propter peccata vaſtantur, & reliquæ unicè a vaſtatione conſervantur, in ordinem amœniſſimum rediguntur, ac retinentur, ut *pinguedo* & *ubertas* & quantum *ſufficit* ſit eccleſiæ in Chriſto Jeſu. Sufficientia igitur Dei, imprimis ad opus miſericordiæ præſtandum, & adverſarios ſuos puniendum, hoc vocabulo innuitur. Imo, ſic optimè Biſterfeldius, *ſignificat Deum & poſſe & velle electos ſuos gratioſiſſimè liberare, ſuos vero & eorum hoſtes perdere. Complectitur itaque in ſe omnia attributa ad redemptionis pretium plene perficiendum neceſſaria. In hoc nomine fundatur definitio perfecta fidei* Heb. XI. I. cum X. 13. ut recte LXX. præter θεὸς, ὢν, κύριος, ἱκανὸς & παντοκράτωρ vertant: ſemel retinentes vocem ζαδδαΐ Ezech: x. 5. Symmachus & Theodotion hic habent ἱκανοῦ, Mirum quod LXX. alicubi tranſtulerint ὑλώδης λίαν Job: XXIX. 5. & excuſari non poteſt, niſi Dei ſufficientiam reſpexerint, quaſi *materia copioſum* dicerent: propius a recto ſenſu abſunt Job: VIII. 3. ubi τὰ πάντα ποιήσαντα & Pſ: LXVIII. 15. ἐπουράνιον & XC. I. Θεὸν τοῦ οὐρανοῦ vertunt.

LXVII. Unica vice LXX. habere vocem λόγου Ezech: I. 24. Vogelſangius monet in Exercit. Theol. Aſt conſulta

Digitized by Google

editione Londinenſi; ad Vaticanum expreſſa, vocem λόγε non reperio; in Wecheliana autem anni 1597. occurrit, ut & in Waltoniana & notis Flaminii, nonnulli codices nec non Theodoretus ibi legunt θεȣ̃ ζαδδάϊ. Aquila præterea & Symmachus, teſte Theodoreto, pro Saddai poſuere ἱκανȣ̃. Apud Theodoretum ſequitur ἐν τῷ πορεύεσθαι αὐτὰ φωνὴ τȣ̃ λόγȣ, ὡς φωνὴ παρεμβολῶν, *cum ipſa ambularent, vox* VERBI, *quaſi vox caſtrorum*. Iſtud quidem, φωνὴ λόγȣ S. Hieronymus agnoſcit ex LXX.

Uſus. LXVIII. Videamus uſum τȣ̃ שדי in ſacris. Deus ab Abrahamo exigit, ut ambulet ſincerè & coram ſe, & ut integer ſit, addita promiſſione de dando fœdere inter ſe & ipſum: illud ut agat, hoc ut vera fide credat Abraham, hæc præfatur Deus, ego Deus שַׁדַּי *omni-ſufficiens* quod ut ſapienter factum eſſe agnoſcamus, talia eo nomine ſignificata eſſe ſtatuendum eſt, qualia in Deo conſiderari debent, ſine quibus id in mentem inducere homo peccator haud poſſit. Adeoque & gratiæ conſilium & myſterium Patris, F. & Sp. S. Id credit Iſaac, quando filio benedicturus ſic infit; *Et Deus Schaddai benedicet tibi, & faciet te fructificare, & multiplicabit te, & fies cœtus populorum, & dabit tibi benedictionem Abrahami, tibi & ſemini tuo tecum, ut heredites terram peregrinationum tuarum quam dedit Deus Abrahamo*, Gen: XXXV. 11. Quorſum hæc apprecaturus filio Deum ut שדי conſiderat, a Deo ut שדי id expectat, niſi ob cauſam jam dictam? Ipſe Deus id palam jubet, ut a ſe talia expectentur, tanquam a שדי Gen: XLIII. 13. *Ego Deus Schaddai, fructifica & creſce*. In hoc nomine precatur Jacobus filiis ſuis, ut iis det miſericordiam coram præfecto Ægypti, XLVIII. 3. Jacob enarrans & repetens filio Joſepho ea, quæ apud Luz ſibi erant promiſſa, Deo adſcribit, ſed ut שדי. Eadem premit veſtigia Joſephus Cap: XLIX. 25. omnia a שדי derivans.

LXIX. Imo quando Deus ut objectum fidei, ſpei, amoris, omniſque adeo cultus ſalutaris, patribus obverſatus eſt, eum ut שדי fuere contemplati; ut שדי enim invocarunt, cele-

Digitized by Google

celebrarunt. Exod: VI. 3. Sic qui a vera pietate, a verò timore Dei deſciſcit, timorem שדי deſerere dicitur Job: VI. 14. Deum, ut ad quem ſe convertere homo miſer debeat, quò *ædificetur*, adeoque ſalvus fiat, tanquam שדי rectè proponit Eliphaz Job: XXII. 23. Peccator veniam peccatorum & remiſſionem ſperat: nec non ut impiorum interitum, ſic ſui ſalutem, expectat a שדי Job: XXXI. 2, 35. notanda ſunt verba, quæ extant XIII. 3. cum 16. XXII. 3, 23, 26. XXIV. 1. XXXIX. 35. XXI. 15. Quos gratia Dei conſervat ad ſalutem, quique de divino ſecuri eſſe poſſunt auxilio, ſub umbra ꝭ שדי pernoctari dicuntur Pſ: XCI. 1. Imo & παιδεία fidelium, caſtigatio, diſciplina, qua, in ipſorum bonum, cupiditatibus frenum injicitur, peculari ratione τῷ שדי adſcribitur Job: V. 17. Hinc afflicta pia Naomi manum ꝭ שדי agnoſcit Ruth: I. 20.

LXX. Cum autem nec ſufficientia Dei, nec voluntas ejus ad ſervandum peccatorem, abſque divinarum abnegatione virtutum, & ut conſcientiæ omnino fiat ſatis, concipi rectè poſſit niſi triunus concipiatur, & qui æternum condiderit teſtamentum, ſequitur, eum nec ut שדי rectè concipi poſſe, niſi ita menti obverſetur, ut jam diximus, adeoque vocis שדי emphaſin ac vim utrumque importare ac dicere myſterium. Quod eſt demonſtrandum. *Innuit & infert ac ſupponit myſterium P. F. & S. S. nec non Conſilium Gratiæ.*

LXXI. Non poſſum non addere, Judæos ad locum Exod: XXIII. 21. *nomen meum in medio* ejus eſt, notare *veteres Rabbinos dixiſſe quod hic angelus ſit* מטטרון *Metatron qui idem cum Domino ſuo nomen habet: nam Metatron per Gematriam eſt* שדי *fulminator omnipotens.* Raſi ad l. Aben Ezra dicit eſſe Michaelem. Rambam pariter, *hic eſt Metatron cujus nomen idem eſt cum nomine Domini ejus, quia Metatron per Gematriam idem eſt quod* שדי *fulminator omnipotens, verba ſunt Raſchii.*

LXXII. צְבָאוֹת Zebaoth ab ipſis Judæis quoque nominibus Dei accenſetur, ut ex Maimon. L. I. Jad, ſeu Miſchne Thora rectè probat Hakſpan. De Nom. Dei Diſp. I. 5. 5. *ZEBAOTH.*

Pro

Digitized by Google

Pro Maimonide militat ratio e ſcripturis petita, quæ paſſim hanc vocem per appoſitionem quaſi quandam יהוה צבאות exhibet: unde Rom: IX. 29. Græcus, Syrus, Arabs, eandem vocem retinuere. Adde Chaldæum & LXX. in V. T. Quanquam & hi ſubinde vertant παντοκράτωρ & ſemel ἅγιος Jeſ: XIV. 27. Verſio V. retinet Zebaoth Jer: XI. 20. & Jac: V. 4. Judaica verſio Germanica Mal: I. habet גאט דער הער ut noſtri Belgæ: **God der Heyrſchaaren.** Hieronymus & Origenes ſanctis Dei nominibus accenſent, quandoque ſcribitur, ut nonnulli notant, ellipticè צבאות יהוה quandoque plenè יהוה אלהים צבאות Pſ: LXXX. 5, 8, 15, 20. LXXXIV. 9. Nonunquam in ſtatu conſtructo 1 Reg. XIX. 10, 14. Pſ: LXXXIX. 9. Hoſ: XII. 6. Am: IV. 13. Noldius autem in Concord. p. 955. pro nomine proprio non agnoſcit, niſi junctum cum יהוה aut Elohim. Nos Amoſo credimus, exerte dicenti: Jehova, Deus excercituum nomen ejus, Amos: IV. 13. Quanquam fateamur *nuſpiam ſolum & abſolute poſitum tribui, ſed ſemper præcedente alio aliquo nomine* Dei, ut יהוה vel אלהים *vel utroque ſimul.* Buxtorf. Diſſert. p. 279. Rem ipſam videamus.

Significatio. LXXIII. צבא Denotat multitudinem, ſed in ordinem redactam, quo quiſque ſuum habeat locum & tempus, & bello deſtinatam & imperantis ſubjectam nutui.

Christo competit. LXXIV. Chriſto autem filio, triumphum ab adverſariis bello reportandum, adeoque victoriæ gloriam, decrevit Deus.

LXXV. Hinc jam ab ipſo initio in excrcitus formam, quæ in hoc univerſo ſunt, redacta eſſe, quin & exercitus nomine deſignata legimus Gen: II. 1. κόσμος hic habent LXX. ſic Pſ: XXXIII. 6. Symmachus habet διακόσμησις, nec inconcinne: hic ordo enim rerum ornatus erat & διακόσμησις. Angeli in ordinem redacti, cui ſubjecti ſunt, niſi filio Dei, ut regi eccleſiæ? Pſ: XCVII. 7. Hebr: I. 6. cui præſto ſunt ut λειτουργικὰ πνεύματα miniſtratorii ſpiritus ad miniſterium miſſi propter hereditaturos ſalutem? Hebr: I. 14. nonne filio Dei?

Digitized by Google

Dei? Et quis in excercitus formam ſic univerſa concinnavit niſi Spiritus Pſ: xxxiii. 6. qui filij eſt, qui a filio mittitur, qui propter filium & in ipſius gloriam cuncta operatur; ut filius aliquando tanquam πάντων ἀρχιστρατηγὸς glorioſiſſime omnibus dominetur. Et per peccatum turbata concinnitate iſtius ordinis, denuo in eum rediguntur; qui Chriſto ad exequenda glorioſiſſima bella maximè concinnus & commodus videri poſſit. Imo re propius penſiculata, hunc in finem & creata, & tali modo ac ordine creata eſſe omnia, ut inſtar exercitus, Dei filio inſerviant, eventus & res ipſa, & Dei tum beneficia tum judicia clamitant. Pſ: cxlviii. 6. De gentibus notandum, quod ſummi hactenus imperatoris nutibus haud obſequentes, tum peculiari ratione exercitus dicantur, quando Chriſto ſubjiciuntur, & evadunt amœna eccleſiæ hereditas Jer: iii. 19. המון dicuntur Gen: xvii. 4. quæ vox qualemcumque multitudinem ſignificat; ſed non ſubjicienda Chriſto, non adeunda eccleſiæ hereditas, niſi in formam exercitus redacta.

LXXVI. Hujus populus Iſraeliticus agminatim, &, ordinatiſſimi inſtar exercitus, ex Ægypto eductus, & in ipſo deſerto caſtrametatus Typus eſt Exod: vi. 25. Quem non ſine ſtupore vidit Bileam Num: xxiv. 2-9. coll. ii. 2. &c. Imo & exerte exercitus Dei dicitur Exod: xii. 41. vii. 4. Huic reſpondet res ſignificata, eccleſia ex omnibus gentibus colligenda. Ut emphaſin habeat, quod Deus, ſe *Magnum prædicans & hocce nomine* inſigniens, ilico ſubdat, *& nomen meum* erit *reverendum in gentibus.* Mal: i. 14. Chriſtus quoque paſſim ut dux exercitus, ut bellator, ut victor occurrit in ſacris. Pſ: xxiv. 8. Jeſ: xlix. 24. 25. Apoc: vi. 2. Jeſ: xxvii. 4. Hinc novies παντοκράτωρ, quæ vox fere centies צבאות valet τοῖς LXX vocatur in ſola Apocalypſi. Quin & exertè dicitur dux exercitus Jehovæ Joſ: v. 14. De angelo enim adorato, & ſe Deum probante, iſtic ſermo eſt. Eidem exercitus euangelizantinm ſub N. T. ſubſerviunt Pſ: lxviii. 12. Principes & ductores populi habet, exercitus inſtar,

ſibi obtemperantes Dan: VIII. 10. Eundem exercitus ſacerdotum olim effigiavit Num: IV. 23. Templum fuiſſe angeli, olim in rubo habitantis, angeli interpretis, & vindicis המליץ & הגואל habitaculum, certum eſt; quapropter & Dominus templi vocatur Mal: III. 1 ille autem angelus eſt dux exercitus Principum populi Dei, cui ſacrificia offeruntur Dan: VIII. 12. Paſtor Iſraelis idem erat qui olim habitabat inter Cherubim Pſ: LXXX. 2. & ibidem plus ſemel ipſe, & Deus in ipſo, ac propter ipſum, Jehova Deus exercituum vocatur. Is qui olim inter humeros Benjaminis habitationem fixit, (in poſteriori parte, adeoque quaſi a tergo Benjamini, ſitum fuit templum) idem igitur, qui in templo habitavit, dilectus Jehovæ vocatur Deut: XXXIII. 12. Imo templum domus Dei, illius domus dicitur Jer: XI. 15. Non alius intelligi poteſt quam unigenitus, qui erat in ſinu patris Joh: I. 18. quem Pater diligit, & dedit omnia in manum ejus Joh: III. 35. Is autem qui in templo habitavit ſignatè Deus exercituum paſſim vocatur 2 Sam: VI. 2. Quis eſt, cujus thronus juſtitia dicitur & judicium, niſi quem adorare debent omnes angeli, niſi filius Dei? is autem exerte hoc nomine Jehova exercituum inſignitur Pſ: LXXX. 9. cum 15. coll. XCVII. 2. cum Hebr: X. 6. Tandem, quod luce meridiana clarius eſt, idem qui futurus erat, tam in lapidem offenſionis, & in petram ruinæ, quam in Sanctuarium, Chriſtus Jeſus, exertè Jehova exercituum appellatur. Jeſ: VIII. 13. 14. 15. Ut Zebaoth præprimis Chriſtum denotare dubium eſſe non poſſit. Illi principatus & poteſtates, uno verbo, omnia ut archiſtratego ſubjecta & ab ipſo facta ſunt Col: I. 16, 17. ipſe ἀρχὴ πάσης τῆς κτίσεως & omnibus fidelibus datus ἀρχηγὸς τῆς πίστεως Hebr: XII. 2.

Unde & Myſterium P.F.&S.S. nec non Conſilium Gratiæ ſupponit & infert.

LXXVII. Et cum ipſe Deus ſuorum ſit exercitus, ſic enim per appoſitionem vertimus Jeſ: XXII. 12. 15. XXVIII. 22. Jer: II. 19. (a qua explicatione alienus non eſt Vogelſang Exercit: VI. §. 28, 29.) nec id eſſe poſſit niſi in Chriſto, quis & gratiæ conſilium, & trinitatis hic non videat fidem?

Quis

Quis Patrem ſic non vocari niſi in filio & propter filium non videt? Quis magis emphatice, & ad conſolandum peccatorem plus faciente & conſcientiæ ſe magis manifeſtante ſenſu hoc nomen accipit? Socinianus? an vero, qui, trinitatis imbutus fide, intelligit eo quem diximus modo hoc Dei nomen? Lubet adſcribere verba Biſterfeldii loco aliquoties jam citato: Jehova Zebaoth *eſt nomen Chriſti proprium, triplex ejus officium, ejuſque ſapientiam & gratioſiſſimam adminiſtrationem, glorioſiſſimam conſummationem ac contra hoſtes victoriam exprimens* 1 *Sam.* 1. *Eſſe nomen ſolius Chriſti proprium, ejus tum origo tum Scripturæ uſus demonſtrat.* צבא *ſignificat ordinatisſimum ſub uno capite ſ. duce contra hoſtes miniſtrantium cœtum ſ. exercitum inſtructisſimum. Unde ſequitur ipſummet quoque Jehovam militare Eſa.* 31. 4. *Sumitur autem in Script. pro exercitu tum benefico tum malefico ſ. judiciali. Pro exercitu benefico triplici. Docentium ſ. Prophetarum, Pſ.* 68. 11. *Sacrificantium ſ. Sacerdotum Num:* 4. 23. *& belligerantium Regum. Unde patet ipſummet Jehovam Zebaoth debere eſſe Prophetam, Sacerdotem, Regem belligerantem. Uſus verò Scripturæ idem evincit clarisſimè. Nam* Pſ. 24. *ubi Jehova Zebaoth accuratè definitur, ea ipſi tribuuntur, quæ ſoli Chriſto competunt, ut docet Analyſis & Eſa.* 6. *cum* Joh. 12. Eſa. 8. 14. *cum* Rom. 9. 33. *&* 1 Pet. 2. 1. 8. *Novum verò Teſtamentum id ſcitiſſime indicat, dum omnium miniſteriorum unum dominum docet* 1 Cor. 12. 5. *& octies ſolum Chriſtum vocat* παντοκράτορα, *ſepties in Apoc. Atque hinc liquet clarè in V. T. inculcari Chriſtum eſſe verum Deum, totiuſque Scripturæ vitam, centrum, nucleum ac complementum* Rom. 10. 4.

LXXVIII. עליון Vox eſt, quæ ſummitatem ſignificat & celſitudinem Dei, ac apicem, & faſtigium quaſi ſupremum. Adjectivum dici quidem poſſet, at nec male pro nomine proprio accipitur. Sæpe abſque ullo addito ſubjecto occurrit: longe aliter, quam Sanctus, miſericors, juſtus, quibus aut Deus, aut tale quid plerumque additur: nec probat Buxtorfius *ELJON.*

 torſius

torſius Diſſert. p. 281. *quotieſcunque ſeorſim vel abſolute ponitur, aliquod nomen divinum eſſe.* Ut Hieronymus merito inter nomina Dei recenſeat in Epiſt. ad Marcellam.

Summitas Dei in Chri-

LXXIX. Summitas autem & celſitudo Dei demum plene conſpicitur in exaltatione Chriſti, tunc enim Deus in gloriam introductus, in cœlos, in celſum collocatus eſt. Adſcendit in altum Pſ: LXVIII. 19. conſedit in throno, regnum occupavit mactatus agnus Apoc: III. 21. IV. 2. 10. majeſtatem ſuam ſupra cœlos collocavit Pſ: VIII. 2. & manet perpetuo omnibus ſuperior Eph: IV. 6. ut maxime celebretur ut עליון ea manifeſtatione, quæ ſub N. T. quæque adeo gentibus quoque facta eſt. Quapropter jam ſupra Deos dictitios elatus & gentium dominus factus ſignate hoc nomine ornatur, Pſ: XCVII. 9. ex quo loco haud abs ratione ejus vim eruit Buxtorfius loc. cit. nec celſitudo, de qua loquitur, ſanè alibi, quam, ubi gloria, conſpici plene poteſt; in Chriſto ſcilicet 2 Cor: III. 18. Hinc Deus, ubi ut objectum veri cultus, adeoque & fidei, peccatoribus proponitur, non ſemel hoc nomine inſignitur Gen: XIV. 18, 19, 20, 22. Pſ: VII. 18. Nec non, quando, executurus gratiæ propoſitum, de danda terrena hereditate, typo melioris, gentibus aliquo tempore eam habitandam dedit, ut Iſrael, iis ejectis, promiſſa bona adiret Deut: XXXII. 8. Tribuitur Deo domum manibus factam habenti, adeoque inter homines verſaturo & habitaculum olim naturam humanam habituro.

Myſteria P.F. & Sp. S. ut & Conſilii Gratiæ indicat.

LXXX. Quin, ut & trinitatis, & pluralitatis ſaltem perſonarum, argumentum eſſet, plurali numero plus ſemel occurrit Dan: VII. 18, 22, 25. Neque enim hic commodius quicquam intelligas, quam Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, qui procul dubio ſunt עליונין excelſi, altiſſimi, & quorum peculium ſunt ſancti Deut: XXXIII. 2.

LXXXI. Nec deſunt loca, quæ id peculiari ratione filio Dei tribuunt Pſ: VII. 18. cum 8. & 9. Nam verba למרום שובה *in altum redi*, nimis emphatica ſunt, & cum Pſ: LXVIII.

19. convenientia, quam ut alii præter Chriſtum in pleno ſignificatu tribuamus. Huic rei cum maxima proprietate & evidentia conveniunt verba Pſalmi. Neque cœtera diſcrepant: veluti quod mox de judicandis populis dicit, & ſimilia. Humana natura Chriſti tabernaculum, imo omnium tabernaculorum ſanctiſſimum eſt, illud autem altiſſimi dicitur, ut qui id habitat, procul dubio ſit altiſſimus Pſ: XLVI. 5. cujus eſt πλήρωμα τῆς θεότητος Col: II. 9. Pſalmo ſequente palam de gentibus, eccleſiæ adſciſcendis, agitur, invitantur ad eum, qui adſcendit, qui ſit Deus univerſæ terræ, cujus eſt obedientia gentium, qui thronum occupat, qui profecto eſt Chriſtus dominus: hic autem עליון vocatur ibidem verſu 3. Sic Pſ: XCVII. 9. ad illum ſermo eſt, ad cujus regnum exultatura erat terra non ſolum, ſed & multæ inſulæ: hoc eſt, Judæi & gentes gaviſuræ: cujus adventus ita deſcribitur ut Pſ: L. 1, 4. Mal: III. 1, 3. IV. 1. Apoc: I. 14, 15. qui eſt dominus totius terræ: quem adoraturi erant omnes angeli Hebr. I. 6. quem Chriſtum eſſe aſſerit Apoſtolus, is autem altiſſimus vocatur. Idem proponendus erat gentibus, imo regibus gentium, & prædicandus ut altiſſimus, qui primogenitus Dei dicitur Pſ: LXXXIX. 28. coll. Col. I. 16. Cujus domui invigilarunt ſacerdotes, filius Dei eſt, ut §. LXXV. vidimus, is altiſſimi titulo decoratur Num: XXIV. 16. Et quis eſt cujus ſimilitudinem affectat, cujus thronum conſcendit antichriſtus, nonne idem qui eccleſiæ caput eſt, is autem עליון appellatur Jeſ: XIV. 14. Ut & hoc nomen nos minimè deſtituat, quo minus & trinitatis & conſilii gratiæ inde myſterium eliciamus.

LXXXII. Græcè Deus vocatur præprimis θεὸς & κύριος; de utroque breviter.

LXXXIII. De etymo vocis Θεὸς non idem ſentiunt viri docti. Nec multum noſtra intereſt, ſive quis cum nonnullis apud Nazianzenum ab αἴθειν ardere, propter vim affectionum vitioſarum conſumtricem, quod & Damaſceno placuit: ſive cum Herodoto in Euterpe a θεῖναι, quaſi ὁ θεὶς τὸ πᾶν, ΘΕΟΣ.

 quod

Digitized by Google

quod omnia creaverit & ſic quaſi poſuerit, quam ſignificationem habet Etymologicum Magnum, & quo alludit Clemens Alex. Strom: I. ad finem, quod certum in ordinem omnia redegerit: ſive a θεῖν currere, quod omnia virtute & providentiæ actibus percurrat; aut ad eum currant omnia; aut, quæ Platonis in Cratylo ratio eſt, quoniam currere videbant, quæ numina colebant veteres Græci, Solem, Lunam, Terram, Stellas, cœlum. θεοὺς enim dicunt ſidera, & ſtellas ἀπὸ τοῦ θέειν i. e. τρέχειν, quod ſemper in curſu ſint. Macrobius L. I. Saturn. c. XXIII. ut poſt Platonem Euſebius conjicit: ſive a θεάομαι cernere, ut Baſilius, quod omnia cernat & decernat; ſive a θεωρεῖν τὰ πάντα cum Athanaſio, ut θεὸς tantundem ſit ac θεατὴς ſpectator omnium; ſive a δέος timor, non quod primus in orbe Deos fecerit timor, ſed quod timendus ſit; ſive ab Hebræo די id eſt, ſufficit, unde juxta nonnullos nomen Schaddai: non enim tantopere de Græcæ vocis origine laboramus, quam cui Hebraicæ reſpondeat.

LXXXIV. Collatione autem factâ deprehendi LXX. hac voce uti ſemel pro צבי Jer: III. 19. ut & pro קדוש Am: II. 7. מלאך Eccl: v. 5. apud LXX. verſu 6. ארון Neh: x. 29. ter pro אביר Pſ: CXXXII. 2, 5. Jeſ: LX. 16. nec non pro שדי Num: XXIV. 4, 15. Jeſ: XIII. 6. Pſ: XC. I. decies pro צור & צר loca habet Kircherus in Concord. plus centies autem pro אל & plus bis millies pro אלהים. *Nomen θεὸς abſolute poſitum, nunc nomini Elohim, nunc El: relatè vero nomini Adonai reſpondet.* Notante id Biſterfeldio Loc. Cit. §. XXV.

LXXXV. Ut merito id nomen ea complecti ſtatuamus, quæ Hebræis אל & אלהים præprimis myſteria ſignificare antea demonſtravimus.

LXXXVI. Nec difficile foret multis ſcripturæ locis evincere, Deum ut fidei & precum objectum, ut ſalutis auctorem, ut peccata remittentem, ut decernentem ſalutem, ut filium mittentem &c. hoc nomine inſigniri.

Filio com- LXXXVII. Quemadmodum & in promtu ſunt loca, quæ

Digitized by Google

quæ id Filio tribuunt & Spiritui Sancto: tum attributivè, tum ſubjectivè. Filio Joh. I. 1, 14. 1 Tim: III. 16 Act. xx. 28. Quin & additis eximiis ephithetis Rom: IX. 5. Tit II. 13. 1 Joh. V. 20. Hebr: I. 4, 8, 9, 10. Joh: xx. 28. Jud. verſ. 4. Spiritui Sancto Act. v. 3, 4. 1 Cor: III. 16, 17. cum 1 Cor. VI. 19. *patr & Sp. S.*

LXXXVIII. Multum autem roboris huic argumentationi addit, omnemque Socinianis evadendi præcludit rimam, ſi, quod probe hic notandum eſt, & jam ſupra, Scenog. c. II. §. XXVII. monuimus, bene animadvertamus, nimirum poſt ſubverſam Moſis cathedram, ex ſtylo ſacræ Scripturæ, ſoli Deo æterno, id nomen vindicandum, nec ulli θεῷ λεγομένῳ amplius locum concedendum eſſe.

LXXXIX. Adeoque & hujus nominis uſus, & ſignificatio, collata nimirum cum Hebraicorum, quibus reſpondet, nominum vi, palam trinitatis docet & propoſiti demonſtrandæ gratiæ myſterium.

XC. Reſtat vox κύριος, quæ juxta Chryſoſt. Homil. XIV. in Geneſin idem valet quod Θεός. κύριος διὰ τὸ κυριεύειν αὐτὸν τῶν ὅλων *quia univerſis dominatur* Theophilus apud Suicerum in Lexico. Alii vocem deducunt a κῦρος auctoritas, quippe quæ penes Deum maxima: ſicque notat. 1. Dominum, qui aliquid poſſidet τὸν κῦρος ἔχοντα. Demoſth. Olynth. 2. πόλεων καὶ τόπων κύριοι. Κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς Mat: XI. 25. 2. cui alii ſubjecti ſunt 3. qui honore potior eſt Vid. Schmid. ad 1 Tim: VI. 15. alii quidem a κῦρος, ſed alia ſignificatione, nimirum qua firmamentum ſignificat. Sic Feſſel. Adverſ. L. v. Cap. II. §. I. Stephanus poſt Budæum voci κῦρος pariter eam ſignificationem tribuit, additis ex Platone & Sophocle exemplis. κυρίως quoque Heſychio idem quod βεβαίως. Quod vadimonium Latinis, κυρία Græcis ſc: ἡμέρα Viger. de Idiot. L. Gr. Idem notat Jul. Pollux κυρία ἡμέρα, ἡ ἐπί τινι τεταγμένη; ſic, vadimonium promittere, eſt τὴν κυρίαν ὁμολογεῖν. Κύριος νόμος legem ratam dicit, & νόμον κύριον ποιῆσαι tantundem eſt ac κυρῶσαι, ſtabi-

ΚΥΡΙΟΣ.

ſtabilire, confirmare. Διαθήκη κεκυρωμένη teſtamentum ratum, confirmatum Gal: III. 15. Atque ita, ut uſu, ſic & notione exactè reſpondet voci אדוני. Aſt alii a κυρῶ *ſum*, Leich Crit. Sacra, quoniam ſolus Deus *eſt*, ut antea diximus, quod miror Chriſtum profitentibus diſplicere, cum & gentes viderint, Apollinis Delphici templo inſcribentes vocem Εἶ quam luculenter explicat Plutarchus. *Nos Deo viciſſim reſpondentes*, Εἶ, *id eſt*, Es *dicimus: veram, certam, & ſolam ſoli convenientem appellationem illi vindicantes. Etenim revera nos quidem eſſentia non ſumus participes, verum univerſa humana natura tanquam in medio verſatur ortus & interitus: obſcuram atque inſtabilem, & veluti fugientem exiſtendi opinionem atque ſpeciem exhibens*. Non multùm abludit, quod Turcæ ingeminare in feſtivitatibus Deo ſolent Allah! Hou! quod, qui obſervavit, Della Valle Itinerarii Lib. I. vertit Deus! Eſt!

XCI. *Quando abſolute & ſine articulo ponitur, reſpondet* quidem τῷ *Jehova, ſed cum articulo omnibus nominibus Chriſti perſonalibus*: ait Biſterfeld. Verum nec LXX. nec N. T. ſcriptores id obſervant ut Mat: XXII. 44. coll. cum Pſ: CX. 1. videre eſt. Κύριος cum articulo ibi reſpondet τῷ Jehova. Præprimis autem & communiter reſpondere τῷ Adonai, nemo ibit inficias; ut cui hoc nomen datur in omni emphaſi, & abſque ulla limitatione, neceſſario is ſit, qui in V. T. dictus ſit κατ᾽ ἐξοχὴν אדוני adeoque baſis & columna ac fundamentum, cui univerſa operis gratiæ, adeoque omnium moliminum Dei, unà ei ſubſervientium, moles inædificata ſit: nec non Dominus & poſſeſſor, ut omnium, ſic præprimis peculii ſui, id eſt, eccleſiæ quam ſanguine proprio acquiſivit Act: XX. 28. Tit: II. 14. Quippe non poterat, cum decenti Dei glorificatione, Chriſto, ut baſi ac fundamento, ſuperſtrui eccleſia, &, propter eccleſiam, in bonum eccleſiæ, tota rerum univerſitas; niſi, eam ſe acquiſiturum, adeoque emturum in ſe ſuſcepiſſet; unde κύριος præprimis & hanc quoque acquiſitionem, poſſeſ-

ſionem,

Digitized by Google

ſionem, vindicationem dicit, ac jus quod in eccleſiam ſibi comparavit, & ab omni ævo exercuit, atque exercebit in æternum. Quippe nos habet, ſibi non tantum a Patre datos & potenti vocatione ſubjectos, ſed & venundatos, ac juſto pretio comparatos: quo pretio non interveniente, *κυριότητα* exercere in peccatorem ipſi integrum haud fuiſſet.

XCII. Aſt Chriſto quidem potiſſimum, ut & Spiritui Sancto, id in N. T. in omni vocis *δυνάμει* tribui, ex locis ſequentibus abundè conſtat. ***Competit F. & Sp. S.***

XCIII. Sic de Chriſto, & abſque articulo & cum articulo Luc: XVII. 5, 6. & additis omnibus, quæ emphaſin arguunt maximam. Luc. II. 11. Chriſtus Dominus, eſt quippe unctus Domini non ſolum, Luc: II. 26. ſed & unctus Dominus, coll. Proverb: VIII. 12. Act: II. 36. Hunc Jeſaias Jehova appellat Cap. XL. 3. & Matth: vertit *κύριον* III. 3. VII. 22. & judex, & eccleſiæ Dominus, & omnium bonorum diribitor ab ipſis impiis agnoſcitur. VIII. 2. & adoratur, & miracula faciendi poteſtas ipſi adſcribitur: ibidem verſu 25. ſalutem ab ipſo adorabundi expectant, & ventorum & maris dominium in ipſo agnoſcunt, non diſcipuli ſolum, verum & alii, verſ. 27. Quin & ipſi Diaboli Dominum Jeſum & filium Dei & judicem, qui torquere ipſos queat, una jungunt verſ. 29. Imo XII. 8. Dominus Sabbathi dicitur. XIV. 28. Petrus ingens ab ipſo petit miraculum, & ſalutem verſ. 29. tanto cum effectu, ut inde filium Dei eſſe rectè colligat. Adde XV. 22, 25. XVII. 15. XX. 33. Aſt Mat: XXII. 43, 46. res clara eſt. Reſpondet ibi voci אדני cum Kamets, & tanquam paradoxon & myſterio plenum proponitur, Davidis filium eſſe ſimul & Dominum, eumque Dominum, cui, præter ſacerdotium, regnum demandatur glorioſiſſimum & penitus divinum Pſ: CX. 2. cordis ſcrutinium Petrus Joh: XXI. 16, 17. & futurorum contingentium cognitionem ſolliciti & venerabundi huic Domino tribuunt diſcipuli XXVI. 22. A moribundo latrone cœleſtis gloriæ dator adoratur XXVII. 63. Huic

Domino animam commendat jam jam moriturus Stephanus Act: VII. 59. Eſt Dominus, qui fidem dare & augere poteſt Marc: XI. 24. qui Deus dici meretur; & ſerio & cum affectu, Domine mi & Deus mi, ait Thomas Joh: XX. 28. Nec emphaſi caret, quod *Dominus Jeſus* vocetur Act: I. 21. Jeſus non typicus, qui, ut Moſes, ſervus erat, ſed Jeſus Dominus: cui David olim יהוה ישעי Pſ: 27. 1. Hic Dominus Apoſtolos miſit, Paulum convertit Act: IX. 5, 6, 10, 11, 13, 15, 17, 27. In ipſum credit eccleſia apoſtolica Act: XI. 17. In ipſius nomine miracula patrantur. Verbum euangelii ipſius verbum eſt. In ipſo vivunt pii, & viciſſim hi in ipſo. Ab ipſo gratiam precantur, in eo gloriantur, ille preces audit, ſpiritum mittit, eccleſiam regit & tuetur. Dominus qui omni ψιλῷ ἀνθρώπῳ opponitur & præfertur Gal: I. 6. Col: III. 22, 24. Alterius & cœleſtis & æternæ indolis 1 Cor: XV. 47. cum Mich: V. 1. Dominus dominorum Apoc: XVII. 14. XIX. 16. Dominus, qui eſt Deus omnipotens Apoc: XIX. 6. qui eſt Alpha & Omega, principium & finis, qui eſt, qui erat, & venturus ſeu futurus eſt. Apoc: I. 8. II. 17. IV. 11. V. 13. XV. 3, 4. Tandem Dominus, qui eſt ſolus Dominus, unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum 1 Cor: VIII. 6. Gregorius Nazianzenus Orat. XXIII. cognoſcimus ἕνα γεννητὸν κύριον, τὸν υἱὸν, Θεὸν μὲν, ὅταν καθ᾽ ἑαυτὸν λέγηται προσαγορευόμενον. Κύριον δὲ ὅταν μετὰ πατρὸς ὀνομάζηται· ὃ μὲν διὰ τὴν φύσιν, τὸ δὲ διὰ τὴν μοναρχίαν: *unum genitum Dominum, Filium videlicet, qui Deus quidem appellatur, cum de eo ſeparatim ſermo habetur, Dominus autem quando cum patre nominatur; illud propter naturam, hoc autem propter Monarchiam:* quippe cui omnis poteſtas eſt.

XCIV. Et inglorium ſane nimis, tam nobis, quam Deo foret, peculium nos ſervoſque hominis aut ullius meræ creaturæ eſſe. Deus eſt, de quo dicere cum Eliſabetha mens pia poſſit, meus Dominus Luc: I. 43. eſt Deus ſervator piorum, exultabundæ ſi credamus matri Domini Luc: I. 47.

XCV. Spi-

XCV. Spiritum Sanctum, quem Nazianzenus, citante Stephano, αὐτοκύριον Orat. XXXVII. per ſe Dominum vocat, in ſacris quoque κύριον dici, quanquam non ita ubivis obvium ſit, clarum tamen & certum eſt, vel ex ſolo loco, qui extat 2 Cor: III. 17, 18. Nec de eo multum laborandum, poſtquam pluralitati perſonarum, adeoque & trinitati ita palam vocis κυρίε & etymon & uſum ſuffragari vidimus. Minus vero frequenter de Spiritu Sancto, quàm de Patre aut Filio, ut hoc nomen, ſic & alia divina ἀξιώματα prædicari, tantum abeſt, ut ejus Deitati præjudicet, ut potius œconomiæ inter tres perſonas agnoſcendæ manifeſtum teſtimonium præbeat, quod ſuo loco demonſtrabimus. *Et Sp. S.*

XCVI. Quis autem ea, quæ de hoc nomine diximus, & Filii Dei illam κυριότητα, qua baſis, ut magni gratiæ operis, ſic & totius univerſi, nec non eccleſiæ Dominus & poſſeſſor eſt, probe conſideret, qui non conſilium quoque gratiæ & æternum hic teſtamentum palam deprehendat?

XCVII. Atque ita de nominibus Dei ſimplicibus, eorumque vi & uſu actum eſt, ſequuntur nonnulla, quæ compoſita merito ac combinata dicimus. *NOMINA Dei compoſita.*

XCVIII. Hæc vel pluribus vocibus conſtant, ut Jehova Elohim, Jah Jehova, Adonaj Jehovi, Jehovi Adonai, El Schaddai; vel ex una, in qua duæ voces invicem junctæ coaleſcunt, ut Immanuel, Jeſus Chriſtus. Quorum nonnulla a perfectionibus Dei, quatenus ea ſe in opere gratiæ produnt, tantum deſumta; alia vero heterogenea, in quibus perfectiones tam humanæ comprehenduntur quàm divinæ. Prioris generis omnia, præter Emmanuel & Jeſus Chriſtus, quæ poſterioris ſunt.

XCIX. Nec myſterio caret diverſitas, quam in prioris generis nominum conjunctione attentus & ſedulus Scripturarum lector obſervabit. Omnia autem nunc excutere, vix patitur inſtituti ratio.

C. Quæ poſterioris generis ſunt, ut Emmanuel, & Jeſus Chriſtus, ita palam S. S. triados notant inferuntque, nec

Digitized by Google

non conſilii gratiæ myſterium, ut pluribus de iis diſſerere haud videatur neceſſarium.

CI. Ad omnem nunc provoco conſcientiam hominis, judiciumque flagito integrum ac ſincerum: Annon ſenſum fundant magis locupletem, magis Deo glorioſum, magis hominem rectificantem, conſolantemque, ſi ea in emphaſi myſterio plena nomina, quam ſi exili Socinianorum ſenſu capiantur.

CAP. III.

DE ESSENTIA ET PERFECTIONIBUS DEI.

Deus propius conſpiciendus eſt. I. CONſiderata jam Dei GLORIA, & NOMINE, quo illa nobis innoteſcit; ſigillatim examinanda ſunt quæ glorioſiſſimum illud ens non quidem conſtituunt, ſed aliquanto minus difficulter cogitandum, id eſt, percipiendum atque amandum exhibent; eo enim nunc ſumus circumfuſi jubare, ut, niſi recollectis mentis operationibus, eundem Deum, diverſis conceptibus, ſeu ea quæ Dei ſunt, concipere diſcamus, fieri non poſſit, quin prorſus in ſtuporem agamur atque ita quaſi ſuffocemur.

Non in IDEA innata ſolum: ſed in S. potiſſimum Script. II. Ipſa quidem idea Dei, ſeu τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ, quod natura in nobis eſt, probè expenſa, multa de Deo ſuggerit, verum quando jam S. Scr. auctoritatem demonſtratam dedimus, in ea nunc Gloria, cujus nonnullas dudum ſtricturas vidimus, talemque qualem nomine ſuo ſe prodit, contemplaturi Deum, ea non ſolum quæ naturalis cognitionis ſemine comprehenduntur, excutienda, verum de ſe ipſo in Scriptura loquens potiſſimum audiendus eſt.

III. Neque hic vel tantillum reperiemus, quod non eo faciat, ut Deum, tanquam triunum, & qui gratiæ conſilium cepit atque exequitur, celebremus.

IV. Fla-

Digitized by Google

IV. Flagitat autem hominum quorundam nova & ſubtilis quidem, ſed perverſa penitus Philoſophatio, ut, antequam pergamus, breviter diſcutiamus ea, quæ, ab ipſis reperta, ſufflaminare curſum noſtrum poſſent. Tanto id autem magis è re eſſe judico, quanto plures ſeduci indies à vaferrimis ſcriptoribus deploranda docet experientia. Eum igitur in modum deinceps inſtituemus, ut, ubi rei indoles id exegerit, illorum erroribus atque aſtutiæ, quantum pote, viam præcludamus.

Confutatio in anteceſſum Hobbeſii & B. D. Spinoſæ cogitatis.

V. NOMEN DEI nobis de ipſa Dei eſſentia cogitandi anſam dat; & PERFECTIONES ſubjectum aliquod, aut inſtar ſubjecti, præſupponunt; quapropter de ipſa Dei ESSENTIA agendum haud paulo erit accuratius. Et hoc quidem demum loco, primo quod contemplatione, tum GLORIÆ, tum NOMINUM evehi eo mens noſtra debuerit, ut jam de ipſa ESSENTIA cogitare commode poſſe videatur: deinde quoniam ad Perfectionum ſeu attributorum conſiderationem tranſitus vix tutus aut utilis erat, antequam illorum quaſi ſubjectum, adeoque ESSENTIAM teneremus.

ESSENTIA Dei.

Eſſentia ab eſſe vocatur, novo quidem nomine, quo uſi non ſunt Veteres Latini ſermonis autores, ſed jam noſtris temporibus uſitato, ne deeſſet etiam noſtra linguæ, *quod Græci οὐσίαν vocant.* Auguſtinus de Trinit. L. XII. Cap. 2.

Vocabula quibus ea denotatur.

Hebræis Eſſentia dicitur מהות *quidditas* R. Joſeph. Albo Ikkarim L. II. Cap. I. quod vocabulum ita diſtinguunt a מציאות ut illud *eſſentiam* denotet, hoc *extantiam*. Subinde autem hoc quoque eſſentiam notat, ſic אמתת מציאותו *veritas eſſentiæ*, interprete Vorſtio. Quin אמת vocatur, *veritas*. Maimon. Hilch. Jeſode Torah. Cap. I. §. 10. נקרא אהיה בלשון מציאות *vocatur*, ego ſum, *nomine Eſſentiæ*.

Valde catachreſticus eſt modus loquendi, quem apud Tertullianum reperias, quo *corporis* vocabulo ſubſtantiam & eſſentiam Dei exprimit: & apud Auguſtinum,

Vocabula quibus Eſſentia Dei denotatur.

quando eſſentiam pro perſona accipit de Trin. L. xv. Cap. 14.

Ipſum nomen Jehova hic quoque loci præteriri non debet; ut ut enim, quod, §. xi. notavimus Cap. ii. plura ſignificet, & Deum nobis Triunum, & qui gratiæ condiderit conſilium proponat, in primo tamen ſuo ſignificatu, τὸ eſſe & quidem perfectiſſimè eſſe, adeoque Eſſentiam denotat. Id & origo docet, quæ eſt verbum הוה Idem de אהיה dicendum eſt, quod Græci quoque ὁ ὢν paſſim vertunt: propriè quidem *fieri* denotat, adeoque Deum, qui *futurus* eſt id *quod eſt*; non alius Mal: iii. 6. *idem* ſemper: verum fieri id, quod eſt, ſupponit, exſuperantis perfectionis Eſſentiam; adeoque eam præſignificat.

Huc etiam nonnulli referunt Jeſ: xliii. 13. cenſentque iſtic vocabulum reperiri, quo ipſa eſſentia Dei ſignificetur אני הוא / quia הוא ſit à verbo הוא / quod pro הוה ponatur, adeoque ſignificet ego ſum. תושיה quoque, noſtra quidem ſententia, huc meritò refertur, cum & eſſentiam dicat, & de Deo uſurpetur Job: xii. 16. Eſt præterea ישה idem, quod היה & הוה εἶναι, unde תושיה. Denotat autem id, quod eſſentiam habet; imprimis oppoſitè τῷ אין *nihilo*, rebus nihili & vanis. Scio ab interpretibus ſumi pro *facultatibus*, *divitiis*, imo & pro *lege naturali* atque ordine à Deo creaturis præſcripto, confuſe locum ex Ab. Peritſol cit. Coccejo in Job: xii. 16. *Sapientiam* nonnulli vertunt, ſed *evanidis conſiliis* ſignate oppoſitam. Omnia eo redeunt, ut rem & eſſentiam clarè ſignificet. Nec quicquam vetat, ſic accipi Prov. viii. 14, 21. eſt nimirum penes Deum *res*, id eſt, quod eſt aliquid permanens, ſtabile, perfectum, verum, quodque veram habeat eſſentiam. Facit ſuos *hæreditare* id quod *eſt*. Sic manus impiorum non faciunt תושיה id quod *eſt*, Job. v. 12. Sed ſunt פועלי און operantes *inane*, *nihil*. Sic ותושיה יראה שמך. *Et rem videt* homo quiſque *nomen tuum*. Videt nomen tuum eſſe, non inane quid; ſed

rem,

rem, ſed *eſſentiam*, realiſſimum quid, ut jam factis comprobas, Mich: VI. 9.

Hæc natura & eſſentia Dei τὸ θεῖον appellatur Actor: XVII. 29. אלהותא Syrus, *numen* transfert Syri interpres. Ex hoc concreto abſtracta θειότης Rom: I. 20. θεότης Col: II. 9. *divinitatem* dicit Cicero. ὁ ὢν Apoc: I. 8. at Θεῷ ὄντι competit ȣσία eſſentia, φύσις Gal: IV. 8. 2. Petr: I. 4. ipſam naturam denotat: adeoque φύσις θεȣ̃ & θεῖα φύσις naturam, eſſentiam, ſubſtantiam Dei, verum atque unicum cultus religioſi objectum. Ut qui non ſit φύσει, natura Deus, dictitius tantummodo Deus ſit, & in regno Dei ne nomine quidem Dei decorandus. Unus enim eo etiam reſpectu nunc Deus eſt. 1. Cor. VIII. 6. Μορφὴ forma eſt, & ipſam rei alicujus naturam ſignificare aptum vocabulum. At μορφὴ Θεȣ̃ alibi Phil: II. 6. eodem ſenſu dicitur, quo μορφὴ δȣ́λȣ forma ſervi. Ut hic ſit elegans oppoſitio inter glorioſam majeſtatis oſtentationem & contemtam ſervi ſpeciem, ȣσία καὶ φύσις καὶ μορφὴ κατὰ τȣ̀ς ἁγίȣς πατέρας ταυτὸν ἐςιν Damaſcenus. Iſagog. Cap. I. *Faciem* ſibi tribuit, quam videri ab homine poſſe diſertè negat. Exod: XXXIII. 20. Quin & vita Deo tribuitur, ac *vita* vocatur 1 Joh: V. 20. & Joh: XIV. 6. Ζωὴν ἑαυτὸν λέγει, διὰ τὸ διαρκὲς καὶ αἰώνιον τῆς ὑπάρξεως *vitam ſeipſum vocat, propter ſtabilitatem perpetuitatemque ſubſtantiæ.* Appollinarius, in Catena in Joh: XIV. 6.

VI. ESSENTIA autem rei, eſt entitas, per quam ens eſt; ſeu per quam ens ſimpliciter & per ſe eſſe concipitur. Eſt quaſi primum & intimum entis, conſiſtentiæ, attributorum, affectionum, &, in cogitantibus, operationum proxima origo, ſeu fons, & ſubjectum. Tanta autem eſt mentis noſtræ imbecillitas, imperfectio, anguſtia, ut nullam eſſentiam ullius rei, uno mentis actu, aſſequamur: minimè autem circa eſſentiam perfectiſſimam fieri id poſſe ſperandum eſt. Et ſanè ut ex nihilo facti ſumus, ſic multum nihili, ut ita loquar, participamus; illius inter alia, quod *Quid rei cujuſvis Eſſentia ſit.*

& perceptio noſtra valde finita ſit ac determinata: ut hæſitare mentem & balbutire linguam, cum nobis ipſa infiniti ac perfectiſſimi entis eſſentia objicitur, mirum videri haud debeat. ESSENTIA Dei id igitur dicit, quod eſt perfectiſſimum, & per quod Deus eſt id, quod eſt; adeoque ſummam perfectionem ipſam, ſeu potius ipſum quaſi ſummæ perfectionis ſubjectum.

8. Scripturæ vocabula, quæ eam indigitant.

VII. Scriptura ſibi quaſi haud faciens ſatis, uti jam vidimus, non unum ſed plurima adhibet vocabula, quæ ex uſu & vi linguarum, quibus ſcriptum utrumque inſtrumentum eſt, & ipſius mentis indole, apta ſunt ad excitandum aliquem ipſius eſſentiæ divinæ conceptum ac cogitationem.

VITA eſt Eſſentia Dei.

VIII. Vita, quod erat noviſſimum eorum vocabulorum, quibus ipſam Dei Eſſentiam proprie exprimi notavimus. §. v. activitatem dicit, ex intrinſeco ortam principio. Vivere nihil aliud eſt, quam, ex inſito principio, actuoſum eſſe. Eſt operatio perfectiva, intrinſecè, à natura cujus eſt, emanans. Et cum non poſſit ea non eſſe perfectiſſima, neceſſe èſt, ut ſit rationalis, mentalis, &, ut ita loquar, cogitativa. Ut, id vivere eaque vita ſit ipſa Dei eſſentia; & dicat, tum ipſam operationem perfectivam, tum illius operationis quaſi Principium, quæ hic revera unum & idem ſunt.

Quo ſenſu Deus PURUS ACTUS dicatur.

IX Scholaſtici Deum purum merumque actum eſſe perhibent; nec male. Non quod actum vocent, qui a principio activitatis ita diſtinguatur, ut, aut interveniente qualicunque cauſa, aut facta aliunde determinatione, ex illo principio ortus ſit aut elicitus; ſed quod 1. Summa penes Deum ſit perfectio, quâ omnem penitus reſpuit potentialitatem, (liceat hic barbarè loqui) id eſt, quæ negat in Deo quicquam eſſe, quod perfici ulterius aut mutari, & ſic in actum deduci poſſit. 2. Porro iſtiuſmodi natura, quâ intima ſua, & genuina indole, totus prorſus, liceat ita loqui, actuoſus ſit.

X. Hic

Digitized by Google

X. Hic autem merus puruſque actus cum rationalis ſit, alius eſſe non poteſt, quam actus cogitativus; id eſt, intellectio & volitio; ut Deus ſit perfectiſſima, æterna atque infinita cogitatio, ſeu intellectio & volitio. *Id quod eſt in Deo omnia, procul dubio eſt Eſſentia Dei, cogitatio igitur eſt Eſſentia Dei. Ad hanc quæcunque in Deo ſunt reducuntur, nulla enim res in Deo eſt, cujus Deus non ſit conſcius per illam ipſam rem, alioqui darentur in Deo res perceptione deſtitutæ, quas Deus, cogitatione ab iis diverſa, perciperet, res brutæ igitur, & incogitantes, quod blaſphemum eſt, & non Deo, ſed imperfecto idolo dignus conceptus.* Poiret Cogitat. Ration. de Deo &c. L. 1. Cap. v. §. 5. *Eſt Actus Spiritualis i. e. Cogitativus.*

XI. Atque ita illius vocabuli *vita*, de Deo uſurpati, aliquo modo conſtat vis ac ratio. Lucemque fœnerantur ea loca quæ τὸ *vivere* Deo ſigillatim vindicant, tanquam entis perfectiſſimi peculiare ἀξίωμα Hebr: VII. 8. Sic μόνος ἔχων ἀθανασίαν 1 Tim: VI. 16. οὐσίᾳ γὰρ ἀθάνατος, οὐ μετουσίᾳ. *Eſſentia enim immortalis eſt, non participatione.* Theodoret. Dial. III. p. 145. quippe nullum præter Deum ens eſt, quod propriè ac unicè ex ſe, ſeu ex inſito principio ac natura ſua actuoſum ſit. Hinc αὐτοζωὴ vocatur Dionyſio Areop. de Div. Nom. Cap. II. §. 8. p. 498.

XII. Sub hac notione Deum concipientes, nobis obverſatur inſtar ſubjecti, cui commodiſſimè omnes divinæ perfectiones attribuantur. Ut non abſurde inſtituant, qui, perfectiones Dei definituri, ſingulorum attributorum tanquam genus, eſſentiam vitamque Dei dicunt. Quid enim eſt Dei *Simplicitas*, quam perfectiſſima cogitatio quæ univerſa eſt id quod eſt, omnemque excludit compoſitionem? Quid *Omniſcientia*, niſi perfectiſſima cogitatio, concepta cum quadam relatione ad omne id quod ſciri poteſt? Quid *Sanctitas*, niſi perfectiſſimæ illius atque infinitæ cogitationis decentia ejuſque decentiæ amor? *Nega de Deo quæcunque voles, modo unam cogitationem Divinam ſive perfectiſſimam concedas, manent omnia, ſupereſt omnium Dei attribu-*

Digitized by Google

tributorum ſufficientiſſimum fundamentum: at ſine illa, non poteſt ullum concipi Dei attributum, neque ipſe Deus. Poſſum concipere Deum potuiſſe eſſe non creatorem, non Redemtorem, & ſimilia; poſſum ita concipere unum Dei attributum ſine alio attributo, ut in conceptu unius non inſit formaliter conceptus alterius; at impoſſibile eſt ut ejus aliquod attributum concipiam in cujus conceptu non ſit formaliter cogitatio, cujus baſis & fundamentum, ratio poſitiva, &, ſi ita loqui liceat, ſubjectum immediatum, non ſit ipſa Cogitatio Perfectiſſima. Nec video quid ultra requiri poſſit, ut concludatur, Naturam & Eſſentiam Dei eſſe ipſam Cogitationem. Idem loco citato.

Sobrie hic Philoſophandum.

XIII. Sobriè hic, ſi ullibi, Philoſophandum eſt; utut enim qualicunque modo eſſentiam illam Dei actu quodam mentis noſtræ percipiamus, manet tamen Ἀπερινόητος, καὶ ἀπρόσβλητος παντελῶς ταῖς ἀνθρώπων διανοίαις ὁ περὶ τῆς ἀῤῥήτου φύσεως λόγος. *Incomprehenſibilis prorſus mentibus humanis illa ineffabilis naturæ ratio.* Cyrillus in Expoſ: Symb: Nicæni p. 188. Duo hic vitandi ſunt ſcopuli, in quos qui impingit, næ is naufragium omnis fidei ac cognitionis divinæ faciet. Hobbeſii ab una parte; ab alia Spinoſæ figmenta. Immenſum, utrique licet ex æquo à vero aberrent, inter ſe diſſentiunt tamen. Ille in defectu, hic in exceſſu peccat, immane Benedictus de Spinoſa quantum!

XIV. Hobbeſius de Cive Cap. xv. §. 14. *Non igitur Deus dicendus eſt concipi, ſive comprehendi imaginatione, vel quacunque facultate animæ noſtræ; quicquid enim concipimus finitum eſt. Et quanquam vox hæc infinitum ſignificet conceptum animi, non tamen ſequitur conceptum nobis aliquem eſſe rei infinitæ: quando enim dicimus aliquid eſſe infinitum, non aliquid in re ſignificamus ſed impotentiam in animo noſtro; tanquam ſi diceremus neſcire nos, an & ubi terminetur. Neque dici de Deo honorificè, quod idea ejus animo noſtro inſit, idea enim conceptus noſter eſt, conceptus autem niſi finiti non eſt. Illum igitur qui nolit attribuere Deo alia*

Digitized by Google

alia nomina, quam jubet ratio, oportet uti nominibus, quæ vel negativa ſunt, ut finitus, æternus, incomprehenſibilis, vel ſuperlativa.

XV. Id agit, ut probet, nullum revera nos poſitivum Dei conceptum habere. Adeoque tollit omnem cognitionem Dei. Cujus enim conceptum non habeo, id non cognoſco, de eo judicare, adeoque id amare aut glorificare non *poßum*. Apertè prodit mentem §. 13. *Ex principiis ſcientiæ naturalis tantum abeſt, ut ſciamus naturam Dei, ut ne quidem noſtri corporis aut cujusque creaturæ proprietates ſatis aſſequi poßimus*. Satis aſſequi non poſſumus proprietates ullius rei, fateor, ne quidem corporis, aut ullius creaturæ, ita ut omne id quod mens infinita in iis videat, nos pariter clarè ac diſtinctè concipiamus. At tanto magis æquum eſt, ut id de eo, quem de Deo habemus, conceptu, lubentes fateamur. Multum autem differunt, nullum habere, & habere adæquatum rei conceptum. Conceptum ſane nos habere de Deo & realem & poſitivum, per ſe ita clarum eſt, ut vel negans aſſerat Hobbeſius. Limitibus quoque phantaſiæ non eſſe includendum jure inficiatur. At nonne rem aliquam tum concipit, quæ talis ſit, ut imaginationis noſtræ vires ac modulum longè ſuperet? Et ſi poſitivum non habeat de Deo conceptum, qui ſcit exiſtere Deum? exiſtentia chimæræ adfingi non poteſt, aut rei ulli impoſſibili. De poſſibilitate autem rei, præterquam ex poſitivo conceptu, judicare non poſſumus Ut ſe ipſum refutet eodem paragrapho 14. quando *unum naturæ Dei ſignificativum nomen* ſeu vocabulum admittit, nim. *exiſtens, ſeu ſimpliciter quod eſt*. Exiſtere enim rem dicere non poteſt, niſi prius conceptam. Cujus enim nullum conceptum habeo, id ſane ignoro an ſit aut eſſe poſſit. Ex ipſius Dei perfectione cum exiſtentiam eliciat ipſe Hobbeſius, fieri non poteſt, quin poſitivum habeat ẽ perfectiſſimi conceptum. imo cum aſſerit Deum *eſſe* abſolutè & modo perfectiſſimo, ſtatuit Deo nihil deeſſe, in Deo nihil eſſe niſi merum eſſe, ſibique adeo non deeſſe, adeoque ſui eſſe conſcium,

Hobbeſii Mens.

Ex ipſo Hobbeſio confutata.

O

ſcium; ſicque cogitare, & eſſe cogitationem perfectiſſimam: ut largiatur id quod negat, nim. habere nos poſitivum de Deo conceptum.

Hobbeſii de voce IDEA cavillus.

XVI. Quem ſi *ideam* dici nolit, per nos licet, modo de re ipſa conſtet. At miror, cum ipſe Hobbeſius *idea* illius adverſarius, ideam idem eſſe dicat cum conceptu, homines dari, qui hanc vocem tantopere faſtidiant. Malunt *conceptum* dicere quam *ideam*, ineptè, cum illud improprium ſit, & per metaphoram demum id quod jam denotamus ſignificet; hoc autem proprium vocabulum; illud ex ſua indole non niſi corpori, hoc menti maximè conveniens. At cum Hobbeſio nobis hic ſcrupulum moventibus æque nos liberales ac ipſi Hobbeſio probemus. Procul abſit vox *idea* & *conceptum* dicamus, modo ne a Spirituali & puro mentis actu, ad imaginationem, aut prorſus quidem ad ſenſus deflectamus. Quando *infinitum* dicimus, non ſanè tantum impotentiam animi fatemur, ſed & eſſe revera extra nos id quod infinitum eſt. Non tantum dicimus neſcire nos ubi terminetur, ſed poſitive dicimus, divinam perfectionem reipſa excludere omnes perfectionis ſuæ terminos. Certè conceptus infinitatis maxime poſitivus eſt. Quando enim Deo eam tribuimus non nihil dicimus, ſed aliquid: nec aliquid, quod non concipimus; cogitamus enim mentem omni ratione perfectiſſimam.

Quomodo finita mens infinitum concipiat.

Quicquid concipimus, *finitum* eſt, largior, ſed certo ſenſu, quo probè notato, detecta erit & ſoluta hominis ſophiſticatio. Id quod concipit, ſeu mens noſtra finita eſt, nec ullus actus excedere poteſt mentis modulum, adeoque actus ille mentis, quo Deum cogitamus, finitus eſt: ſed aliud eſt ipſe actus ſubjectivè & in ſe, aliud objectivè conſideratus. In ſe quidem finitus, at verſans circa objectum infinitum. Oculus corporis quantum occupat viſu ſuo ſpatium? Sic mens noſtra, finita licet, id cogitat, quod immenſum cæteroquin mentem ſuperat, infinitum nim. Deum. Finitæque mentis actui finito, obverſatur mens omni modo infinita.

XVII. Dein-

Digitized by Google

XVII. Deinde non id tantum concipimus quod uno ac ſimpliciſſimo mentis actu concipimus. Sic enim, taceo Deum, nullius rei naturam prorſus concipimus; at ea, quæ non ſine ratiocinatione, adeoque diverſis mentis actibus cogitamus, cogitamus tamen & percipimus. Sic fateor ad Deum recte percipiendum plures actus mens noſtra elicit, & ratiocinando proficit. Excutienda mens eſt & removenda impedimenta non unius generis, quorum præjudicia, & temerè ac crebro ſenſibus atque imaginationi abhibita fides, partem faciunt haud exiguam; hæc removenda inquam, ut conceptum de Deo habeas; & ſic elicias quæ inſita nobis, Dei ideam. Id tamen, quo ratiocinando mens proficit, non minus concipit, quam ea, quæ prius noverat, & primo quoque obtutu cuivis occurrunt. Adeoque licet finita mens ſit actuſque ſinguli finiti, unoque & primo obtutu ſeſe illa idea non offerat; idea tamen & conceptus mentis eſt, qui infinitum illud ens nobis quaſi *repræſentat*, ſeu potius; ne quis hoc vocabulum corpus exprimere, & ſenſibus magis aut imaginationi, quam mere mentis actui indicando autumet idoneum, *cogitandum præbet*. Aut nihil concipimus cum Deum dicimus, aut aliquid. Si prius dixeris, merum & craſſum Atheiſmum profiteris; ſi poſterius, regero, id quod concipis ſe objective menti tuæ offeret aut ut infinitum, aut ut finitum, aut ut neutrum. Non ut finitum, quoniam conceptus ille exerte negat Deum, cum quod ut finitum nobis obverſatur, Deum eſſe aſſeri non poteſt: non ut neutrum, quia ille conceptus abſurdus eſt, tum quod omne ens ut revera eſt, ſic & cogitatur eſſe, aut finitum aut infinitum: manet igitur, Deum nobis non poſſe obverſari niſi ut infinitum: adeoque poſitivum nos habere Dei conceptum. Quæ contra Hobbeſium hac in parte ſufficient.

XVIII. In aliud extremum a veritatis tramite deſcivit B. D. Spinoſa. Qui, vana ſapientia turgidus, ſuperbe nimis adæquatam nobis adſcribit ipſius divinæ naturæ perceptionem ſeu conceptum. Prop. XLVII. Eth. part. II. *Mens humana adæquatam habet cognitionem æterna*

B. D S. è contra adæquatum nobis tribuit infiniti conceptum.

Digitized by Google

na & infinita eſſentia divina : & Prop. XLVI. ejuſdem Partis. *Cognitio æterna, & infinita eſſentia Dei, quam unaquaque idea involvit, eſt adæquata & perfecta.* Harum autem propoſitionum Demonſtrationes ficta tum nitantur & contorta verborum ſignificatione, falſaque rerum definitione, ſponte evaneſcent, ubi, tum Eſſentiæ divinæ, tum mentis noſtræ vera ratio probè conſtiterit. Illius perfectione & hujus finitate rite perſpecta, ilico iſtarum propoſitionum falſitas ultro ſe prodet. Lubet hæc cum aliis ejuſdem dictis conferre.

XIX. Alicubi mentis noſtræ *imbecillitatem* memorat in de Intell. Emendat. p. 388. aliquem conceptum *ſupra humani ingenii vires* eſſe ultro agnoſcit ibidem p. 389. Hinc progrediendum dicit, *quoad ejus fieri poteſt, ſecundum ſeriem cauſarum ab uno ente reali ad aliud ens reale & ita quidem. &c.* p. 388. Hæc lege obſecro & perplexum hominem videbis atque impeditum, adeo ut non niſi αὐτοκατακρίτως alibi Ideam nobis Dei adæquatam faſtuoſe vindicet.

Potius nullum habet niſi contortum, quam verum Dei conceptum.

XX. Imo vero tantum abeſt ut adæquatam habeat, ut potius nullam habere Dei ideam dici debeat; quod ſic demonſtro: ſeries rerum ſingularum & mutabilium nihil aliud eſt, quam ſeries diverſarum modificationum, ſubſtantiæ enim ſunt æternæ atque immutabiles, modi autem ſubſtantiæ affectiones, ſive id quod in alio eſt, per quod etiam concipitur per Def. V. P. I. id autem per quod res concipitur pertinet ad rei eſſentiam, ergo infiniti modi pertinent ad ſubſtantiæ eſſentiam, non quidem hi qui jam ſunt, infiniti tamen; infiniti autem modi ſimul concipi non poſſunt, aut, ut Spinoſæ verbis utar, *omnia ſingularia ſimul concipere eſt res longè ſupra humani intellectus vires* p. 389. ſive enim modos infinitos dicas, ſive res ſingulares infinitas, perinde id eſt Spinoſæ. Ergo concipere id quod pertinet ad ſubſtantiæ infinitæ eſſentiam, longè ſupra humani intellectus vires eſt. Vides quam adæquata hæc ſit Dei cogitatio, quæ revera nulla potius eſt quam adæquata.

Digitized by Google

XXI. Et ſanè ſi ulla ſit mentis humanæ, quam ipſe accuſat, *imbecillitas*, ſi quicquam ſit, quod, ut ipſe fatetur, *longe ſit ſupra humani intellectus vires*, certe Deus eſt. Niſi ulla in re major ſit perfectio quam in ipſo Deo: aut cumulus perfectionum, aut numerus modificationum infinitarum, majus quid ſint, & cujus infinitatem minus aſſequatur mens noſtra, quam ipſius Dei, licet, ex ſenſu Spinoſæ, Deus ſit *ens abſolute infinitum, hoc eſt ſubſtantia conſtans infinitis attributis, quorum unumquodque infinitam eſſentiam exprimit* Def. VI. part. I. Entis abſolutè infiniti habemus ideam adæquatam juxta noſtrum; ſubſtantiæ conſtantis infinitis attributis, quorum unumquodque æternam & infinitam exprimit eſſentiam ideam habemus adæquatam, & res ſingulæ mutabiles eorumque ſeries ſuperannt captum. Quis obſcurorum verborum involucro artificioſe implexa non videt mendacia. Lege quæſo pag. 388. & 389. ac confer cum aliis & meras tenebras videbis, craſſoſque errores lectorum oculis offundere hominem palam deprehendes.

XXII. Compreſſo igitur giganteo Spinoſæ faſtu: modeſtè in divinæ conſideratione ESSENTIÆ progrediamur, ea accurate ſervata methodo, ut, illius jam formato qualicumque, inadæquato licet, vero tamen claroque ac diſtincto conceptu quaſi generico, ſingula deinceps attributa contemplemur, perfectiones ſingulas.

XXIII. Sed cæteris præmittenda eſt generalis quædam illius Eſſentiæ, tanquam ab omni alia, ſeu re, ſeu eſſentia, diſtinctæ, conſideratio. Quò conſtet, divinæ illius eſſentiæ ac ſubſtantiæ, ab omni alia re creata, diverſitas, qua certa eſt, & abs quavis alia re *diſtincta ſubſtantia*. Ut cæteræ res, quas, præter ipſam illam Dei eſſentiam, aut eſſe revera, aut poſſe eſſe concipimus, non ſint Deus, aut pars Dei, aut peculiaris tantum denominatio, ob diverſam modificationem, enti infinito tributa. Mirum procul dubio legenti videbitur me rem ita claram certamque ſollicitè exponere, *Eſſentia Dei abs quavis alia re diverſitas.*

Digitized by Google

atque inculcare. At ulterior veritatis, ſe ipſa licet clariſſimæ, probatio nunc inſtituenda eſt, ut os obturetur eidem ſophiſtæ, quem jam indigitavimus.

B.D.S. affectata obſcuritas.

XXIV. Magna diligentia atque attentione opus habui, ut indagarem verum tortuoſi ingenii ſenſum & aſſequerer. Plura occurrebant quæ probare non poteram

Carpenda in ipſo nonnulla.

I. Quod mentem planè, candidè, atque apertè exponere ut plurimum noluerit; miros in anfractus gyroſque flectens orationem potius quam palam faciens & oculis, abſque involucro exponens ea quæ ſentit.

II. Quod definitiones rerum formet tales, eaſq; tanquam certas atque indubitatas ponat, quæ falſæ ſunt; &, ſi veræ eſſent, diſputatione omni ac demonſtratione ſuperſedere poſſet. Sumamus Ethices part. I. Def. III. *Per ſubſtantiam intelligo id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur: hoc eſt id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.* Poſtrema verba ex ſenſu Spinoſæ non ſunt referenda ad *conceptum* ſed ad *rem*; ac ſi dixiſſet, a quo formari debet res illa quæ ſubſtantia dicatur. Ut per *ſubſtantiam* intelligat *id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur: hoc eſt, id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat* ſc: res illa. Adeoque hæc definitio I. valde intricata eſt atque obſcura: nec futilitate caret ea obſcuritas. Quid enim ſibi hoc vult quod in fine eſt? cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei a quo res illa formari debeat, nemo enim formari debere ſubſtantiam nunc exiſtentem dixerit, ſed formari debuiſſe; ut indicium fiat, dari ſubſtantias, quæ, ut dependentes & factæ neceſſario concipi debeant. Subdole igitur hic agit Noſter, cum mentem ſuam data opera non clare exprimit. 2. Veritatem quoque ſuam non perſpicuè prodit hæc definitio, quod tamen in definitione Mathematicè agentium imprimis requiritur. 3. Et ſi ea ſenſu Spinoſæ obtineat, nihil ſubſtantia dici poterit, præter ſolum Deum, eritque una tantum ſubſtantia, neque una ab alia produci poterit; aut una finita

eſſe

Digitized by Google

eſſe alia infinita; aut una concipi, ut quæ poſſit non exiſtere, alia ut de cujus eſſentia ſit exiſtentia; quapropter nulla ratio eſt quæ eum cogat ut talia tam operoſe demonſtrare ſatagat, quemadmodum videmus P. I. Prop. V. VI. VIII. & ibid. Schol. 2. poſita enim atque admiſſa ea definitione, reliqua ſponte ſequuntur. Idem de Def. ſexta aliiſque demonſtrari poſſet. 4. Supponit igitur, quod longè abſurdiſſimum eſt, ea, quæ demonſtranda in ſe ſuſcipit. 5. Præterea falſiſſima erit hæc definitio, niſi eam emphaſin tribuas voci ſubſtantiæ, quæ nec etymon exigit, nec uſu obtinet. Poteſt, fateor, vox ſubſtantiæ ea in emphaſi uſurpari, qua nil niſi Deum ſignificet, verum id eſt ludere in verbis, & alia vocabulo deſignare, quam alii eo indigetant; quod eſſe plurimarum controverſiarum cauſam rectè alicubi conqueritur. Uſus jam invaluit, nec vocis etymon refragatur, ut omne id quod exiſtit, & non eſt in alio tanquam in ſubjecto, ſubſtantia dicatur.

III. Quod ſæpe unum dicat, idemque repetito inculcet abſque fructu. Sic definitiones, quæ, ut ſunt rerum diverſarum, diverſæ pariter eſſe debent, reipſa tamen eaſdem mutatis aliquantulum vocabulis, reponit.

IV. Quod Scripturam ſuſque deque habeat & myſteria fidei penitus aut rideat, aut ſub verborum fuco res nihili eſſe exiſtimet. Videſis Epiſt. XXIII.

V. Quod aliter ſentire & loquutus videri velit ac revera loquutus eſt & ſentit.

VI. Quod, quando de rebus Mechanicis aut Opticis agit, ita diſſerat clare atque apertè, impeditiſſimè autem cum ad rerum prima principia aut res divinas ventum eſt.

VII. Quod Atheiſmum ita tepidè, & argumento, quod frigidum eſt, nec omni modo verum, amoliatur. Ep. XLIX. Operæ pretium eſt ut audiamus. *Solent Athei honores, & divitias ſupra modum quærere quas ego ſemper contemſi.* Ac ſi Athei nulli eſſent qui honori, qui nomini, qui aliis dediti ſint potius quam divitiis. Sane qui, dum ingenio pollet

let ita ineptè argumentatur, credi non vult id quod perſuadere videtur.

VIII. Quod vocabulorum ſignificatione, pro arbitrio ficta ac reficta, ſe non minus ipſe, quam lectorem multis difficultatibus intricet, quas ſuperare nemo poteſt, niſi ad vocabulorum abuſum, eoque fundatam perverſam rerum definitionem, & falſa axiomata, audacter poſita, curatius attenderit.

IX. Quod demonſtrata jactitet, quæ nulla ratione probat. Verum hiſce nunc ſuperſedeo, cum hominis labores in genere potius ſpectent, quam ut ſignatè faciant ad noſtrum propoſitum. Agedum an, quo tendat omnis noſtri hominis ratiocinatio, aſſequi & in ſummam redigere poſſimus, ſedulo tentemus. Hic videtur nexus eorum quæ fundamentum ſternit reliquis.

Summa Sententia B.D.S.

XXV. Statuit Deum eſſe, eum eſſe ens perfectiſſimum, adeoque de cujus eſſentia ſit ejus exiſtentia, cujus intelligere ſit velle; intelligere modificatio eſſentiæ; hæc modificatio ex ipſa eſſentiæ natura profluat: ut, quæ Deus intelligit, non poſſit non intelligere: adeoque quæ vult non poſſit non velle: hinc res factæ, volitæ, intellectæ omnes & ſunt, & tales ſunt, quia eſt de eſſentia Dei ut ſint tales; id eſt, rerum eſſentiæ continentur in natura Dei: ergo omnis rerum varietas eſt ipſius unicæ ſubſtantiæ, adeoque Dei, ſeu eſſentiæ divinæ modificatio, ipſaque rerum univerſitas Deus eſt. Præter Deum igitur nulla dari neque concipi poteſt ſubſtantia. Quicquid eſt, in Deo eſt. Quicquid in Deo eſt, Deus eſt, ergo cuncta Deus.

Eadem paulo aliter ex ejus poſitionibus deducta.

XXVI. Alia methodo. Eſt de natura entis perfectiſſimi, ſeu Dei, ut ſemper agat perfectiſſimè. Adeoque nunquam potuit ita non agere. Et omnia quæ ſunt non poſſunt non eſſe aut alia eſſe. Exiſtentia igitur eſt de omnium rerum eſſentia. Rerum proinde univerſitas eſt ipſum ens perfectiſſimum: ergo Deus.

Preſſius demonſtrata.

XXVII. Iterum: *Una tantum datur ſubſtantia* per Prop. v. P. I. Eth. *Præter Deum neque dari neque concipi poteſt ſub-*

ſubſtantia P. XIV. eaque infinita P. VIII. ejuſdem: & æterna Ep. XXIX. pag. 466. ſecundum Coroll. I. P. XIV. P. I. *Deus eſt unicus*: idque tantundem valet, ac, *in rerum natura non niſi unica ſubſtantia datur eaque abſolutè infinita.* Imo quicquid eſt, Deus eſt; nec quicquam exiſtit in rerum natura quod non ſit ipſe Deus. Sic habet Prop. XV. P. I. *Quicquid eſt, in Deo eſt, & nihil ſine Deo eſſe, neque concipi poteſt.* Hanc Propoſitionem iſthæc ſequitur Demonſtratio: *Præter Deum nulla datur, neque concipi poteſt ſubſtantia (per Prop. 14.) hoc eſt (per Defin. 3.) res quæ in ſe eſt, & per ſe concipitur. Modi autem (per Defin. 5.) ſine ſubſtantia nec eſſe, nec concipi poſſunt: quare hi in ſola divina natura eſſe, & per ipſam ſolam concipi poſſunt. Atqui præter ſubſtantias & modos nil datur (per Axiom. I.) Ergo nihil ſine Deo eſſe, neque concipi poteſt* Q. E. D. Vides ſubdole agere hominem, nec effari voluiſſe animi ſententiam. Concludendum enim, adeoque & proponendum erat, nihil eſſe quod non ſit Deus. Nihil enim eſt quod non ſit aut ſubſtantia aut modus. *Modus* autem non tam exiſtit quam inhæret ſubſtantiæ, *eſt* enim *affectio ſubſtantiæ* per Defin. V. P. I. Eſt igitur ipſe Deus omnis ſubſtantia & ſubjectum omnis modi. Imo quæcunque videmus, quæcunque præter unam ſubſtantiam cogitamus, tanquam exiſtentia, nihil aliud ſunt, quam attributa aut modi ejuſdem illius ſubſtantiæ, adeoque Dei. Apertè Coroll. II. ad P. XIV. part. I. *res extenſa & res cogitans, vel attributa Dei ſunt, vel affectiones attributorum.* Satis igitur ſuperque conſtat S. ſtatuere Deum non eſſe ſubſtantiam, eſſentia ab aliis rebus diſtinctam; ſed omnem rerum univerſitatem Deum eſſe. Clare admodum Epiſt pag. 466. *Sequitur, quod ſubſtantia non multiplex ſed unica tantum ejusdem naturæ exiſtat.* Operæ pretium erit abſurdiſſimum errorem ſolide convinci. Probandum igitur, Deum eſſe ens ab omni alia re diſtinctum, diverſamque ac ſingularem ſeu peculiarem ſubſtantiam.

Sententia B. D. S. in lucem protracta.

XXVIII. Amoliri quidem a noſtro hujus ſententiæ ſuſpicionem

Digitized by Google

Sententia. B. D. S. in lucem protracta.

cionem videri vult præfator, ſed ita frigidè ac ſubdolè, ut roboret magis quam tollat. Verba audiamus. *Quod difficultates attinet, a nonnullis Tractatui Theologico Politico oppoſitas, quod ſc: Primo auctor Deum & Naturam confundat, vel (ut illi volunt) pro uno eodemque habeat*, illi difficultati reſpondet *in Epiſtola Vigeſima Prima ad Clariſſimum Virum D. Oldenburgium ſcripta hiſce verbis. Deum omnium rerum cauſam immanentem ut ajunt non vero tranſeuntem ſtatuo. Omnia, inquam in Deo eſſe & in Deo moveri cum Paulo affirmo, & forte etiam cum omnibus antiquis Philoſophis, licet alio modo.* 1. Nos non dicimus eum ita confundere Deum & Naturam, ut non *alio*, quemadmodum ipſe loqui amat, id eſt, ſibi peculiari, *modo* diſtinguat. 2. Diſtinguit enim tum conceptu & ratione ſuâ, tum in re ipſa, ſed ut effectum a cauſa emanante, ſeu immanente: ut habet Prop. XVIII. P. I. Eth, ut attributum a ſubjecto, & modum a ſubſtantia; adeoque ut una tantum ſit ſubſtantia, attributa autem & modi tantum varii. 3. Quin quando cauſam dicit Deum, non intelligit cauſam, quæ res alias produxerit ex nihilo, id enim abſurdiſſimum videri debet iſti homini, ut patet Prop. VI. P. I. Eth. Nihil autem in natura datur *præter ſubſtantias earumque affectiones* ex Corol. Prop. VI. jam allegatæ. *Et una ſubſtantia* ex Prop. eadem *non poteſt produci ab alia ſubſtantia: Omniſque ſubſtantia eſt neceſſariò infinita* ex Prop. VII. Non datur igitur ulla ſubſtantia niſi quæ æterna, adeoque Deus ſit. 4. Clarè autem qualem cauſam Deum agnoſcat exprimit. Ep. XXIX. pag. 469. nimirum *cui inhæreant* omnia, quod nihil aliud eſt dicere, quam Deum eſſe ſubjectum & ſubſtantiam, cetera omnia aut modos aut attributa illius ſubſtantiæ. Præter quam majorem diſtinctionem cum nullibi agnoſcat, quin ſexcenties rejiciat, recte nos ejus mentem aſſecutos eſſe, luce meridiana clarius eſt.

XXIX. At dices, auctorem Prop. XXIV. mentionem facere *rerum* a Deo *productarum* imo in Corol. ſtatuere, *Deum non*

Digitized by Google

non tantum eſſe cauſam, ut res incipiant exiſtere; ſed etiam, ut in exiſtendo perſeverent, ſive, (ut termino Scholaſtico utar) Deum eſſe cauſam eſſendi rerum: & Prop. XXV: *Deum non tantum eſſe cauſam efficientem rerum exiſtentiæ; ſed etiam eſſentiæ.* Loquendi modos hujus hominis non intelligentibus hæc clara videbuntur, fateor, & ex rei veritate dicta; iis autem, qui penitius mentem ſcrutati ſunt, ſecus videbitur. Quin in Scholio & Corollario, poſteriori propoſitioni annexis, apertiſſime ſe prodit hiſce verbis: *eo ſenſu quo Deus dicitur cauſa ſui, etiam omnium rerum cauſa dicendus eſt. Res* autem *particulares NB. nihil ſunt, niſi Dei attributorum affectiones, ſive modi quibus Dei attributa certo & determinato modo exprimuntur.* Deus igitur unicum ſubjectum, unica ſubſtantia: illius ſunt duo attributa, infinita nim. cogitatio & infinita extenſio, hæc attributa, diverſimode modificata, ſunt rerum omnium, quas ſenſu percipimus aut imaginamur, aut pura mente aſſequimur, univerſitas. *Sententia B.D.S. in lucem protracta.*

XXX. Eodemque ſenſu accipi debet diſtinctio quam habet Scholium Prop. XXIX. p. I. Eth. hiſce verbis: *Antequam ulterius pergam, hic, quid nobis per Naturam naturantem, & quid per Naturam naturatam intelligendum ſit, explicare volo, vel potius monere. Nam ex antecedentibus jam conſtare exiſtimo, nempe, quod per Naturam naturantem nobis intelligendum eſt id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur, ſive talia ſubſtantiæ attributa, quæ æternam, & infinitam eſſentiam exprimunt, hoc eſt, (per Coroll. 1. Prop. 14. & Coroll. 2. Prop. 17.) Deus, quatenus, ut cauſa libera, conſideratur. Per Naturatam autem intelligo id omne, quod ex neceſſitate Dei naturæ, ſive uniuſcujuſque Dei attributorum ſequitur, hoc eſt, omnes Dei attributorum modos, quatenus conſiderantur, ut res, quæ in Deo ſunt, & quæ ſine Deo nec eſſe, nec concipi poſſunt.* Uno verbo, natura naturans eſt Deus quod ad eſſentiam ſuam, natura naturata & rerum univerſitas nihil aliud quam Deus ut modificatus conſideratus. Inſpice obſecro Ep. XLIX. p. 555.

Digitized by Google

Sententia B. D. S. in lucem protracta.

Nec hic jam quæro, cur idem ſit, vel non multum diſcrepent, ſtatuere omnia neceßariò a Dei natura emanare & NB. univerſum Deum eße. Et Ep. XXVII. pag. 463. loquens de ſubſtantiæ atque attributi diverſitate, exerte innuit reipſa unum eſſe idemque „ *Per ſubſtantiam intelligo id, „ quod in ſe eſt, & per ſe concipitur, hoc eſt, cujus con„ceptus non involvit conceptum alterius rei. Idem per attri„butum intelligo, niſi quòd attributum dicatur reſpectu in„tellectûs, ſubſtantiæ certam talem naturam tribuentis. Hæc, inquam, Definitio ſatis clarè, quid per ſubſtantiam, ſive attributum intelligere volo, explicat. Vis tamen, quod minimè opus eſt, ut exemplo explicem, quomodò una eademque res duobus nominibus inſigniri poſſit. Sed ne parcus videar duo adhibebo. Primò dico per Iſraëlem intelligi tertium Patriarcham, idem per Jacobum intelligo, quod nomen Jacobi ipſi imponebatur propterea, quod calcem fratris apprehenderat. Secundò per planum intelligo id, quod omnes radios lucis ſine ullâ mutatione reflectit, idem per album intelligo, niſi quòd album dicatur reſpectu hominis planum intuentis. &c.* cum autem rerum univerſitas nihil ſit, niſi infinita extenſio & infinita cogitatio, varietas autem rerum modificatio iſtorum attributorum, patet, quod dixi, Deum & res omnes alias, ex ſenſu S. revera unum & idem eſſe. *Sic facilè concipiemus, totam naturam unum eſſe Individuum, cujus partes, hoc eſt, omnia corpora infinitis modis variant, abſque ullâ totius Individui mutatione. Eſt nimirum hoc ens; unicum, infinitum, hoc eſt, eſt omne eſſe, & præter quod nullum datur eſſe. Vides igitur, qua ratione, & rationem, cur ſentiam Corpus humanum partem eſſe Naturæ: quod autem ad Mentem humanam attinet, eam etiam partem Naturæ eſſe cenſeo; nempe quia ſtatuo, dari etiam in naturâ potentiam infinitam cogitantem, quæ, quatenus infinita, in ſe continet totam Naturam ſubjectivè, & cujus cogitationes procedunt eodem modo, ac Natura, ejus nimirum ideatum.*

XXXI. Per-

Digitized by Google

XXXI. Perſpecta igitur genuina hominis mente, reliquum eſt, ut falſi convincamus periculoſiſſimum errorem. *Falſitas Sententiæ B. D. S.*

XXXII. Non movebit ſequaces, ſi dixerim inter gentiles fuiſſe, qui hac in parte viam præiverint. Præter Plinium Hiſt. Nat. L. II. C. I. Stoicos mundum pro Deo habuiſſe docti norunt. Prolixè id probat Voſſius de Idol. L. VII. Cap. VI. *Totum hoc, quo continemur, & unum eſt, & Deus eſt.* Senec. Epiſt. XCIV. Ut *Deus ſit mens mundi & mundus corpus Dei. Juppiter eſt, quodcunque vides, quocunque moveris* Lucanus L. IX. De Varrone refert Auguſtinus de C. D. L. VII. Cap. VI. quod ſtatuerit *hunc ipſum mundum eße Deum.* Ὅλον δὲ τὸν κόσμον, σὺν τοῖς μέρεσιν αὐτοῦ, προσαγορεύουσιν Θεόν. *Stoici totum mundum, cum partibus ejus, vocant Deum.* Didymus apud Euſeb. XV. c. 15. Præparat. Euang. Lubet pauca addere eodem illo Euſebii ex capite. διὸ κατὰ μὲν τὴν προτέραν ἀπόδοσιν, ἀΐδιον τὸν κόσμον εἶναί φασι· κατὰ δὲ τὴν διακόσμησιν, γεννητὸν καὶ μεταβλητὸν, κατὰ περιόδους ἀπείρους γεγονυίας τε καὶ ἐσομένας. *Itaque ſi prioris illius ratio habeatur, ſempiternum ipſi mundum eße ajunt ſin ornatus iſte ſpectatur, genitum, ac pro infinitarum, ſeu quæ jam præterierint, ſeu quæ futuræ poſtea ſint, periodorum converſione mutabilem*, Ovum ovo non eſt magis ſimile quam ſententia Spinoſæ huic Stoicorum ſomnio. Quod cum videmus, mirum non eſt, Spinoſiſtarum præcepta moralia pariter Stoicis eſſe ſimilia. Neceſſitatem rerum, concatenationem, hunc aut illum gyrum continuò crepantes. Adde Notas Ludovici Vivis & Coequæi ad Auguſtinum de C. D. loco antea allegato. Non quidem movebit id, ut dixi, hominis ſequaces: notare tamen volui, ut novè ab ipſo repertum non eſſe hoc dogma videant. At exactè in ipſum quadrat quod rectè alibi de Ariſtotele Clemens Alexandrinus Admonit. ad Gentes P. 44. τὸν κόσμον Θεὸν ἡγούμενος, περιτρέπεται, τὸ ἄμοιρον τοῦ Θεοῦ Θεὸν δογματίζων. Certè ἄμοιρος expers Dei eſt ille mundus, qui Deus fingitur. Verum non multum noſtra intereſt, ſive primus ipſe, ſive alii

Jam dudum in gentibus notata.

Rationes B.D.S. oppoſitæ

pariter ita ante ipſum deliraverint. Cum validæ rationes ſuppetant & magno numero quibus utroſque confutemus. Tanto autem accuratius cum ipſo hic agendum erit, quoniam, hoc dogmate ſubverſo, cuncta hominis cogitata ſponte ruent. Huc omnia redire recte jam dudum notavit Bredenburgius; Blyenburg, Manſveld, alii. Hujus hæc verba ſunt c. Tractat. Theol. Polit. Lib. Singul. pag. 129. *Videbimus eum per naturam intelligere Deum identificatum, ſeu non diverſum, ab univerſitate rerum corporearum. Quod eſt abſurdiſſimum illud fundamentum cui tractatus hic innititur.*

XXXIII. Ratio qua hominis errorem ſubverſum dare poſſumus non una eſt. Primo quidem. Illud quod rei alicujus ideam non ingreditur, ſine quo clarum habere poſſumus ac diſtinctum rei alicujus conceptum, illud nos de illius rei eſſentia eſſe dicere non convenit. Dei autem ideam non ingreditur cogitatio ullius rei extenſæ, aut cogitantis finitæ; quin abſque cogitatione tam rei omnis extenſæ, quam cogitantis, quæ finita, aliunde determinata; unô verbô, qualis noſtra, dependens ſit, abſque, inquam, illarum rerum cogitatione concipi Deus independens, infinita ac perfectiſſima mens poteſt; adeoque ſequitur illas non eſſe de eſſentia Dei. Quæ autem non ſunt de Eſſentia Dei, ab iis Deus reipſa diſtinguitur, & peculiaris eſt, ac diſtincta ſubſtantia, at præter res extenſas & cogitantes finitas, nullæ aliæ dantur, ergo Deus a rebus omnibus ita diſtinguendus eſt, ut ſit ſubſtantia peculiaris ab omni alia re Eſſentiâ diſtincta. Q. E. D.

XXXIV. Mentem, ſaltem humanam quod attinet, diſtinctam eam & a Deo diverſam ſubſtantiam eſſe, ſic breviter & clare demonſtro. Illud quod ſe cognoſcit, ſuique ipſius adæquatam tamen cognitionem nec habet nec habere poteſt, id reipſa & tota ſubſtantia a Deo diverſum eſt. Talis autem eſt mens noſtra. Pergo: quod Dei adæquatam cognitionem non habet & tamen cognoſcit, illud aliud cognoſcens eſt quam Deus, adeoque alia ſubſtantia: τὸ cognoſcere enim actus ſubſtantialis eſt.

XXXV. Actus

Digitized by Google

XXXV. Actus ſubſtantialis Dei eſt ipſe Deus, cognitio Dei, qua ſe cognoſcit, eſt actus Dei ſubſtantialis, E. Eam autem in nobis non deprehendimus, adeoque ſumus cogitatio atque adeo res cogitans a Deo prorſus diverſa ac diſtincta. *Rationes B.D.S. oppoſitæ.*

XXXVI. Imo cum mens mea prorſus alia ſit, a mente Spinoſæ, oportet utraque a Deo tota eſſentia ſua differat. At nullius rei mihi magis conſcius ſum, quam meam mentem nihil habere, nihil eſſe in mea mente, quod idem ſit in mente S.

XXXVII. Me ipſum propius paulo contemplatus deprehendo cogitationem variabilem & maximè limitatam, Deum autem cogito, ut actum perfectiſſimum, ut cogitationem non variabilem, non limitatam, imo & non limitabilem, cogito enim ut perfectiſſimam. Fieri autem non poteſt, ut non tota eſſentiâ, adeoque & ſubſtantia ſeu re tota differant, quæ tantum eſſentiâ differunt, quantum variabile & non variabile, limitatum & non limitatum &c.

XXXVIII. Eſſe quoque abſolutum & non eſſe in idem ſubjectum cadere, ejusdem ſubſtantiæ attributa eſſe non poſſunt. Eſſe abſolute & eſſe ens abſolutum Dei eſt, noſtrum eſt multis rationibus eſt non eſſe. Sumus igitur diverſæ prorſus ſubſtantiæ.

XXXIX. Deinde concipi poteſt cogitatio infinita ac perfectiſſima, non cogitatâ, quin remotâ ac negatâ omni extenſione, non autem remotâ ac negatâ omni cogitatione. Sumo jam Def. 2. Part. 1. *Ad Eſſentiam alicujus rei id pertinere dico, quo dato res neceſſariò ponitur, & quo ſublato res neceſſariò tollitur; vel id, ſine quo res, vel vice verſa quod ſine re nec eſſe, nec concipi poteſt*. At, data extenſione, Deus, licet neceſſario ponatur ut cauſa extenſionis, quippe ſine cujus voluntate extenſio nunquam extitiſſet, non tamen, neceſſario ponitur, eo ſenſu, ac ſi conceptus extenſionis, in ſe & præciſè, ut ajunt, conſideratus, includeret conceptum Dei. Aliud eſt dicere filium ut filium concipi non poſſe, non concepto patre, aliud filium ut hominem hunc non poſſe concipi non

conce-

Rationes B. D. S. oppoſita.

concepto patre. Extenſio cauſam habet Deum, qui voluntatis ſuæ juſſu eam fecit exiſtere; adeoque ſi cum reſpectu ad cauſam primam conſideretur, eam quidem requirit, & ſic infert; ipſa tamen extenſio ſeu res extenſa ut conceptui noſtro clarè repræſentetur tanquam res extenſa, non includit conceptum Dei.

XL. Porro ſublatâ extenſione, Deus, & ſublato conceptu extenſionis, conceptus Dei non tollitur; manet enim in nobis, licet fictione mentis ſtatuam extenſionem nullam eſſe, manet inquam conceptus mentis, ſeu cogitationis perfectiſſimæ, ut unuſquiſque apud animum ſuum experiri poteſt. Sequitur proinde ad Eſſentiam Dei non pertinere res extenſas: idem de rebus dependenter cogitantibus verum eſt, adeoque Deum eſſe ſubſtantiam a rebus ceteris diſtinctam conſtat. Q.E.D. Verum abſque perfecta atque infinita cogitatione Deus nec eſſe nec concipi poteſt, adeoque perfectam eſſe atque infinitam cogitationem de Eſſentia Dei eſt. Neque de ulla alia re, præter cogitationem infinitam, dici poteſt, quod ſine ea, Deus nec eſſe nec concipi queat, nulla igitur alia res eſt de Eſſentia Dei, eſt igitur *Deus ſubſtantia ab omni alia re diſtincta.*

XLI. Quorum eſſe concipi poteſt, cum negatione exiſtentiæ, ea non ſunt ulla ratione de Dei Eſſentia, quoniam illius natura concipi non poteſt niſi exiſtens per def. 1. p. 1. res autem omnes extenſæ, imo ipſa extenſio, res omnes dependenter cogitantes, quin ipſa dependens cogitatio, concipi poſſunt, cum negatione exiſtentiæ, ergo non pertinent ad Eſſentiam Dei, E. Dei Eſſentia eſt ſubſtantia ab iis prorſus diſtincta ac diverſa.

XLII. Imprimis cum ea quæ diximus vera ſint, non de hac ſolum aut illa re extenſa, verum & de omnium rerum extenſarum univerſitate, imo de ipſa extenſione. Nihil decedet conceptui entis perfectiſſimè & independenter cogitantis, omnem licet extenſionem cum negatione exiſtentiæ concipiam.

XLIII. Per-

Digitized by Google

XLIII. Pergo; in quo deprehenditur multiplex imperfectio & negatio, ab illo Dei eſſentia eſt res diſtincta ac diverſa: in re extenſa autem atque in extenſione multiplex deprehenditur imperfectio ac negatio. Juxta Spinoſam & Deus & quodvis attributum Dei *exprimit æternam atque infinitam eſſentiam*. P. I. Def. VI. *& abſolutè infinitum eſt quicquid negationem nullam involvit*. Explic. Def. VI. ſubſumo, extenſio non exprimit æternam atque infinitam eſſentiam, adeoque valide concludo extenſionem nec eſſe de eſſentia, nec eſſe attributum Dei, adeoque Deum eſſe ens ab extenſione revera diſtinctum. Aſſumtionis veritas ex eo patet, quod τὸ extenſum eſſe dicat paſſivum quid & dependens: & quod manifeſtiſſime negationem involvat. Concipe materiam ſeu rem extenſam in ſumma ſua Perfectione, & motui eam proximè deberi deprehendes, ſicque dependentem videbis: & reſpectu motus ſeſe paſſivè habentem. Hinc perſpicuus oritur extenſionis, tanquam rei dependentis, conceptus. Motus non eſt de eſſentia rei extenſæ, poteſt enim concipi & eſſe non mota, non agitata. Extrinſecus igitur accedit, adeoque rem extenſam arguit inperfectam ac dependentem: quippe quæ aut moveatur, aut moveri ſaltem poſſit. Præterea nihil in extenſione concipi poteſt, quo ex ſe ſufficiat ad exiſtendum. In infinita autem & perfecta cogitatione facile concipio virtutem, quæ præſtare queat, ut res extenſa exiſtat: Hinc & perfectio iſta, quæ in extenſione reperitur, rectè negatur, formaliter eſſe in Deo, licet in eo ſit eminenter. i. e. licet in eo ſit virtus præſtandi ut fiat & ſit extenſio. Neque ulli rationi repugnat ut rem cogitantem concipiam quæ ſit cauſa rei extenſæ, quod in argumento de Creatione, Deo volente, demonſtratum dabimus.

Rationes B. D. S. oppoſitæ.

XLIV. Dividi quoque poteſt res extenſa tum mentis operatione, tum reipſa. Mens mea clarè concipere poteſt meum corpus ut extans vi divini imperii, cum negatione ceterorum. Quin & illa pars materiæ, quam manibus prehendo

Digitized by Google

Rationes B. D. S. oppoſita.

hendo, reipſa ſejungi & avelli poteſt a ceteris. Quæ maxima eſt imperfectio.

XLV. Nec æterna eſt materia. *Per æternitatem intelligit ipſam exiſtentiam, quatenus ex ſola rei æternæ definitione neceſſario ſequi concipitur* P. I. Def. VIII. at materiæ, ſeu rei extenſæ natura non eſt talis, ut, ex ejus definitione, neceſſario ſequatur æternitas, adeoque æterna non eſt. Imo æternam ſtatuere materiam, eſt Deum facere imperfectum ac dependentem. Imperfectum; quippe perfectius eſt Deo, omnia univerſam eſſentiam ſuam ipſi debere, quam, aut non debere, aut eſſe aliquid, quod non ſit juſſu ac vi voluntatis divinæ.

XLVI. Nec *infinita* eſt abſolutè, quia habet ſuæ perfectionis terminos, & deſunt ei talia quæ perfectiones dici debeant.

XLVII. Cum igitur res extenſa non una ratione imperfecta ſit, idem eſſe non poteſt cum eo, quod perfectiſſimum eſt omni ratione. Adeoque *Dei eſſentia eſt res alia quam quæ extenſa dicitur.*

XLVIII. Quod non exiſtit, vi ſuæ eſſentiæ, cujus eſſentia non includit exiſtentiam, id ſanè Deus non eſt, & ſi talis res ſit, atque exiſtat, diverſa à Deo eſt. Extenſio autem non exiſtit vi ſuæ eſſentiæ, etenim quando τὸ extenſum concipio, nihil mihi occurrit, quo ſibi præſtet τὸ eſſe. *Ergo res extenſa Deus non eſt; ergo Deus ſubſtantia ab extenſa diverſa.*

XLIX. Quod nec attributum Dei eſt, nec modus, illud aut non eſt, aut, ſi ſit, ſubſtantia eſt a Deo reipſa diſtincta ac diverſa: res extenſa autem attributum Dei non eſt, *per attributum* enim *intelligit S. id, quod intellectus de ſubſtantia percipit, tanquam ejusdem eſſentiam conſtituens,* certè extenſionem non concipit intellectus, ut quæ ſit de ſubſtantiâ perfectiſſimæ cogitationis, ſaltem non tanquam eſſentiam conſtituens. Nec juvabit argutatio, ſi dicat, entis ſummè perfecti eſt cogitare perfectiſſime; cogitare perfectiſſimè,

Digitized by Google

ctiſſimè eſt cogitare cum effectu, effectus eſt extenſio; ergo de entis perfectiſſimi natura eſt, extenſionem habere tanquam attributum. Cavilli. Ens ſumme perfectum procul dubio cogitat perfectiſſimè: adeoque eo cum effectu quem liberè vult: quorum effectuum unus eſt, rem extenſam exiſtere; at quid deinceps? niſi quod res extenſa ſit, non attributum, ſed effectus liberrimæ voluntatis divinæ, non ipſe Deus. *Rationes B. D. S. oppoſitæ.*

L. Neque etiam res extenſa modus eſt divinæ eſſentiæ, ſeu *affectio divini* alicujus *attributi*, ut ſtatuit P. I. Prop. XIV. Coroll. V. eſt enim ſubſtantia, quod ſic ex ipſo S. probo: *cujus cognitio non indiget cognitione alterius rei* P. I. Prop. VII. Schol. II. ſubſtantia eſt. Cogitare autem & cognoſcere poſſum rem extenſam, non cogitata ulla re alia; quod unicuique clarum eſt.

LI. Igitur aut res extenſa eſt ipſe Deus, adeoque & ferrum & lapis erit Deus, ſic nimirum modificatus, quod abſurdiſſimum eſt. Aut res extenſa eſt diverſa a Deo ſubſtantia. Niſi mens noſtra Deus ſit P. II. P. XXXIV. Dem. & corpus noſtrum idem Deus: & cum in Deo cuncta identificentur, lapis Deus & ferrum & omnia. Omnia ſunt in Deo & emanant ex Deo, ut, quemadmodum Deo *naturale eſt*, *ſe intelligere* Epiſt. XXIII. ſic ipſi naturale ſit, eſſe ita modificatum. Cum autem Dei intellectus ſit ipſe Deus, & canis & lapis pariter Deus erunt. Quæ cum ſint ab omni ratione aliena ſequitur *Deum eſſe ſubſtantiam a re extenſa diverſam.*

LII. Tandem; eſſentia Dei eſt, id, quo poſito, omnes divinæ perfectiones ponuntur, & quo ſublato tolluntur; talis autem eſt cogitatio perfectiſſima. Hâc poſitâ, quicquid negaveris, adigere te eo poſſum, ut admittas omnes perfectiones Dei, negata autem, quicquid conceſſeris, Deum tamen tolles. Cum autem, quod jam ſæpius èvicimus, Dei natura ſit vita, actuoſitas, purus actus, adeoque cogitatio perfectiſſima, fieri non poteſt ut aliquid

Digitized by Google

Rationes B. D. S. oppoſita.

pertineat ad Dei eſſentiam cujus Deus ſibi non ſit conſcius per illud ipſum, quod tu dixeris, præter cogitationem infinitè perfectam, ad Dei eſſentiam pertinere. Materia autem & res extenſa per ſe ſui non eſt conſcia, non poteſt igitur pertinere ad naturam & ſubſtantiam Dei. Deus erit res & res; res ſibi ſuique per ſe conſcia & res alia cujus nulla ſui per ſe conſcientia eſt, quæque adeo cognoſci niſi ab alia re non poſſit. Cum autem ſe cognoſcere non potuerit igitur nec velle, ergo aut eſt abſque ſui conſcientia a ſe, aut à voluntate illius à quo & cògnoſcitur; ſicque & res facta erit, & aliud quid, quam ipſe Deus. Adeoque Deus eſt ſubſtantia diverſa à re extenſa.

LIII. Falſiſſima igitur eſt Prop. XIV. p. I. *Præter Deum nulla dari, neque concipi poteſt ſubſtantia*, Lubet hujus Propoſitionis Demonſtrationem paucis excutere, ut pateat æque ficulnea eſſe hominis argumenta, quam theſes falſas & futiles. Sic habet. *Cum Deus ſit ens abſolute infinitum, de quo nullum attributum quod eſſentiam ſubſtantiæ exprimit negari poteſt.* Deus eſt ens abſolute infinitum, rectè, ſed de Deo nullum attributum negari poſſe, quod eſſentiam ſubſtantiæ exprimat, id intricatum eſt. Attributum extenſionis ſubſtantiam exprimit extenſam, negari tamen de ente perfectiſſimo poteſt, & debet: cum extenſum eſſe imperfectionem inferat multiplicem, ut ſupra vidimus. At ridiculam vide portentoſi aſſerti probationem. Remittit lectorem ad Definitionem ſuam ſextam, quæ & obſcura eſt & falſa, quamque probare ne tentavit quidem. Sic pergit: *Si aliqua ſubſtantia præter Deum daretur, ea explicari deberet per aliquod attributum Dei*; at ſunt rerum aliarum attributa, quæ a Deo quidem rebus aliis increata deprehendam, adeoque voluntate Dei producta, non tamen attributa Dei ſunt. Addit: *ſicque duæ ſubſtantiæ ejuſdem attributi exiſterent.* Exiſtunt plures ſubſtantiæ ſibi, reſpectu attributi, ut ita loquar, primi & principalis, ſimiles. Sic ſunt hic calamus, hæc charta, hoc pulpitum, horum

Digitized by Google

rum in eo omnimoda ſimilitudo, quod res ſint, non cogitantes, ſed extenſæ. Exiſtunt igitur plures ſubſtantiæ, naturæ ſimillimæ, &, ſi genus formes, ejusdem: extenſio enim in genere, jam nihil aliud eſt, quam innumerabiles ſubſtantiæ extenſæ, ſub generico quodam conceptu conſideratæ. Et hic eſt fons multorum errorum noſtri hominis: qui, conceptum formans genericum, quo omnia entia, una quaſi cogitatione, aut idea, ſibi finxit tanquam unam ſubſtantiam, & ſic extenſionem illam, ut idem numero illius entis attributum; verùm abſurde admodum, quoniam talia entia non uniuntur niſi contactu, & præterea fictione mentis, qua ſubſtantiarum numerus innumerabilis quaſi in unum redigitur. Neque extra mentem exiſtit, aut exiſtere poteſt, aut concipi ut poſſibile ens infinitum, in quod, ſub conceptu infinitatis, tam extenſio quam cogitatio, ut attributa, quadrent. Tale ens non niſi confusè concipitur, imo eſt notio, mentis tantum fictione & abſtractione formata, nullum eſſe objecti habens extra mentem. Immenſum enim nimis diſtant infinitas perfectionis omnimodæ ab infinitate extenſionis. Infinitas perfectionis menti æternæ convenit, licet vel omnem extenſionem cogitem non eſſe. Concipio, ens perfectione omni infinitum, adeoque & infinitè per voluntatem potens, voluiſſe ut exiſterent res extenſæ innumerabiles, quæ, certo ordine concinnatæ, rerum materialium univerſitatem conſtituerent. Hiſce rebus, jam ita junctis, & fictione mentis quaſi unitis, tribuimus extenſionem, quæ, in ſingulis conſiderata, finita eſt, ſed ſimul accepta menti obverſatur ut cujus nos terminos aſſequi non valemus, adeoque ut infinita, ſeu potius indefinita. Infinitas autem Dei nobis ut infinitas alicujus numeri, qualis in ente ex innumerabilibus aggregato ſolummodo locum habere poteſt, nullo modo obverſatur; ut elumbe ſit quod nobis objicit, infinitum nos numerum infinito numerò majorem ſtatuere, quando infinitatem Dei excedere dicimus eam, quæ in rerum uni-

Rationes B. D. S. oppoſitæ.

Digitized by Google

Rationes B.D.S. oppoſitæ.

univerſitate, certo ſenſu, a nonnullis Philoſophis admittitur. Infinitas potentiæ, intellectus, voluntatis, omniumque perfectionum, quas divinæ menti adſcribimus, qua Deus eſt purus actus, ſeu ens perenniter & perfectiſſime cogitans, ſeu intelligens & volens, adeoque vivens, longè aliud quid eſt, quam numeri infinitas, quæ in corporibus concipitur.

LIV. Atque hæc infinitas perfectionis eſt attributum, ut ita loquar, illud reale, quod eſſentiam Dei conſtituit. Quæ cum cogitari abſque extenſione poſſit, patet eam eſſe alterius ſubſtantiæ, quam res extenſas, ſeu potius innumerabilium aliarum ſubſtantiarum extenſarum cumulum. Quale quid in eo conceptu, quo mentis æternæ infinitatem ſeu perfectionis infinitæ ideam habeo, non occurrit: imò verò ei prorſus repugnat; conceptus enim infinitè perfecti excludit illam multitudinem, & multorum entium ſeorſim numerabilum aggregationem.

LV. Pergat S. *duæ ſubſtantiæ ejuſdem attributi exiſterent*, imo ejuſdem & non ejuſdem attributi, ſenſu jam dicto, nec, quo nos ablegat, Prop. v. quicquam contra nos evincit. Diſtinguuntur ſubſtantiæ a ſubſtantiis prout magis vel minus differunt. Differunt extenſa & cogitans, eum in modum, ut ad eundem conceptum genericum ſola fictione mentis redigantur. Differunt attributo reali quod eſſentiam conſtituit, adeoque tota eſſentia. Imo & corpus à corpore differt, diverſitate attributorum; licet aliquid ſit, quod in omni corpore reperitur, quo ſignatè corpus eſt; verum & id quoque ut univerſale concipi non poteſt, niſi fictione mentis in unum redigas. Quicquid eſt corporum, differt quoque affectionibus. *At ſubſtantia eſt affectionibus natura prior*. Argutè admodum: ſed nego illo ſenſu natura priorem eſſe ſubſtantiam omni affectione, ac ſi exiſteret aut exiſtere poſſet, abſque & ante eam: verum mentis fictioni unicè debetur iſta naturæ prioritas; quæ nulla eſt extra mentem. Non enim exiſtere poteſt res, quæ ſubſtantia dica-

Digitized by Google

dicatur, niſi & attributo ſuo eſſentiali gaudeat & affectione non una. Quin & fingi non poteſt ſubſtantia, quæ non occurrat, ſub notione aut extenſi aut cogitantis: vel aut perfectione finiti, aut infiniti. Imo quicquid ad notionem ſubſtantiæ redigo, id eo ipſo mihi obverſatur ut ens aliquod ſingulare.

Rationes B. D. S. oppoſitæ.

LVI. Quæ cuncta multo magis obtinebunt ubi Deum cum entibus aliis, perfectione finitis, ſimul conſiderare velis. Sanè ego talis entis, quod unum, prorſusque idem ſit, & tamen extenſum ſimul & cogitans, talis inquam entis ego genericum conceptum non habeo, aut formare poſſum, quin deprehendam mentis fictionem, qua illa jungo in conceptu quodam abſtracto, quæ in re ipsâ nihil inter ſe commune habent; cum nihil ſit quod revera in utroque reperiatur. Sane Deus, ens perfectiſſimum, non poteſt mihi non obverſari ut ens ſingulare & ſimpliciſſimum: quodque reſolvi mentis quoque fictione in partes non poſſit, imo eo ipſo quo conceperim talem infinitatem rerum, ſeu affectionum, quarum ſingulæ ſeorſim cogitari queant, & quæ deinceps ut junctæ & ſimul unum conſtituentes, ingentem ſubſtantiam ſeu ſubſtantiæ molem faciant, eo ipſo, inquam, dum hoc cogito, linquo conceptum entis infinitè perfecti, quippe quod ſimplex ac immutabile ſit neceſſe eſt.

LVII. Tantum abeſt ut exiſtat quædam ſubſtantia, eaque una, quæ *prior natura* ſit, & tamen ſubjectum attributi non minus extenſionis quam cogitationis. At Philoſophe, ſubſtantiam illam quam tu concipis *natura priorem* ſuis affectionibus, concipere utique potes abſque omni affectione, quippe, quod concipis ut *natura prius*, id concipere ſaltem potes, abſque eo, quod natura poſterius dicis. At cum *modus* ſit *affectio ſubſtantiæ*, tanquam id, *per quod ſubſtantia etiam concipitur*. p. III. Def. V. tu poteris ſubſtantiam concipere *natura priorem* eo, per quod ſubſtantia etiam concipitur. Egregiè! id, per quod ſubſtantiam concipis, procul dubio tibi offert ſubſtantiæ conceptum,

Rationes B. D. S. oppoſitæ. tum, hæc enim unum & idem ſunt, ergo, concipiens modum ſeu affectionem ſubſtantiæ, ſubſtantiam concipis. Ergo ſubſtantia poteſt concipi ut natura prior ſe ipſa. Ergo modus rei, eſt enim ſubſtantia, non *indiget conceptu alterius rei a quo formari debeat.* p. 1. Def. III. Ergo & modus unus eſt, nam una tantum datur ſubſtantia; quod ab omni parte incurrit in varia mei hominis philoſophemata; ſic irretitus eſt ſuis non tam mentis ſubtilitatibus, quam craſſis contradictionibus.

LVIII. At cum exertè loquatur de conceptu *ſubſtantiæ*, quam concipiat, *depoſitis affectionibus & in ſe conſideratam* p. 1. p. 1. Dem. ſubſtantiam procul dubio concipere poterit, non concepta ſubſtantia; etenim ex ejus dictis demonſtravimus, concepto modo, ſubſtantiam concipi: hinc ſequitur; non concepto modo, non concipi ſubſtantiam, adeoque concepta ſubſtantia, nullo concepto modo, tantundem eſt, ac ſubſtantiam concipi poſſe, remoto conceptu ſubſtantiæ: quod prorſus contradictorium eſt.

LIX. At obſecro hominem, quid concipit, quando *ſubſtantiam ſeorſim conſiderat depoſitis omnibus affectionibus.* Affectiones enim ex. 1. Def. V. id ſunt, per quod id, in quo ſunt, nim. ſubſtantia, etiam concipitur; id autem *per quod ſubſtantia concipitur, eſt id, quod intellectus de ſubſtantia percipit tanquam ejus ſubſtantiam conſtituens*; 1. Def. 4. id autem *eſt attributum* ex 1. Def. 30. ergo ſubſtantia cogitari poteſt, ſepoſito attributo eſſentiali, ſeu eo quod ſubſtantiæ eſſentiam conſtituit: atque ita denuo, ſepoſito conceptu ſubſtantiæ, ſubſtantiam concipit.

LX. Id *quod eſſentiam ſubſtantiæ conſtituit*, *ſeorſim concipi poteſt*, *non concepta ulla re alia*, *tanquam* parte, *aut cauſa* materiali, adeoque ſubſtantia ex Def. III. part. 1. *attributum* autem *conſtituit eſſentiam ſubſtantiæ*, ergo attributum ſubſtantiæ ſubſtantia quoque eſt: contra Def. III. & IV. part. 1. Niſi confuſas, & identicas eas definitiones adeoque abſurdas agnoſcat.

LXI. Rur-

Digitized by Google

LX. Rurſus, cum attributum ſubſtantiæ ſit ipſa ſubſtantia, & attributa ſint infinita, ſequitur & infinitas eſſe ſubſtantias, quod maximè adverſatur homini, unam ſolum ſtatuenti ſubſtantiam & acriter pro ea unitate contendenti p. v. part. 1. *Rationes B.D.S. oppoſitæ.*

LXI. Subſtantia eſt res quæ ſeorſim concipi poteſt ut exiſtens. Concipitur autem ut exiſtens, ſeu conceptum eſſentiæ comitatur conceptus exiſtentiæ, vel quod illa ſubſtantia ſit infinitè perfecta; vel quod deprehendamus vi infinita factum ut id revera exiſtat, quod concipere ceteroquin poſſumus cum negatione exiſtentiæ, in quo adeo exiſtentia non eſt de eſſentia, ut id poſſimus concipere cum negatione exiſtentiæ: nunc autem concipimus eſſentias, exiſtentiâ, ut ita loquar, comitatas; quæ ratio quòd hoc fiat, ſeu quod eas concipere queam ut revera exiſtentes? non mentis meæ fictio, non rerum conceptarum ſufficientia, quapropter nihil hic reliquum eſt, præterquam voluntas entis ſummè perfecti, cujus juſſu, ea quæ non erant, vocata ſunt ad exiſtentiam.

LXII. Igitur & ens ſummè perfectum ſeorſim concipio, & entia facta ſeorſim, illud & iſta tanquam ſubſtantias diverſiſſimas, quarum una ex ſe eſt, reliqua voluntati prioris debent id quod ſunt. Nec conceptus ſubſtantiæ, omnia, tanquam ſui partem quaſi complectentis, aliud eſt, quam ſtupidiſſimum & nequiſſimum figmentum.

LXIII. Conceptus *ſeu idea quo ſpecialior eſt, eo clarior: unde cognitio particularium quam maxime nobis quærenda eſt*, ait S. De Intell. Emend. p. 388. certè ideæ noſtræ longe ſpecialiores ſunt, adeoque clariores, quam quas ipſe ſibi fingit, ita vaſtas atque univerſales. Cognitio mea eſt cognitio particularium: imo non exiſtunt extra mentem niſi particularia, quæ in univerſum conſiderare non poſſum, niſi ea mente jungam, uti revera ſimul atque una exiſtunt. Sicque cognoſco Deum ut quid particulare ſeu potius peculiare, hominem ut quid peculiare &c. Sunt quippe res illæ peculiares ſubſtantiæ. Mea igitur cognitio, ipſo S. teſte, melior eſt &

Digitized by Google

Rationes B. D. S. oppoſita. verior. Quo enim claram magis & diſtinctam habeo rei ideam, eo cognitio melior eſt. At idea, quo ſpecialior eo diſtinctior, ac proinde clarior eſt. Mea igitur cum peculiaris ſit, & nullas habeam rerum tanquam extantium, quæ non ſint peculiares, aut ex particularibus, ſigillatim cognoſcendis, conflata, ipſo judice S. melior eſt.

LXIV. Ideæ *abſoluta infinitatem exprimunt* ait idem ibid. p. 391. porro ideæ, *quo plus perfectionis alicujus objecti exprimunt eo perfectiores ſunt*. Major autem perfectio ipſâ infinitate non datur, ergo abſolutæ ideæ ſunt clariſſimæ, contra theſin jam examinatam.

LXV. Imo cum Deus juxta S. ipſe ſit rerum univerſitas & ſub ratione infinitatis menti obverſetur, nulla idea erit imperfectior quam Dei. Non tam opiniones quam opinionum monſtra.

LXVI. Videmus itaque naturam & eſſentiam Dei a rebus aliis diſtinctiſſimam. De ceteris erroribus, quibus in hanc aut illam Theologiæ partem incurrit idem S. ſuis locis agere decrevimus.

Omnis perfectionis divinæ quaſi ſubjectum eſt Dei ESSENTIA. LXVII. Subjectum igitur habemus, ſi liceat ita loqui, omnium perfectionum divinarum, peculiarem illam eſſentiam, naturam, ſubſtantiam divinam, ab omni alia re tum extenſa tum dependenter cogitante realiſſimè diſtinctam, Eam paulo propius, at tremebundi contemplabimur, orantes ut conſpiciendum ſe nobis in Chriſto & propter Chriſtum ipſe exhibeat.

Hujus indoles. LXVIII. Hujus eſſentiæ ipſiſſimam naturam atque indolem, ut ita loquar, paulo propius explicantia, ceteris præmittenda ſunt, deinceps autem ea quæ eſſentiæ illi ita jam explicatæ porro adſcribuntur & tribuenda ſunt, ut illius entis perfectiones.

Quod ſit SPIRITUS LXIX. Ipſam naturæ divinæ indolem, ſi fas ſit ita loqui, expoſiturum Dei verbum; SPIRITUM dicit Deum, & *Vitam* & *Sapientiam* & *Lucem*.

Quo ſenſu. LXX. Spiritus dicitur Joh: IV. 24. quo, quicquid ſit de etymo

Digitized by Google

etymo aut diverſo hujus vocabuli uſu, imprimis a Dei natura removetur omnis extenſio. Caro & oſſa compages ſunt materiæ quæ maxime concinna eſt, at ne illa quidem habet, aut ut partem ſui admittit, hoc noſtro ſenſu, dictus *Spiritus*, Luc: XXIV. 39. Hinc id quod ſpirituale appellatur, toto genere ab extenſo diſtinctum eſt. Sic ſpiritualis domus 1 Petr: II. 5. ſpiritualis gladius Eph: VI. 2. fructus ſpiritus, ſunt res prorſus a re extenſa diſtinctæ, quales cognitio, fides, ſapientia & virtutes omnis generis.

LXXI. Neque aliam eſſe divinæ naturæ indolem ipſa patitur ſana ratio. Quod facillimè ex dictis hoc Cap. §. VIII— XI. & in Diſp. præcedente collegeris. Nec quicquam, præter perfectiſſimam illam cogitationem, ad naturam Dei pertinere poteſt: nam quicquid cogitatio non eſt, id eſſentiam a cogitatione diverſam obtinet: atque Deus ita componeretur ex partibus, quarum una alteram excluderet, uniuſque realitas & perfectio in alia non inveniretur: quod ſanè tollit ſimplicitatem, & imperfectionem arguit. Remoto autem omni conceptu extenſionis, nihil reliquum eſt, quam ut ſit ens perfectiſſimè cogitans. Perfectiſſimè autem cogitare & operari cum conſcientia id vere vivere eſt, adeoque merito *vita* vocatur. At, ens perfectiſſimè cogitans eſſe non poteſt, niſi & percipiat perfectiſſime & judicet; ſignatè quidem quid ſibi conveniat, cum non poſſit non ipſum ſe perfectiſſime cognoſcere. Cognoſcens autem ſe, cognoſcit ſummam perfectionem, quam non poteſt non probare, adeoque amare. Atque ita Deum & intelligentem deprehendimus & volentem. Fateor autem magis ab omni extenſionis conceptu liberos nos reddi, adhibitis iis vocabulis, quæ nulla ratione rei extenſæ conveniunt, quales ſunt intellectus, voluntas, uno verbo, cogitatio. *Meæ cogitationes non ſunt cogitationes veſtræ* Jeſ: LV. 8. Vocabulum enim ſpiritus, niſi, juxta ſcripturæ idiotiſmum, oppoſite ad rem extenſam capiatur, proprie corpus denotat, ut ut ſubtiliſſimum, adeoque metaphoricè ſignificat, id

Digitized by Google

quod propriiſſimè exprimimus, quando mentem dicimus, aut intellectum aut voluntatem aut cogitationem. Ita ſumus corpori immerſi, ut corporalia & extenſa ut plurimum cogitemus, adeoque & ex plenitudine cordis loquentes, fere non niſi de extenſis loquamur. Hic autem præſcindenda omnis extenſionis cogitatio eſt, uniceque in conceptu rei cogitantis hærendum, vitaque illa Dei, actus ille purus, perfectiſſima illa actuoſitas propius conſideranda.

LXXII. Signatè quæ de illius intellectu atque intellectione, deque voluntate & volitione; id eſt de Deo, tum ut intelligere ac velle ſemper perfectiſſimè idoneo, tum ut actu perenniter quoque perfectiſſimè intelligente & volente, Scriptura & ſana ratio doceant.

PERFECTIONES DEI.

Ob mentis noſtræ imbecillitatem ſigillatim conſiderandæ.

LXXIII. Mentis autem noſtræ imperfectio Deique omnimoda infinitas flagitant, ut ea, quæ de Deo prædicantur, diverſis mentis actibus, pro modulo gratiæ nobis conceſſæ, percipere ac meditari annitamur. Quæ autem hic dicenda ſunt, poſtquam diu multumque conſideravimus, commode digeri ab iis non videntur, qui perfectionum Dei quaſdam eſſe communes creaturis ſtatuunt, aut, ut loqui ſolent, communicabiles: adeoque perfectiones Dei in communicabiles diſpeſcunt atque incommunicabiles: neque enim ἔγγεϕος eſt diſtinctio; neque periculo caret in controverſia nobis a Lutheranis de communicatis idiomatis facta; & validis rationibus repugnat, tum quod nullum attributum de Deo & creaturis prædicari queat, niſi æquivocè: tum quod analogia, quo ad incitas redacti, recurrunt, inter vitam, cognitionem, ac bonitatem Dei, & eam, quæ in creatura eſt, non major ſit, quam quæ æternitati cum duratione temporali intercedit, aut cum divino αὐτεξουσίῳ humanæ arbitrii libertati: tandem quod impares fingat divinas perfectiones, ac ſi una magis Dei eſſet, eumque propius ſpectaret, quam alia: quod ſanè & in ſimplicitatem Dei incurrit, & Deum ſibi inæqualem infert. Erroris cauſa in vocabulorum uſu eſt. Nonnulla, ita uſus obtinet

Communicabiles quare dicere non audeamus.

Digitized by Google

tinet & flagitat etymon, tali ſignificatu veniunt, qui creaturis nulla ratione convenit, dum alia pariter de Deo prædicentur & de creaturis. Illius generis ſunt æternitas, independentia; immutabilitas: hujus, intellectus, voluntas & vita adeo ipſa, necnon juſtitia, ſanctitas, potentia. Verum hic non ad vocabulorum uſum, ſed ad rei ipſius genium attendere debemus, quod ubi feceris communicabile non dices ullum Dei attributum, quæ cuncta & propria Dei ſunt ſtricte ſic dicta: atque adeo ipſi priva, & ex æquo incommunicabilia. Θείας κοινωνίαν φύσεως quam Petrus tribuit fidelibus 2 Petr: 1. 4. huc trahere, parum conveniens videtur. Sic enim, cum φύσεως dicat communionem, omnes perfectiones, omnes enim φύσις complectitur, non aliquas dixeris eſſe communes. Neque cum Petro de peculiari fidelium, ſed cunctorum hominum, quin & angelorum communi privilegio agunt, qui communicabilia ſtatuunt nonnulla divina attributa. Addo, eam communionem denotare, quâ, cum Chriſto uniti, cujus altera natura divina eſt, κοινωνίαν ſic quandam θείας φύσεως habemus, & inſtaurata denuo in nobis per Spiritum Sanctum in unione cum Chriſto imagine Dei, θεῖαν φύσιν recte percipientes atque amantes, pro noſtro modulo circumferimus, illiusque fruimur grato admodum atque hilari ſenſu guſtuque ſpirituali. Conſcientiâ nobis dictante per Spiritum Sanctum, ad imaginem Dei renovatos, Dei nos, adeoque θείας φύσεως factos eſſe participes.

LXXIV. Meliori igitur methodo deinceps inſtituturus videbor, ſi, quas habeo de Deo cogitationes, hunc diſpoſuero in ordinem, ut dicam, Deum conſiderandum eſſe primo abſolutè, deinde ſub quadam relatione. Abſolutam conſiderationem vocans eam, quâ ſummum illud ens in ſe ipſo conſidero, abſque ulla relatione, qua forte ad ſe ipſum referatur, aut ad res alias. Relatam verò, qua expendo utrum ens illud nullam vel aliquam relationem habeat, ſive *ad ſe* ſive *ad alia*.

Eas ut ordine percipiamus
Deus conſiderandus.
1 *Abſolutè*
2 *Relatè.*

Digitized by Google

LXXV. Ad priorem relationem quod attinet, negandam eſſe de Deo aliquam, aliquam verò admittendam deprehendemus. *Neganda* enim erit relatio quam habeat ut hic Deus ad illum Deum, ut hæc eſſentia infinitè perfecta, ad illam eſſentiam infinitè perfectam, demonſtratam enim dabimus eſſentiæ illius unitatem. Admittenda tamen quædam erit relatio ipſius Dei ad ſe ipſum, tanquam Patris ad ſe ipſum tanquam ad Filium perſonaliter a ſe ut Patre diſtinctum & ſic deinceps: quo ſpectat myſterium Patris Filii & Spiritus Sancti.

α. Ad ſe.

LXXVI. Ad poſteriorem, nim. quâ ad alia refertur, ſpectat, ut doceamus, non eſſe alia, præter ens illud infinitè perfectum, niſi juſſu atque imperio illius entis ſummè perfecti. Nutum autem illum conſiderabimus duplici ratione: primo ſimpliciter quemadmodum fuit ab æterno, ſicque nobis obverſabitur ut decretum ſeu conſilium Dei: deinde una cum effectis, quo referemus univerſam executionem divini illius conſilii. Quod conſilium una cum executione dicitur viæ Dei & molimina. Quæ probè expenſa nobis Deum probabunt, modo prorſus illuſtri, in omnem æternitatem quam maximè glorificandum. Atque ita certo quodam ordine didicerimus ſummam eorum quæ de Deo cognoſci debent, & habebimus ex vero nobis repreſentatum omnis amoris noſtri & cultus objectum, cognoſcendaque adeò omnia; quorum ſummam vidimus, cum GLORIAM Dei fuimus contemplati; indicium autem glorioſiſſimi illius entis accepimus quando NOMEN Dei audivimus. Nunc paulo penitius & magis ſigillatim quæ de Deo nobis revelata ſunt ſcrutemur.

β. Ad alia: quæ

. Decernit.

.. Facit ut ſint.

LXXVII. Primo quidem Deum conſiderabimus abſolutè, non cogitantes de relatione qua ad ſe forte referatur, aut ad alia. Atque ita, poſtquam vidimus & eſſe Deum, & quænam Dei eſſentia ſit, perfectiones, eaque quæ de Deo in Sacra Scriptura præterea reperiemus, ordine proponemus.

Dicendum igitur de Perfectionibus.

LXXVIII. Occurrit perfectio non una. Primo de omnibus, deinde de ſingulis nonnulla dicenda erunt.

LXXIX.

Digitized by Google

LXXIX. Omnium ea ratio eſt, ut de divina cogitentur eſſentiâ; adeoque non ſint hujus aut illius divinæ perſonæ, quas plures eſſe poſtea evincemus. Cum enim abſolutæ perfectiones ſint, non demum tales ubi ſubjectum, hac aut illa ſub relatione conſideratur, ſed abſolutè ei ſunt tribuendæ. Deus non eſt, qui ulla eorum careat, ens quippe perfectiſſimum non eſſet; adeoque merito eas eſſentiæ ipſi, ſeu naturæ divinæ tribuimus. Quin nihil revera aliud ſunt, quam ipſiſſima eſſentia divina, per inædiquatos conceptus nobis repræſentata. Ut perfectio non ſit res alia ab ipſa Dei eſſentia, aut res alia quam ipſe Deus. Eſſentia enim Dei eſt ipſa infinita atque omnimoda perfectio. Hinc non in concreto tantum, verum & in abſtracto ſummo enti eæ perfectiones tribuuntur, idque in caſu recto. Sic dicitur, non vivens tantum, ſed & vita; non ſapiens tantum, ſed & ſapientia. Et, ſi perfectiones eſſent res peculiares, ab eſſentia diſtinctæ, ſingulæ vel finitæ forent, vel infinitæ; ſi illud, tum ex pluribus finitis conflatum foret infinitum, &, quod contradictionem involvit, ipſa infinitas foret finita. Si hoc; tum aliquod diſtinctum foret infinitum, & ſic nec Deus per ſe ſed aliud quid, a ſe diſtinctum, foret infinitus, neque unum foret, ſed plura infinita.

1. Omnibus. ut, quod Idem ſint cum ipſa Dei Eſſentia.

LXXX. Hinc nec a ſe invicem eædem perfectiones realiter diſtinctæ ſunt. Cum enim ſint non aliud quid ab eſſentia diverſum aut diſtinctum, ſed ipſiſſima divina eſſentia, non poſſunt quoque inter ſe realiter diſtinctæ eſſe. Objecta & effecta circa quæ Deus verſatur, aut quæ Deus facit ut exiſtant, diverſiſſima ſunt & Deum diverſimodè exprimunt, adeo ut in uno majus juſtitiæ quam miſericordiæ, in alio majus miſericordiæ quam juſtitiæ ſpecimen deprehendam; hincque in mente, quæ omnes unà cogitare, propter ſuam impotentiam ac finitatem non poreſt, excitantur diverſi conceptus, quorum unus nobis Deum magis ut juſtum, alius vero magis ut miſericordem objicit. Sic conceptus, quô Deum concipio volentem, diſtinguitur a conceptu quô Deum concipio in-

Nec à ſe realiter diſtincta.

Digitized by Google

intelligentem, licet intellectus & voluntas eadem in Deo res ſint, & utraque nil niſi ipſiſſima Dei eſſentia intelligens & volens.

Omnesque Deo naturales. LXXXI. Et ita omnes perfectiones Deo ſunt naturales, ut omnes in ipſa Dei idea ac conceptu comprehendantur, nec ulla earum vel cogitatione ab eſſentia ſejungi: aut eſſentia, tanquam ullâ earum privata, concipi queat. Eſt quidem in me cogitatio qua hanc aut illam perfectionem concipio, non conceptâ, exertè & eodem actu, perfectione quoque aliâ, eſt quoque cogitatio, qua eſſentiam Dei cogito, tanquam ſubjectum, ſi liceat ita loqui, cui omnes illæ perfectiones inſint: quæ cogitatio diſtincta eſt a cogitatione hujus aut illius perfectionis: ſed reipſa eſſentia eſt ipſiſſima illa perfectio.

II. Singulis. LXXXII. De ſingulis igitur perfectionibus agedum videamus quid nobis idea Dei, quid ratio, quid imprimis ſcriptura doceat. Licet una perfectio inferat aliam, & nulla ita ſeorſim conſiderari poſſit quin ilico ſe alia quoque prodat: oportet tamen, melioris inſtitutionis gratia, cogitationes noſtras certo quodam ordine digeramus.

Et quo ordine. LXXXIII. Diximus §. LXVII. Eſſentiam Dei nobis obverſari ut ſubjectum infinitæ perfectionis, id eſt, omnium perfectionum. Ejuſque indolem talem eſſe ut vivat, quin ipſa *vita* ſit. Hinc neceſſe erit ut in anteceſſum eas perfectiones, quæ huic vitæ, ſeu viventi huic Deo ut tali tribuendæ ſunt, cognoſcamus: etenim nec intellectionem Dei propius contueri, nec volitionem poſſumus, niſi eas conſideremus, ut ſimplices, independentes, atque infinitas, ſeu entis perfectiſſimi actus: quibus ita *vivit* præ ceteris perfectê, ut & ſolus vivere dicatur atque habere ἀθανασίαν: 1 Tim: IV. 16. quippe ſolus ex mero interno principio, adeoque independenter & ſic perfectiſſimè actuoſus: quapropter earum conſideratio perfectionum præmittenda videtur, quarum recens & continua recordatio, ad rectam vitalis actuoſitatis contemplationem omnino erit neceſſaria:

quæ-

Digitized by Google

quæque vitam & actuoſitatem Dei ulterius cogitantibus continuo debent obverſari. Hoc ordine ſervato, ut *ſeorſim* primo ſingulas, deinde eas conjunctim denuo omnes intuear, quando ex illa ſingularum Perfectionum ſimul ſumtarum quaſi conjunctione, ſeſe nobis prodent, reſpectu Dei BEATITAS & reſpectu noſtrum SUMMITAS & POTESTAS.

1. Seorſim & deinde 2. Simul.

LXXXIV. Ut igitur ſingulas ſeorſim contemplemur, Spiritum illum æternum primo conſiderabimus, ut Ens perfectiſſimum ſic in ſe, &, ſi fas ſit ita loqui, ἁπλῶς: deinde idem illud Ens perfectiſſimum ut perfectiſſimè actuoſum contemplaturi. Licet enim, eſſe ens perfectiſſimum, una dicat Spiritum perfectiſſimum, cum ens cogitans ſe ipſo omni re extenſa perfectius quid ſit: diverſis tamen cogitationibus ſigillatim conſiderare debemus primo ipſam omnimodam eſſentiæ cogitantis perfectionem, deinde quæ eſſentiæ cogitanti ut tali, id eſt, ut actu cogitanti conveniunt.

Seorſim: atque ita Deum conſiderabimus.

LXXXV. Eſſentiæ perfectiſſimè cogitanti neceſſario competunt Independentia; Infinitas; Simplicitas. Neque enim eſſentia ea eſſe poteſt cogitans perfectiſſime, quæ non eſt cogitans Independens Infinitum & Simplex.

1. Ut Ens perfectiſſimè cogitans ſic ἁπλῶς.

LXXXVI. De Independentia primo loco agimus, quoniam hæc ea perfectio eſt, per quam ipſe Deus eſt. Eſt enim Dei Independentia, per quam Deus à ſe eſt id quod eſt. Non ſufficit dicere Deum non eſſe ab alio, quippe qui id dicit, ille, licet ſupponat eſſe eam rem de qua id dicit, nihil tamen revera de ea dicit. *Nihil* etiam non eſt ab alio: chimæra non eſt ab alio, quippe nec eſt, nec eſſe poteſt. Independentia igitur Dei cogitari debet, ut inferat ipſam maximè poſitivam, fas ſit ita loqui, Aſeitatem: Deus igitur quando ut Independens cogitatur, nobis obverſatur ut *habens in ſua primitate & ſufficientia eminentiſſime qua alia entia accipiunt cum a ſuis cauſis actuantur.* Hieronymus in Ep. ad Eph. Cap. III. 15. *Etenim Deus, qui ſemper eſt, nec habet aliunde principium, ipſe ſui* ORIGO SUÆQUE CAU-

Hic ſe prodit. α INDEPENDENTIA quæ Illuſtratur.

SA SUBSTANTIÆ, *non poteſt aliunde intelligi habere quod ſubſiſtit.* „ *Neque tamen quaſi vir ſanctus Deum ſuimet* „*ipſius cauſam efficientem ſomniaverit*; *quod eadem vel ſimili* „*Phraſeologia Divinam Independentiam explicantibus impor-* „*tuniſſimè objici ſolet. Sed quia Deus ſibimet exiſtendi ratio eſt:* „*ſive quia ipſa Dei eſſentia ratio ſibi ſit quare includat actua-* „ *lem exiſtentiam & abſolutiſſimam exiſtendi neceſſitatem.* Vogelſangius in Exercitat. Theol. p. 306. At quoniam uſu obtinet, ut cauſa rei efficiens & res ab efficiente effecta dicant duas res diverſas, ut ut patiar ſui cauſam, nolim tamen cauſam efficientem dici. Roganti autem quænam cauſa quod exiſtat? reſpondebo ſui ipſius ſufficientia. Per hanc Aſeitatem atque Independentiam Deus ita neceſſario eſt, ut non poſſit non eſſe. Quod Ichnographiæ §. XI. abundè demonſtravimus. Quin nec concipi poteſt tanquam non exiſtens eo ipſo quod à ſe & independens ſit. Cui non refragatur quod nonnulli, ideam Dei confuſe tantum contemplantes, aliarumque rerum ideas ei quaſi immiſcentes, negent Deum eſſe; adeoque Deum concipiant cum negatione exiſtentiæ, non enim Deum illi concipiunt aut ideam Dei contemplantur ut revera eſt, ſed, dividenda componentes, monſtrum fingunt & chimæram cujus conceptus excludit & neceſſario negat exiſtentiam illius quod ita monſtroſè concipitur. Id autem contendimus, Dei eſſentiam talem eſſe, ut concipi non poſſit niſi ut exiſtens. Ea enim eſt entis perfectiſſimi ratio ut ſaltem exiſtentia non careat. Conceptus enim entis non exiſtentis, certe non eſt conceptus entis perfectiſſimi. Robur hiſce addit accuratus Independentiæ Dei conceptus, eâ enim Deus neceſſario ita eſt ut non poſſit non eſſe. Quod enim a ſe ipſo eſt, id eſt per ſui ipſius ſufficientiam.

Probatur. LXXXVII. Hanc perfectionem, quam Independentiam ſeu Aſeitatem dicimus, Deo tribuendam exerte docet Spiritus S. quando *primum* eum dicit & ultimum Apoc: 1. 8. Jeſ: XLIV. 6. *ex quo per quem & propter quem* ſunt omnia Rom.

Digitized by Google

xi. 35.36. Eandem ſibi ſufficientiam indicat quoque vox שדי. Reſpondens Moſi eandem Deus ſignificat, quando aſſerit ſe eſſe: *ego ſum*, ita ſum perfectus ut mihi ſufficiam ad exiſtendum. Huc & vocem Jehovah facere ex Cap. II. §. xi. patet. Nec fieri poteſt, quin & primus; & independens, & à ſe ſit. Imo non eſſet, nec eſſe poſſet, niſi a ſe eſſet. Ab alio, ſi non eſſet, fieri non poſſet; adeoque ut a ſe ſit, omnino neceſſe eſt. Atque propter hanc ſufficientiam, cujus vi non poteſt non exiſtere, fieri pariter non poteſt, quin ſemper exiſtat. Ut habeamus Dei PRIMITATEM INDEPENDENTIAM atque exiſtendi omnimodam NECESSITATEM. Nec tantum, verum hinc etiam ſequitur ut omnia ſint ipſius nutu atque imperio: etenim ſi quid eſſet aut eſſe poſſet, quod ipſius juſſu atque imperio non ſit, certè Deus primus non eſſet, eſſet enim aliquid quod ipſi coæternum eſſet; nec independens eſſet, quoniam aut id ignoraret, & ſic imperfectus eſſet, aut ſciret, & ſic neceſſariò ideas reciperet a rebus, atque ita ab iis dependeret, ſeque reſpectu earum paſſivè haberet, id eſt, dependens eſſet. Unde nec determinari ab ulla voluntate creata ad hoc aut illud ulla ratione poteſt is in cujus manu *cor regis* eſt *rivi aquarum* Proverb: xxi. 1.

β *INFINITAS.*

LXXXVIII. Ex *primitate* atque *independentia* neceſſario ſequitur INFINITAS. Vocabulum negative licet ſonans poſitivè tamen capiendum eſt. Formam quidem negativi habet, ſi Grammaticam reſpicias, at de ſignificatione hic agimus, quam maximè poſitivam dicimus. *Explicata.* Quid enim dicit vox *infinitus* niſi negationem finium? At negare fines, nonne eſt negare negationem? finis e.g. rei extenſæ, nonne negatio eſt ulterioris extenſionis? finis aut terminus, ut ita loquar, qualiſcunque perfectionis, nonne negatio majoris eſt? Terminus autem quo aliquid ſignifico, ita ut negem fines & limites, maxime poſitivus eſt. Ut ne quidem in Grammaticali illoc ſophiſmate quicquam præſidii reperiat Hobbeſius. Cujus ſententiam Cap. III. §. xv. confutavimus.

Digitized by Google

LXXXIX. Infinitas igitur eſt Eſſentia Dei conſiderata ut omnes realitates ac perfectiones abſque ullo modo, fine, ac termino, eminentiſſimè complectens: adeo ut ullius perfectionis terminos habere non poſſit. Et neceſſario excludat omnem paſſibilitatem ſeu nulla ſe ratione poſſit habere paſſive. Nihil perfectionis eſt quod de Deo negari poſſit. Non quod omnia, quæ perfectiones dicimus in creaturis, formaliter in Deo ſint, multo minus ipſe Deus, aut pars aut modus divinæ ſubſtantiæ, qui error Spinoſæ eſt: ſed quod Deus ſit Spiritus perfectiſſimus, ſeu cogitatio perfectiſſima, quæ omnia quæ vult ut præter ſe exiſtant, poteſt præſtare ut exiſtant. Mera enim & perfectiſſima cogitatio, cogitans ſe eſſe perfectiſſimam, non poteſt non cogitare, ſe nutu voluntatis præſtare poſſe, ut ea ſint, quæ velit & jubeat eſſe. Si enim id non cogitet, oportet imperfectio ſit, id cogitare; quod ſanè nemo dixerit: at niſi imperfectio ſit, neceſſe eſt ut ſit perfectio: cum ſit reale quid quod nullam imperfectionem aut inferat aut includat. At ſi abſurdum non ſit ſed ita perfectum, id cogitare, certo certius eſt, id cogitare ens perfectiſſimum & merè & purè cogitans. Quod autem Deus de ſe cogitat, illud falſum eſſe non poteſt. Eaque ratione omnes creatas quoque perfectiones in ſe continet ab omni æternitate: nimirum, ſe cogitavit potentem, ad ea ſiſtendum quæ velle poteſt. Sic omnes perfectiones rerum creatarum in Deo ſunt *eminenter*; ſcilicet, illius eſt perfectionis, ut, nutu voluntatis ſuæ, poſſit facere, præſtare, ſiſtere, ea, quæ, præter ſe, ex ſe, & ad ſe velle poteſt.

XC. Si quis dixerit, infinitum in genere Entis excludere aliud Ens, adeoque dici poſſe id non omnia, adeoque non omnes perfectiones in ſe continere: neque omnia eſſe, ſi aliquid extra ipſum daretur & ab ipſo diverſum. Adeoque ſi Deus ſit infinitus, vel omnia Deum eſſe, vel infinitum non omnia complecti atque in ſe continere. Reſpondebo: excludere quidem, id eſt, præter Deum exiſtere non poſſe, aliud Ens, quod abſolutè quoque infinite perfectum

ſit:

Digitized by Google

ſit: vel, fieri non poſſe, ut, præter ens infinite perfectum, exiſtat aliud infinitè perfectum; ſed non excludit, id eſt, ſuæ perfectioni non repugnat, quo minus exiſtat, vi ſuæ voluntatis, res tantam habens perfectionem, quantam voluit ut ea res haberet. Sanè eo quod concipis ens infinitè perfectum, concipis quoque ens illud mero nutu voluntatis præſtare poſſe, ut aliquid ſit, actum enim aliàs eſt de infinita perfectione potentiæ illius entis. *Quid fieret* ait Philoſophus, *infinitâ potentiâ iſtius imaginarii infiniti, ſi nihil unquam creare poſſet?*

XCI. Addo contradictorium eſſe, ſi quis dixerit ens infinitum omnes perfectiones finitas formaliter continere & in ſe habere. Perfectiones enim finitas dicere, eſt dicere perfectiones non perfectas, adeoque, eas tribuere enti quod ſit perfectionis infinitæ, eſt ei enti adſcribere imperfectionem. Proprie nec in ſe includit nec reſpuit; ſed tale eſt, ut nutu voluntatis præſtare poſſit ut perfectiones finitæ extent ac ſint. Deus in ſe & ſubjectivè eſt omnia, nempe quæ abſolutiſſimè perfecta ſunt, & ſic ſibi ſoli, propriiſſimè loquendo, præſens eſt. Præter Deum nihil datur quod ſit vere ſolidum, & prorſus ſubſiſtens ſua virtute, verè reale, ἀρχέτυπον; omnia quæ præter ipſum ſunt, ſunt veſtigia, umbræ, figuræ, tabulæ realitatis ſolidæ non ipſa realitas. Ens infinitum ab Eſſentia ſua excludit finitum & imperfectum, ita, ut formaliter ad eam pertinere aut tanquam pars, aut tanquam modus non poſſit: at non excludit eo ſenſu, ac ſi, ente infinito id volente, præter ens infinitum, eſſentiæ ac ſubſtantiæ prorſus diverſæ, finitæ, ac dependentes, exiſtere non poſſent.

XCII. Hanc INFINITATEM divinam abſque ulla ratiocinatione in conceptu Entis ſummi, perfectiſſimi, merè cogitantis contuemur. Quippe nobis obverſatur ut in quem non cadat ullius perfectionis defectus, aut limitatio. Spiritus Sanctus eandem emphaticè atteſtatur Pſ: CXLV. 3. *Magnus eſt Jehovah & laudandus valde, & magnitudo ejus eſt im-* *Probata.*

Digitized by Google

perveſtigabilis. CXXXIX. 7. 8. 9. 10. *Quo ibo a Spiritu tuo: & quo a præſentia tua fugiam? Si aſcendam cœlum, ibi es: & ſternam* mihi *in inferno, ecce tu. Accipiam alas auroræ; habitem in extremo maris: Etiam eo manus tua duceret me & teneret me dextra tua.* Job. XI. 7. 8. 9. *Numquid perveſtigationem Dei aſſequeris? an uſque ad finem omnipotentis pertinges? Altitudine cœli quid facies? profundius inferno quid noſces? Longior terra* eſt *menſura ejus & latior mari.* Hinc & τέλειος dicitur Mat. V. 48. & θεότητος memoratur πλήρωμα Col: II. 9.

v SIMPLICITAS. XCIII. Infinitatis conſiderationem ſequitur SIMPLICITAS, quæ revera nihil aliud eſt, quam omnium in Deo perfectionum arctiſſima & eſſentialis unitas, ſeu identitas, qua re ipſa omnes Dei perfectiones, tum ſimul, tum ſeorſim conſideratæ, ſunt una atque eadem eſſentia: adeo ut ſeparari aut ſejungi aut alterari non poſſint. *Explicata.* Decantatas compoſitionis ſpecies removiſſe non ſufficit, cum de nihilo negari poſſint, adeoque & nihil ad conceptum hujus divinæ perfectionis faciant. Cum Deus actus purus ſit, non poteſt non omni ratione eſſe ſimplex. Ut abſonum ſit, divinas perfectiones, tanquam qualitates, eſſentiæ quaſi ſuperadditas concipere, aut rem & rem ulla ratione de Deo aut in Deo cogitare. Quod compoſitum eſt, illud dependet, ut compoſitum, ab iis ex quibus aut a quibus eſt compoſitum, adeoque & imperfectum eſt. Et cum accedere aliquid per compoſitionem feratur, nec perfectum a ſe eſt. Et ſi componi poſſit, quid ni etiam diſſolvi? At cum ipſâ eſſentiâ ſit ſibi & per ſe atque in ſe perfectiſſimus Deus, quid tandem eidem, accidentis inſtar, cogitatione ſuperaddes?

Probata. XCIV. Hanc perfectionem inculcat Deus quando dicit *ero qui ero* Exod: III. 14. ſeu *ſum qui ſum.* Omne quod in me eſt hoc ipſe ſum. Non eſt in me illud & illud mihi quaſi junctum aut ſuperadditum, verum omne quod ſum id ipſe ſum. Sanctitas, Vita, Miſericordia Dei ipſe Deus eſt, qui proinde *per Vitam Sanctitatemve ſuam juratus*, vel *dimiſſis propter mi-*

ſeri-

Digitized by Google

ſericordiam ſuam peccatis, vel *juſte vindicatis impiorum ſceleribus*, *vel per potentiam operatus*; *juratus per ſeſe ipſum*: & *peccata propter ſeſe ipſum delevisse*: *omniaque feciſse propter & per ſe ipſum* dicitur. Ezech: xxxvi. 11. Pſ: lxxxix 36. Hebr: vi. 13. Gen: xxii. 16. Pſ: xxv. 6. 7. Jeſ: xliii. 25. 2. Theſſ: 1. 6. Prov: xvi. 4. Hinc Deus terminis abſtractis, non minus *vita*, *lux*, *veritas*, *amor* dicitur Joh: 1. 9. 1. Joh: 1. 5. iv. 8. v. 20. quam *vivens verax* &c. Plura de hac Dei perfectione habent Burmannus in Synopſi L. 1. C. xxviii. Vogelſang. Exerc. Theol. pag. 298.

XCV. Hoc autem loco de ſimplicitate ago, quia ex primitate ſeu independentia, atque infinitate ita immediatè profluit: ut non poſſit, quod primum & independens atque infinitum ſit, pariter non eſſe ſimplex. Qum & Infinitatis conceptus, ut ſibi Simplicitatis cogitatio addatur, flagitat, ne mens noſtra divagetur, aut res diverſas invicem cumulatas, aut partes una junctas ſomniet, ſed in unicæ ſimpliciſſimæ eſſentiæ meditatione defixa hæreat. Neque ejus conſiderationem poſt ceterarum perfectionum examen rejiciendam cenſeo, ut ut enim tamen vinculum quaſi vel nexus omnium forte aut potius identitas dici queat, videtur Eſſentiæ ipſius cogitationem jam ingredi, antequam eam ut cogitantem magis ſignate contemplemur.

XCVI. Pollicitus ſum me primo loco conſideraturum quæ ad omnimodam entis hujus cogitantis perfectionem pertinent, deinde autem ea quæ illi eſſentiæ cogitanti ut tali, id eſt, ut cogitanti tribuuntur. Priora diximus abſolvi contemplatione Independentiæ, Infinitatis & Simplicitatis, additis iis, quæ ex tribus illis perfectionibus ſeſe nobis proximè cognoſcendas offerunt, ut, poſtquam tres illas perfectiones explicatas dedimus videndæ nunc ſint eæ quæ ex illis profluunt. Hæ ſunt 1. Unitas 11. Immutabilitas 111. Incomprehenſibilitas.

Ex Indep. Infinit. & Simplicitate ſequuntur.

XCVII. Sigillatim hac methodo tractandæ ut 1. Eplicentur 2. ex præcedentibus eliciantur 3. aliis argumentis

con-

Digitized by Google

confirmentur, ac tandem, ubi ſtrophæ adverſariorum id flagitant, indicentur.

1. *UNITAS.* XCVIII. Primò de UNITATE Dei agendum erit. Hanc, conceptu licet facilis, & paucis expedienda videatur, paulo tamen ut accuratius explicatam demus, facit nova Benedicti vafrities. *Explicata* Me quod attinet, deprehendo eſſe alias quoque mentes, quæ, mihi ut ut ſimiles, non tamen mecum una & eadem mens ſint. Et non modos tantum cogitandi in me reperio ab aliorum modis cogitandi diverſos, quorum diverſitas mihi numeri pluralis ideam ſuggerat; verum & eo ipſo, quod experiar multa eſſe, quorum me non habere conſcientiam experior, quæ tamen ſe ſcire alia mens ex vero teſtetur; quin cum nihil a me concipiatur, quod non & alia mens ſuo modo concipere forte queat, palam eſt me tota eſſentia & ſubſtantia mentis, ab aliis mentibus, ut ut ejuſdem ſpeciei, adeoque meæ menti ſimillimis, differre.

XCIX. Quin alia mens, licet ejuſdem rei mecum habeat perceptionem, non tamen ipſa perceptio illius mentis erit eadem, cum ea perceptione, quæ in mea mente eſt: conſcientia enim, quam unaquæque perceptio habet comitem, eſt ita diverſa, ut, ea probe perſpecta, pateat ipſam quoque cogitationem eſſe diverſam; aut ſi diverſa non ſit, poſſe tamen eſſe diverſam inde ſatis ſuperque conſtet. Et tanta diverſitate, ut una eſſe abſque alia poſſit. Quæ autem ita diverſa ſunt ut unum exiſtere ſine alio poſſint, ea ſane ſunt diverſa. Hinc & ſejunctim cogitari, unaque concipi abſque alia poteſt. Mens igitur noſtra non habet omne quod in mente creatâ reperiri poteſt, meum igitur individuum non habet, quin ne habere quidem poteſt, omne id, quod in mente creata eſt aut eſſe poteſt. Eſt igitur hic diverſitatis, &, poſſibilis ſaltem, multiplicitatis ratio manifeſtiſſima. Hæc multitudo ad generalem conceptum mentis creatæ reduci poteſt, ſed generalem, quem præcedat conceptus hujus & illius mentis dependenter cogitantis peculiaris & ſingularis.

C. In

Digitized by Google

C. In Deo autem aliter ſe res habet, quippe in quo ut in unico individuo, omnem perfectionem reperimus; unde ſeſe prodit impoſſibilitas omnis multiplicitatis & ſolidiſſimum propriiſſimè dictæ unitatis fundamentum. *Unitas igitur Dei eſt perfectio qua Deus ſtrictiſſimè unus, atque individuus, multiplex eſſe aut concipi nulla ratione poteſt.* Quinimo magis unus eſt, quam mens noſtra una eſt, & *ſtrictior*, ut Poireti verbis loquar, *ejus unitas*.

CI. Hinc nec unus eſt tantum, verum & unicus. Adeoque unus, modo prorſus Deo peculiari. Omne individuum unum eſt. Quin nonnulla ſunt, quæ, licet unum ſint, ut ita loquar, *numero*, non tamen ita unum ſunt, quin poſſint, Deo id volente, eſſe plures. At Deus & unus eſt, & unicus, ut plures eſſe aut concipi nulla ratione queant, *intelligendum eſt*, ſunt verba Ruffini in Symb. *unum non numero dici ſed univerſitate: verbi gratia, ſi quis dicat unum hominem, aut unum equum, hic unum pro numero poſuit, poteſt enim & alius homo eſſe, & tertius, vel equus, ubi autem ſecundus & tertius non poteſt jungi, unus ſi dicatur, non numero dicitur, ſed univerſitatis eſt nomen.* Complectens Deum ita ut nihil præter ipſum Deus ſit, nemoque Deus dici poſſit.

CII. Formato igitur Unitatis Dei conceptu, ordinis ratio præc. §. XCVII. propoſita exigit, ut eam ex jam probatis eliciamus, quod ſedulò dicta meditanti facillimum erit. *Ex præcedentibus elicita.*

CIII. Quis enim Independentem cogitaverit qui non unus ſit? Finge enim plures independentes, aut unus poterit cogitationes alteri celare aut non poterit. Si prius, ipſe non erit independens; ſi poſterius, huic non conſtabit ſua independentia. Quin & ipſa notio independentiæ, primitatem infert, primitas autem concipi non poteſt abſque unitate; primum quippe niſi unum eſſe non poteſt, adeoque & independens neceſſario unus eſt. Addo independentiam concipi non poſſe abſque ceterorum quæ ſint aut eſſe poſſint ab eo dependentia: ſi enim ſint quæ ab ipſo non de- *1. Ex Independentia.*

Digitized by Google

pendeant; ipſe ab iis dependebit, ſpecies ab iis recipiens, ſaltem cogitationibus illorum in ipſo excitatis, niſi, quod haud minus abſonum, ignoret prorſus, quod ſanè tollit independentiam.

2. Ex Infinitate. CIV. *Infinitatis* ratio eandem flagitat unitatem. Ea imprimis, quam Diſp. Præced. *perfectionis* diximus, palam ſubvertitur, ubi pluribus tribuitur. Ille enim omnes profectò perfectiones abſque modo & termino non poſſidet, præter quem aliud ſit, cui infinita tribuatur perfectio.

3. Ex Simplicitate. CV. Simplicitas ita eam manifeſte infert, ut ab unitate vix conceptu differat. Illa enim, ut ita loquar, nobis obverſatur tanquam unitio & identitas omnium perfectionum; neutra autem extra unitatem, aut, negata unitate, concipi ulla ratione poteſt.

Aliis argumentis probata. CVI. Explicatam ſic atque ex prædictis elicitam agedum ex S. Scriptura & ſana ratione preſſius probemus. Sexcenties aſſertam videmus a Sp. Sancto; ſpeciminis loco hæc teſtimonia ſufficient. Deut: VI. 4. cum Marc: XII. 29.
1. Ex S. Scriptura. Deut: XXXII. 12. *Nam quis eſt Deus præter Jehovam & quis rupes præter Deum noſtrum?* 2 Sam: XXII. 32. *ut cognoſcant omnes populi terræ quod Jehovah ille Deus, non eſt ultra.* 1 Reg: VIII. 60. *Ecce nunc cognovi quod non ſit Deus in omni terra, præterquam in Iſrael.* 2 Reg: V. 15. XIX. 15. 19. *& non eſt Deus præter te* 1 Chron: XVII. 20. 2: VI. 14. Neh: IX. 6. Pſal: LXXXVI. 10. *Et non eſt ultra Deus, nec eſt ſimilis mei.* Jeſ: XXXVII. 16. XLIII. 10, 11, 12. XLV. 5, 6, 18, 21, 22. XLIV. 6, 8. XLVI. 9. Hoſ: XIII. 4. Joh: XVII. 3. 1 Cor: VIII. 4. Eph: IV. 5, 6. 1 Tim: II. 5. Jud: 4. Quæ cuncta non unum tantum, verum & unicum dicunt, eo ſenſu qui §. C. & CI. eſt explicatus.

CVII. Quin omnia quæ de Deo Scriptura nobis revelat huc tendunt. Unus Dominus, una ſalus. Unus ſufficiens & omniſufficiens. Unus omnia.

CVIII. Huc facit, quod omnia opera Dei unum & unius voluntatem indicent. Quin ea, quæ in ſacris reperiuntur Dei nomina, huc ita revocant conceptus noſtros, ut ne-

Digitized by Google

neceſſariò de uno & ſummè unico cogitemus. Jehovah unum dicit, qui unus atque unicè nobis fiat omnia. Elohim unum, qui nos adjuret ut ſecum concedamus in fœdus. Schaddai unum denotat qui ſibi ceteriſque ſufficiat. Hinc & unus adorandus Matth. IV. 9. 10. uni fidendum, in uno gloriandum, uni omnia bona accepta ferenda Deut. IV. 35. 39. XXXII. 39. 1 Sam: II. 2. omnia creata tribuenda Neh: IX. 6. Jeſ: XLIV. 24. Mal: II. 10. omnis ſalus adſcribenda Jeſ: XLIII. 10. 11. XLIV. 8. XLV. 21. Dan: III. 28. 29. Hoſ: XIII. 4. & quicquid non Jehovah eſt Deut: XXXII. 27. aut cœlum & terram non creavit, non Deus eſt Jer: X. 11.

CIX. Idem ratio evincit. 1. Nihil ſane clarius deprehendo quam omnes rationes, Dei exiſtentiam probantes, non niſi unum Deum inferre: quo cognito, ceſſat omnis ſollicitudo, quâ, niſi Deum ſcirem, angerer; Deo uno reperto, habet mens in quo acquieſcat. 2. Similem quoque Deo & diverſum tamen concipere abſurdum cogitatu eſt, concepto enim Deo, jam concepi perfectionem omni ratione conſummatam atque abſolutam, extra & præter quam, alia perfectio abſoluta eſſe non poteſt. *Quod eſt omne abſolutè, id excludit aliud omne abſolute, alioqui quod eſt abſolutè omne, non eſſet abſolutè omne, adeoque Deus unicus eſt.* Poiret. Cogitat. Rat. L. III. Cap. VIII. §. 5. 3. Quæ præter unam eſſentiam daretur eſſentia divina, illa ſanè eadem adeoque verè divina non eſſet. 4. Si plures dii eſſent, unus alium cogitata & decreta ſua celare poſſet aut non poſſet. Si prius, jam alter non eſſet omniſcius; ſi poſterius, jam alterius arbitrio ſuberit, quod divinæ ſummitati non minus repugnat. 5. Vel unus quid præſtare poſſet, idem non volente altero, vel non. Si prius, ab alterius nutu non pendebunt omnia; ſi poſterius, hic non erit cauſa omnium libera atque abſoluta, quorum utrumque ſummam Deitatem ſubvertit, 6. Si plures eſſent Dii, ſingulis deeſſet quod eſſet in aliis, adeoque nemo abſolutè perfectus, & nullus Deus. 7. Si plures eſſent Dii, vel poſſent invicem impedire, vel

2. Ex ratione.

Digitized by Google

non poſſent ; utrumlibet elegeris , abſurdum erit. Non enim numina ſunt quæ diſſidentia finxit ſuperſtitio. 8. Dominus ἀνυπεύθυνος non niſi unus eſſe poteſt , neque enim abſolutus omnium Dominus eſt , qui parem habet. 9. Omnis rerum univerſitas unum clamat conditorem non plures.

Vindicata. c. Spinoſam.

CX. De unitate Dei hæc Spinoſa. Eth. part. I. Prop. XIX. Coroll. I. *Deus eſt unicus, hoc eſt, in rerum natura non niſi una ſubſtantia datur, eaque abſolute infinita eſt.* Epiſtolâ L. aſſerit *Deum, non niſi valdè impropriè, unum, vel unicum dici poſſe: porrò rem ſolummodo exiſtentiæ, non vero eſſentiæ reſpectu unam, vel unicam dici: res enim ſub numeris, niſi poſtquam ad commune genus redactæ fuerunt, non concipimus. Qui, verbi gratia, ſeſtertium, & imperialem manu tenet, de numero binario non cogitabit, niſi hunc ſeſtertium, & imperialem uno eodemque, nempe nummorum, vel monetarum nomine vocare queat: nam tunc, ſe duos nummos, vel monetas habere, poteſt affirmare; quoniam non modo ſeſtertium, ſed etiam imperialem nummi, vel monetæ nomine inſignit. Hinc ergo clare patet, nullam rem unam, aut unicam nominari, niſi poſtquam alia res concepta fuit, quæ (ut dictum eſt) cum ea convenit. Quoniam vero Dei exiſtentia ipſius ſit eſſentia, deque ejus eſſentia univerſalem non poſſimus formare ideam, certum eſt, eum, qui Deum unum, vel unicum nuncupat, nullam de Deo veram habere ideam, vel impropriè de Deo loqui.* Vides I. Dei unitatem huic homini nihil aliud eſſe, quam rerum omnium acervum & conglomerationem, quæ cogitatio quam abſurda ſit, ex iis quæ §. XXVII. & ſeq. docuimus, videre eſt. 2. At abſurdiſſimam theſin ſi admittas, deinceps delirantem deprehendes ſubtilem Philoſophum. Quæ enim ratio erit, quod impropriè Deus dicatur unus, cum, ipſo judice, propriiſſimè unica tantum ſit rerum univerſitas & rerum ſubſtantia, aliaque ab hac diverſa, non ſolum haud ſit, verum & ullo modo eſſe haud potuerit. Id autem quod ità eſt, ut nihil ei ſimile ſit, aut eſſe poſſit, id ſanè quam pro-

Digitized by Google

propriiſſimè unum eſt; talis autem eſt rerum univerſitas; quæ cum ipſe Deus ſit juxta S. Deus ſanè propriiſſime unus dici debet. 3. *Rem ſolummodo exiſtentiæ non eſſentiæ ratione unam vel unicam dici*, abſurdè ſtatuitur, quoniam in Deo eſſentiam idem eſſe cum exiſtentia ipſe rectè aſſerit in Scholio Dem. XI. Part. I. Eth. & Prop. XX. ejuſdem Partis. Si igitur exiſtentiâ unus ſit, certè & eſſentiâ unus erit. Et præterea ſenſu hæc carent, *non eßentiæ ſed exiſtentiæ ratione rem unam dici*, neque enim exiſtentiæ datur aut unitas aut multiplicitas, niſi eò, quod res exiſtens ſit una aut multiplex, res autem exiſtens eſt ipſa eſſentia, non ſola exiſtentia. 4. *Res* quoque *ſub numeris, niſi poſtquam ad commune genus redacta fuerint*, *non concipi*, æque intricata theſis eſt. Res enim quando ad communiſſimum genus, nim. ſubſtantiæ rediguntur, maximè unum ſunt, vel potius una res, juxta noſtrum. Ut tunc minimè ſint plures. Quod autem ut unum, id ſane non *ſub numeris* concipitur, contra quam noſter ſtatuit. Verum ſub numeris concipere, ut parum Latinè dicitur, ſic Philoſophicè quid velit, haud aſſequor. Unitas ſanè non eſt, niſi, quatenus eſt unitas, ſit numeri negatio. Adeoque Deus, nunquam *ſub numeris*, ut ille loqui amat, ſed, ut carens ſimili, & ut nulla ratione multiplicabilis, adeoque ut propriiſſime unus concipi debet. 5. Hinc & ἀπροσδιόνυσα ſunt, quæ de uno & binis ſeſtertiis porro ſomniat, cum agamus de uno, qui ſimilem nec habeat nec habere poſſit. Nulla res duplex aut multiplex dici poteſt, niſi cogitetur rerum pluralitas: at unum abſque pluralitate ejuſdem rei concipi non poſſe, & falſum eſt, & proprio, de unica tantum rerum univerſitate, hominis conceptui prorſus contrarium. Qua enim ratione concipiam rerum univerſitatis unitatem, ſi unitatis conceptus inferat illius rei, quam ut unam concipio, pluralitatem, ſaltem ad plura ſui ſimilia relationem? qua inquam ratione univerſitatis concipiam, juxta noſtrum, unitatem, niſi unà & abſurdè & contradictoriè concipiam plures rerum omnium u-

niverſitates. 6. manifeſtiſſima eſt diverſitas, aliarum rerum nulla ſeu nihil, quod ſub numerum cadat, ita eſt unum, quin cogitari poſſit aliud, illi ſimile; hinc unitas nulli alii rei uni tribuitur, niſi cum reſpectu ad plures; at ſecus ſe hic res habet, ut ex dictis apparet: at cum conceptum Dei putet eſſe conceptum aggregatæ & plurium unionem dicentis cujuſdam univerſitatis, veram ideam Dei non habuiſſe, nec, retento illo conceptu, habere potuiſſe, certum eſt.

Et Antitrinitanos. CXI. Neque dogmati jam confirmato & vindicato adverſatur S. S. Trinitatis fides; non enim infert perſonarum trinitas aut multiplicitatem, aut pluralitatem quæ perfectiſſimæ unitati divinæ eſſentiæ repugnet; quippe quam maximè & perfectiſſimè unam omnino ſtatuimus. Qua de re pluribus ubi ad contemplationem myſterii Patris Filii ac Spiritus Sancti pervenerimus.

CXII. Deorum plurium in Scripturâ mentio nullam quoque parit difficultatem. Aut enim idola intelligit, quæ nihil ſunt illius quod eſſe perhibentur. 1 Cor. VIII. 4. X. 19. aut θεὺς λεγομένους, ad quos olim verbum Dei factum eſt Joh. X. 35. de quibus Exod. VII. 1. Pſ. LXXXII. 6. 1 Cor. VIII. 5. & alibi. Hi muneris ratione ſic dicti, non natura tales.

II. IMMUTABILITAS. CXIII. Sequitur IMMUTABILITAS, quæ eſt perfectio, qua Deus ſemper idem eſt, nihilque ei accedit unquam, nihil decedit.

Ex jam dictis elicita. CXIV. Hanc Deo omni ratione competere validè ex jam dictis concludimus. Primo quidem in genere ex conſideratione ipſius Eſſentiæ divinæ; deinde ex Perfectionibus jam probatis.

CXV. Eſſentia ſane & natura Dei, cum ſit actuoſitas perfectiſſima, mutari nulla ratione poteſt, eo ipſo quod ſit & nunquam non ſit perfectiſſima. quicquid enim mutatur aut melius evadit aut pejus aut ſimile ſibi. Si illud aut iſtud dicas, perfectiſſimæ perfectioni eris injurius, ſi hoc, inutilis erit & abſque ratione facta mutatio; ut taceam, ſimile aliud, in quod Deus mutetur, eſſe aut cogitari non poſſe.

CXVI. Per-

Digitized by Google

CXVI. Perfectiones jam memoratæ idem neceſſario requirunt. Sane Independens non eſt, quod ab alio mutetur aut mutari poſſit; quin quod ulla ratione mutetur dependebit tamen, & licet non à mutante, à mutatione ſaltem ea, quam ſubeat is qui mutatur. Ita nec Infinitus *erit* omni perfectione cui addi, nec *manebit*, cui demi quid poſſit; nec Simplex qui ulli mutationi obnoxius concipitur, ut ex ſe clarum eſt. Quin & unitas iſta omnimoda, quam Deo vindicamus, omnem mutabilitatem reſpuit. Oportet enim idem ſemper ſit, qui iſtoc modo ſemper unus eſt.

CXVII. Sacræ Scripturæ dicta huc facientia clara ſunt, & luculenta Mal: III. 6. *ego Jehovah non mutor*. LXX. ἀλλοιῶ-σθ quod eſt alium ſeu diverſum fieri Jac: I. 17. I Tim: I. 17. Rom: I. 23. Et ſane quæ Dei conſilio adſcribitur immutabilitas Num: XXIII. 19. 23. 2 Tim: II. 13. 19. ut in ipſius naturæ invariabilitate atque immutabilitate fundata eſt; ſic eo ipſo non minus ipſi naturæ atque eſſentiæ Dei convenit, quam voluntati. *Ex S. S. probata.*

CXVIII. Vindiciæ hujus perfectionis faciles. Poteſt res, ante momentum non exiſtens, Deo vocante, exiſtere hoc momento, abſque ulla in Deo mutatione. Cum rei tantum ſtatus, aut res ipſa mutetur, non Deus. Qui temporis quoque varietate non afficitur, exactè id notante Spiritu Sancto Pſ: CII. 27. 28. Hebr: I. 11. 12. Res quæ heri futura, nunc præſens eſt, & cras præterita erit, temporis momentis invicem ſuccedentibus, adeoque mutationi obnoxia eſt, Deus autem idem ſemper & in ſecula, uno obtutu cuncta contemplatus. Quæ de pœnitentiâ Dei habet S. Pagina, ut καθ' ἄνθρωπον de Deo dicta, ſummæ perfectioni convenienter accipi debent. *Vindicatæ*

CXIX. Hæc cum Deo eſſentialis ſit, neceſſe eſt, ut omne id quod ipſi eſſentiale eſt pariter ſit immutabile. Adeoque & reliquæ perfectiones immutabiliter perfectiſſimè in Deo ſunt. Quin nec voluntati, quippe quæ maximè Deo eſſentialis eſt, accidere ulla mutatio poteſt. Libera

ra

Digitized by Google

ra eſt divina voluntas, imo liberrima, & Deus omnium rerum auctor atque arbiter, adeoque fieri nihil potuit aut futurum eſſe, niſi ex decreto & nutu divinæ voluntatis. Hinc rei volitæ id accidit, ut, antea & in ſe prorſus nihil, futura evaſerit & facta ſit, Deo id libere volente, quo maximam ſubiit mutationem, qualis in Deum aut in voluntatem ejus cadere nulla ratione poteſt. Nec enim Deus unquam ex non volente, volens factus eſt, ſed unico perfectiſſimo actu voluntatis ab omni æternitate voluit, ut fierent omnia quæ facta ſunt, & tali ut ordine fierent quo facta ſunt. Quod libertati divinæ non præjudicat, quoniam liberrimè, id eſt, ſponte ſua & pro mero beneplacito, ab æterno ita voluit ut voluit. Qua de re, ubi de conſilio Dei locuturi ſumus, denuo dicemus.

III. *INCOMPREHENSIBILITAS. Explicata.* CXX. INCOMPREHENSIBILITAS eſt perfectio, qua, ut in ſe nullis circumſcriptus terminis, omnes limites quos mens concipere ulla ratione queat, immenſum Deus transgreditur. Hæc conſiderari poteſt vel abſolute & in genere: ſeu in ſe, vel cum relatione ad Intellectum creatum, quæ *Incomprehenſibilitas* ſigillatim ſic dicta eſt: quâ ita excedit captum omnis creati intellectus, ut adæquate comprehendi nequeat à mente dependente, hanc demonſtravimus adv. Spinoſam Scenogr. Cap. III. §. XVIII. & ſeq. unde profluit 1. In relatione ad Phantaſiam *Inimaginabilitas*, cum, quod purum intellectum, multo id magis phantaſiam ſuperet & imaginandi vim omnem. 2. ad Spatium & ubi, quæ eſt Omnipræſentia ſeu Ubiquitas 3. ad omnem menſuram durationis, quæ Æternitas dicitur 4. ad ſenſum quemcunque 5. ad artem omnem atque induſtriam humanam, quam *Ineffigiabilitatem* recte nuncupaveris.

I. *Reſp. Intellectus creati.* CXXI. Incomprehenſibilitas reſp. intellectus creati omnis ut facili negotio ex præcedentibus elicitur, ſic & ex eo defectus ille, qui eſt in ea cognitione, qua ipſi nos concipimus, clariſſime demonſtrari poteſt.

CXXII. Nos noſmet ipſos non prorſus noviſſe inde conſtat,

Digitized by Google

ſtat, quod, ſciens me multis variationibus & cogitationum diverſitatibus eſſe obnoxium, determinare tamen quot modis variari poſſim haud queam. At magna procul dubio imperfectio & ſui ignorantia, ſibi ipſum perfecte notum nec eſſe, nec eſſe poſſe: ſibi ipſum adeo eſſe incomprehenſibilem: & eo major in corporibus imperfectio, præ ea, quæ in nobis eſt, quod corpora plane nihil ſui ulla ratione cognoſcant. At me ipſum & omnes poſſibiles variationes, quæ menti accidere poſſunt, non noviſſe, quid aliud eſt, quam, complete non noſſe ea omnia, quæ Deus præſtare poteſt, ut mihi accidant diverſiſſimæ cogitationum variationes? Quanto igitur Deus magis incomprehenſibilis putandus eſt, non quidem ſibi, cum id in cogitationem actuoſiſſimam non cadat, ſed menti creatæ, ſed mihi? Certe ſi Deum adæquatè cognoſco, & Deus erit cogitatio imperfecta, quæ à me completè & adæquate cognoſci queat, & ego ero Deus, Deus finitus & ego infinitus. Siquidem enim Deum adæquate concipiam, neceſſe eſt ut ego infinitus ſim, adeoque ipſe Deus. Et Deus cum ipſe mihi obverſetur ut res a me diverſa, non poterit non finitus eſſe. Quicquid enim ab infinito diverſum eſt, finitum eſt; Certe ea quæ in nobis eſt Dei repræſentatio non omnia habet, quin nec omnia habere poteſt, quæ ſunt in repræſentato, adeoque inadæquata eſt. Nullaque idea Dei adæquata eſſe poteſt, præter eam, qua Deus ſe ipſe novit. Perfecta repræſentatio objectiva Dei adſcribi non poteſt, niſi ei, in quo ea perfectio eſt formaliter. Adæquata enim Dei cognitio nihil aliud eſt quam ipſe Deus conſideratus ut ſe adæquatè cognoſcens.

CXXIII. Verum nec hanc Dei Perfectionem, nec eas, quâ ad *ubi*, aut ad *menſuram durationis*, aliave, jam recenſita, refertur, prolixiore tractatione exequemur, quippe, nec patitur inſtituti ratio, nec quicquam de iis dicendum habemus, præter ea quæ Coccejus, Burmannus, Eſſenius, Vogelſangius aliique, imprimis Wittichius in Theologia Pacifica de Dei Omnipræſentia, dixere. *Reſp. Ubi: durationis: &c.*

V CXXIV.

Ordinis ratio.

CXXIV. Polliceor §. LXXVII. conſideraturum me Deum primo abſolute, deinde in relatione, eo ſenſu qui §. LXXIV. videre eſt. Miraberis igitur dubio procul, quod *Incomprehenſibilitatem* una cum perfectionibus, quas inde eliciendas jam indicavimus, hicce loci proponam, iis, quæ ad conſiderationem Dei abſolutam pertinent, nondum confectis. Hunc ſcrupulum tibi eximi patieris ubi conſideraveris. 1. Haſce perfectiones, terminis ut ut relativis expreſſas, talia dicere, quæ eſſentiæ divinæ indoli neceſſario conveniant; adeo ut, licet mentis fictione omnem intellectum creatum, omne ſpatium, creaturam denique omnem faciam non eſſe, Deus tamen Deique ipſa Eſſentia talis mihi ſit obverſatura, ut, poſito intellectu creato, non poſſit non eſſe, quin ultro, eo ipſo, abſque ulla mutatione, ſit incomprehenſibilis; poſitoque ſpatio creato nulli incluſus, omnipræſens, & ſic porro. Quapropter in præſcriptam mihi methodum non incurro, quando, ipſam indolem & naturam Dei contemplatus, has perfectiones conſidero, quas ipſa mens noſtra, Dei ideam porro intuita, ilico ſibi ſeu meditationi ſuæ oblatas deprehendit.

CXXV. Præterea illas, quas abſolutas dixeram perfectiones, omni ratione qua menti noſtræ ſe ipſæ ſiſtunt, probe percipere, &, ut fas eſt, conſiderare non poteram, niſi eos conceptus adderem, quos earum perfectionum accurata contemplatio confeſtim ſuggerit. Independentiam ſane, aut Infinitatem, aut Simplicitatem omni ea ratione qua conſiderari debent non expendo, niſi una proponam eas perfectiones, quæ ex illis immediate profluunt. Exiſtentibus jam iis rebus, ad quas ſi explicatas proxime perfectiones retuleris, hæcce nomina induunt.

CXXVI. Nam hæ perfectiones potius externæ denominationes ſunt, Deo ex relatione ad res alias accedentes, quam attributa aut perfectiones peculiares.

CXXVII. Neque etiam hic omnia propono, quæ de Deo quavis ſub relatione conſiderato dici queunt, ſed ea

tan-

Digitized by Google

tantum, quæ ſignate ad curatam Independentiæ, Infinitatis & Simplicitatis intellectionem facere videntur.

CXXVIII. Accedit, quod conſiderationem Dei relatam dixerimus, non, qua hoc aut illud, ut ita loquar, in Deo, peculiariter conſideratum, ſed Deus in omnibus jam perfectionibus accuratè conceptus, referatur aut ad ſe aut ad alia.

CXXIX. Vidimus itaque eas perfectiones, quæ Eſſentiæ Dei, in ſe & quaſi ἁπλῶς conſideratæ, adſcribendæ ſunt: ſequitur ut, ſecundum methodum §. LXXXIV. propoſitam, ad eas tranſeamus, quæ eidem ut viventi & actu operanti quà tali conveniunt. Quæ hactenus vidimus, pertinent, ut ita loquar, ad conſiderationem ipſius eſſentiæ, quæ perfectiſſimè cogitat. Nunc ipſa perfectiſſima cogitatio ut talis erit contemplanda. Vidimus ſubjectum cogitans, ſeu eum qui cogitat perfectiſſimè,

CXXX. Sequuntur ea, quæ Eſſentiæ cogitanti, ut tali, ſeu, ut cogitanti, conveniunt, nobis quæ obverſantur quando Deum ut cogitationem ſuam perfectiſſime exercentem concipimus. Non quod hæ perfectiones ipſi etiam eſſentiæ non competant, ſed quod, eſſentiam ipſam ita ſimpliciter conſiderantibus, non æque occurrant, ac quando eam ut cogitationem ſuam perfectiſſimè exercentem contemplamur *II. Ut Vivens qua talis.*

CXXXI. Ea igitur, quæ Eſſentiæ divinæ, ut ex ſe cum conſcientia actu operanti competunt, pertinent vel ad conceptum generalem Vitæ Dei: vel ad ſpeciales tum Intellectionis tum Volitionis Divinæ. Vita Dei ipſam Intellectionem & Volitionem in ſe complectitur. Quin Intellectio & Volitio ſunt ipſa Vita Dei diverſa ratione menti noſtræ repræſentata. Nihilominus Vitæ rationem omnem haud parum propius & diſtinctius conſpiciemus, ubi accuratas de Intellectione ac Volitione cogitationes formaverimus. *I In Genere VITA* *2. Signate.*

CXXXII De vita Dei jam §. VIII. dicendum fuit, quoniam ipſa Eſſentia Dei nulla ratione concipi poterat, niſi ut

viventem contueremur, adeoque id quod hunc in locum differendum videri poterat, tunc occupavimus. Sigillatim igitur nunc de;

1. *Intellectio.* CXXXIII. 1. *Intellectione* Dei. Scriptura Deo tribuit ſcire & videre & cognoſcere & intelligere & intelligentem & ſapientem eſſe; quæ ſingula nobis Intellectionis divinæ notionem ſuggerunt. Intellectionem dico potius quam Intellectum, ne facultatis inſtar in Deo concipere videar, quâ, jam potens intelligere, deinceps actu intelligat. Conſiderabimus 1. Intellectionem ipſam. 2. Objecta intellecta. 3. Modum intelligendi.

a. *in ſe.* CXXXIV. Intellectio in nobis, eſt ipſa mens noſtra ſimpliciter percipiens. Mentem igitur ut intelligentem concipere, eſt concipere mentem ut ſimpliciter percipientem. Quæ enim ultra ſimplicem rerum perceptionem ac præter eam, mens noſtra agit: ſeu judicet, ſeu approbet appetatve, ſeu damnet atque averſetur, ea, cum cohibere poſſit aut omittere ſaltem, libere & ſponte ſua agit, proindeque non ad Intellectionem proprie, ſed ad Volitionem, non ad Intellectum, ſed ad Voluntatem pertinent. Hinc ubi ab exigua illa quæ in nobis eſt, ſeu potius quæ nos ipſi ſumus, Dei adumbratione, ad contemplationem illius, cujus γένος ἐσμὲν *genus ſumus*, adſcendimus, Intellectio Dei definienda erit, quod ſit ipſe Deus conſideratus ut ſimpliciter percipiens. Perceptionem iſtam *Intellectionem* voco, ut innuam, eam illius rationem eſſe, ut ad intimum ipſarum rerum penetret intuitum, nihilque ullius rei perceptæ Dei aciem effugiat; rem non videt tantum, ſed perſpicit, ſed intelligit penitus.

CXXXV. Hæc Dei Intellectio, eo quod Dei ſit, non poteſt non eſſe 1. Independens, adeoque nullam ſpeciem aliunde recipiens. Si enim aliunde, ſeu à rebus ipſis ſpeciem ullam reciperet, haud, eo ſaltem reſpectu, independens eſſet. 2. Infinita; adeoque perfectiſſima omni ratione. 3. Simplex non diverſis actibus excita, ſed uno ſimpliciſſimoque actu; non ratiocinando proficiens, ſed uno peracta & con-

ſum-

Digitized by Google

ſummata actu: non generalis atque implicita aut hac aut illa occaſione ſeu evolvenda ſeu explicanda, ſed maximè ſingularis & diſtincta. Porro ſi ſimplex ſit, & una eſt, & Immutabilis & omni ratione Incomprehenſibilis. Hinc exclamat Apoſtolus *ô profunditas divitiarum Sapientiæ & ſcientiæ Dei* Rom. XI. 33. & Pſal: CXLVII. 5. *prudentiæ ejus non eſt numerus.* magis autem hæc clara nobis & perſpicua evadent, ubi Intellectionis hujus objecta viderimus. *β. Ejus Objecta.*

CXXXVI. Quæ duplici ſub differentia commodè concipimus, cujus reſpectu Naturalia dicemus nonnulla, nonnulla Libera. Naturalia dico ea, quæ Deus nulla ratione potuit non percipere atque intelligere: non quod coactè ea percipiat; nihil enim agit niſi perfectiſſimè, adeoque ſponte & pro lubitu ſuo; ſed quod circà illa non verſetur eâ libertate, qua utitur circa res alias, quæ prorſus, ſeu ratione univerſæ eſſentiæ ſuæ, à libero Dei pendent conſilio. Hinc ea concipimus à Deo intellecta, eo ipſo quod Deus ſit, atque antecedenter ante omne decretum voluntatis conſideratus. Sunt autem tum ipſe *Deus*, tum ſignatè in Deo ejus *Exprimibilitas.* *1. Naturalia.* *a. Ipſe Deus.*

CXXXVII. Deus ipſe ſe non intelligere haud poteſt. Sua enim natura actus puriſſimus eſt & cogitativus, adeòque ſibi plene conſcius, per conſcientiam ſui perfectiſſimam. Quin imo hæc ſui intellectio eſt ipſe Deus conſideratus ut ſui conſcius. Ut omni cogitationi eſſentiale eſt, ſui eſſe conſcium, ſic id imprimis de actu illo puriſſimo cogitandum eſt. Quoniam hæc ſui Intellectio Deo eſſentialis eſt, neceſſario, non ſecus atque ipſa eſſentia, Independens eſt & Infinita, & Simplex; adeoque unica Immutabilis & Incomprehenſibilis. Huc faciunt loca 1 Sam: II. 3. Pſ: CXLVII. 5. Joh: I. 18. Mat: XI. 27. 1 Cor. II. 10. 11. *b. Ejus Exprimibilitas.*

CXXXVIII. Sequitur Dei *Exprimibilitas* dicam an *Adumbrabilitas*, de qua 1. videndum *quid* ſit, & 2. demonſtrandum quod ſit *objectum* divinæ Intellectionis.

CXXXIX. Cuncta quæ Deus unquam fecit, expreſſio quædam ejus ſunt atque adumbratio, ut in rebus factis, docen-

Digitized by Google

cente id Apoſtolo, appareat non δύναμις ſolùm Dei ἀΐδιος, *potentia æterna*, verum & ipſa θειότης *divinitas*. Deitas autem videri non poteſt, niſi in iis quibus ſe expreſſit ipſa atque adumbravit, in ſe prorſus inviſibilis Ioh: 1. 10. Porro Deus, antequam ſeſe expreſſit, idem erat, talisque, qui & qualis expreſſus atque adumbratus eſt: quin & antequam de ſui adumbratione aliquid decrevit, talis erat, ut ſufficiens eſſet, qui hôc, quô fecit modô, & infinitis fortè aliis ſe adumbraret & exprimeret, prout placeret liberrimo ipſius arbitrio.

CXL. Hanc autem Dei Exprimibilitatem hicce loci proponendam putavi, antequam de voluntate Dei agerem, quoniam Deo eſſentialis eſt & prorſus naturalis Ut, licet & res & rerum modi ac ſeries omnis, quibus exprimere ſe atque adumbrare voluit, omne ſuum eſſe unicè liberrimæ debeant voluntatis divinæ diſpoſitioni ſeu nutui, adeoque nihil poſſibile dici aut cogitari ante Divinæ voluntatis liberrimum decretum poſſit, Deus tamen ab æterno & ex ſua natura, aut potius ſufficientia naturali, ſit & ſemper fuerit exprimibilis atque adumbrabilis. Quæ Exprimibilitas cùm in ipſâ eſſentiæ divinæ & perfectionum omnium fundata ſit omni ſufficientiâ, ita concipi debet, ut tanquam ratio, dicam an cauſa ſit, quod nulla unquam res facta ſit, aut fieri queat, qua Dei quædam perfectio aut negetur aut ulla ratione lædatur

Decentiæ Juſtitiæ & Sanctitatis quaſi fons & ratio.

CXLI. Quâ re paulo attentius expensâ, ſe prodet *Decentiæ*, *Juſtitiæ* & *Sanctitatis* divinæ quaſi fons & ratio, quatenus eas deinceps cum relatione ad creaturas conſiderabimus. Licet enim & eſſentiæ rerum, & omnis bonitas, rectitudo, veritasque in creaturis nunc conſpicua, divinæ voluntati ejusque liberrimo tranſcribi placito debeant, non poſſum tamen ante omnem liberum voluntatis actum non concipere Deum ut perfectum, ut omniſufficientem, adeoque, ſecundum decentiam quandam naturalem, & ad ſui gloriam, neutiquam aliter, exprimibilem. Multa quidem de ea audacter determinare nefas ducimus, ſilere tamen prorſus, quando jam eo delati ſu-

Digitized by Google

ſumus, non minus foret abſonum. Apoſtolus ubi in Epiſtola ad Hebræos, Capite ſecundo, commate decimo, provocat ad *Decentiam* Dei & ex ea arceſſit neceſſitatem conſummandi *τὸ ἀρχηγὸ τῆς σωτηρίας διὰ παθημάτων principis illius ſalutis per paſſiones*, dubio procul aliud quid reſpicit, quam quod univerſim ex mero voluntatis libero actu arceſſendum ſit, aut unicè in præſenti rerum ordine quærendum. Chriſti paſſiones, omnium operum divinorum baſis ſunt, ex iis omnium viarum Dei juſtificatio repetenda eſt unicè.

CXLII. Has autem ex Dei, peccatorem in gloriam introducentis, adeoque ſanctificantis, decentiâ ita derivat, ut iſtam Chriſti conſummationem decuiſſe Deum dixerit apertè. Hinc יה appellatur Deus, quippe in quo eſt decentia quædam, quam conſpiciendam præbuit in opere omni quod in Chriſto præſtitit, ut Capitis ſecundi §. 33.-- 38. videre eſt. Nihil autem pater facit quod non ſimiliter & filius: per ipſum *ſecula*, id eſt, cuncta non ſine momentorum ſucceſſione durantia, *facta* ſunt Hebr: 1. 3. Propter ſe facit omnia & ad gloriam ſuam, adeoque ut prædicentur virtutes ejus. Proverb: XVI. 4. Pſ. XIX. 1. 2. Eſt igitur in Deo quid, cui reſpondeant, quodque exprimant, & conſpiciendum præbeant res factæ. Id autem in Deo erat antequam rebus factis innoteſceret; ſeu Deus jam ante erat talis, antequam ſe talem factis probaret. Quando ſeipſum abnegare non poſſe, mentiri, peccare non poſſe dicitur, non ſanè id eam tantum ob rationem accidit, quod Deus liberè decreverit ſe ea non commiſſurum, ſed quod ipſi naturæ ac eſſentiali perfectioni divinæ prorſus repugnent: ſeu quod gloriam Dei enarrare nequeant, quod offuſcare apta ſint & negare, non illuſtrare virtutes Dei; adeoque exprimere Deum atque adumbrare haud poſſint.

CXLIII. Hinc eſt, quod, liberrimè licet & pro mero Dei placito producta ſint omnia, adeo ut potuerint hæc non produci aut prorſus alia, certum tamen ſit, Deum, ubi hoc aut illud facere voluiſſe conſtat, nonnulla quæ ad eam rem ne

ſit

Digitized by Google

ſit ad gloriam Dei, ſeu ut Deum exprimat, neceſſaria ſunt, una non tacere haud potuiſſe. Exemplo rem illuſtremus. Conſtet, Deum creare voluiſſe creaturam cogitantem, dico fieri non potuiſſe, quin rectam, id eſt quæ conditorem ſuum agnoſcere atque amare apta nata foret, produceret. Ratio in in promtu eſt. Non reſponderet ceteroquin Dei Exprimibilitati, non referret Deum, non foret, ut creatura rationalis, ad Deum. Idem in multarum rerum connexione rite obſervandum eſt. Potuerit Deus fœdus facere cum Adamo ut homine ſingulari, pacto tamen cum eo fœdere, tanquam cum capite, omnes ſub ſe atque in ſe complectente, fieri per Dei decentiam haud poteſt, quin Adamo peccante omnes ruant in interitum. De Ideis nobis inditis pariter tenendum, poſtquam tales nobis indere voluit Deus tanquam ſe adumbrantes, fieri non poteſt ut Deus res alias faciat quam tales ut reſpondent iſti Ideæ: tum quod falſum teſtaretur Deus opuſque ſuum deſtrueret; tum quod ſe non adumbraret ſed ſui adumbrationi contradicturus eſſet, adeoque ſui de ſe ipſe negaturus teſtimonium. Sic inditâ nobis Ideâ corporis ut rei extenſæ, mentis ut rei cogitantis, fieri non poteſt ut Deus corpus creet non extenſum, aut mentem non cogitantem. Non quod rerum illarum Ideæ ſint, eo ſenſu, quo vulgo id aſſeri ſolet, æternæ, ſed quod Deus eo quaſi charactere ſic ſe habente & non aliter exprimere ſe voluerit.

CXLIV. Porro cum iſta exprimibilitas ipſius Dei ſit, Deusque is ſit & talis, qui & qualis eſt, ſecundum noſtrum concipiendi modum, antecedenter ad omnem actum conſilii aut decreti; neceſſe eſt, ut ea quoque, ſenſu jam dicto, omne decretum antecedat.

CXLV. Quando autem de Exprimibilitate Dei loquor, quod denuo monitum te velim, cave putes me concipere ullarum rerum poſſibilitatem, quæ liberæ actum voluntatis divinæ antecedat; aut eſſentias me rerum fingere, quæ ab æterno fuerint, Deique decretum anticipaverint; quæque adeo tales à Deo fuerint conceptæ, quia ante omnem di-

vini

Digitized by Google

vini decreti actum natura ſua fuerint tales. Non enim de rebus hic ago præter Deum aut extituris unquam aut poſſibilibus, ſed de ipſo Deo perfectioneque quadam Deo eſſentiali. Quin noſtra hæc de Dei Exprimibilitate cogitatio radicitus evellere illas abſurdas cogitationes apprime idonea eſt, quippe quæ omnes rerum, ut vocant, ideas, omnem poſſibilitatem derivare docet ex Dei arbitrio & liberrima voluntate. Exprimibilem quidem natura ſua dico Deum, tam infinitis autem, ſi liceat ita loqui, modis, ut non ſolùm rebus quæ nunc ſunt & ut nunc ſe habent, ſed pluribus & longè aliis, ſi ita voluiſſet, ſui dare adumbrationem aliquam potuerit.

CXLVI. Certe rerum ideas prorſus æternas, & poſſibilia quædam antecedenter ad Dei decretum qui fingunt, illi res omnes negant eſſe ſolum adumbrationes Dei: etenim Divini quid, eſſentiæ nimirum æternitatem & independentiam atque aſeitatem iis adſcribentes, ultra adumbrationis ſortem evehunt; imo verò & Deùm dependentem faciunt, quippe concipientem res jam ſuâ naturâ & ideâ tales, antequam de iis quidquam ſtatuerit aut decreverit. Unius Dei ea perfectio eſt, ut ex ipſius conſideratione repeti poſſit ratio omnis proprietatis, veritatis, & perfectionis, quæ ipſi naturalis eſt. Plura hac de re vide apud Poiretum Cogitat. Ration. p. 127.

CXLVII. Quæ utut vera ſint, Exprimibilitatis tamen divinæ realis quædam manet & moralis ratio, ut ita loquar, perfectiſſima, Deoque convenientiſſima, qualem ſatis jam ſuperque pro modulo noſtro explicatam dedimus.

CXLVIII. Deus enim Exprimibilis erat ut ens non ſolùm, verum etiam ut ens ſe cognoſcens atque amans, ſeu ut rectus & ſanctus eſt, eventusque nos docuit revera ſe utraque illa ratione adumbraſſe atque expreſſiſſe, ſiquidem reperiantur creaturæ, quæ, non entia ſunt tantum, ut reliqua, verum & rectæ ſunt & ſanctæ, id eſt cogitantes convenienter iis cogitationibus quæ Deus circa ſe ipſe exerit: hinc eſt quod commode Exprimibilitatem in Deo

Digitized by Google

concipiamus duplicem, quarum unam Realem nuncupabo, Moralem alteram. Unam quâ ut ens eſt, alteram quâ ut rectus & ſanctus eſt, ab omni æternitate fuit exprimibilis.

CXLIX. Hanc autem ſui Exprimibilitatem, hanc ſe Exprimendi ſufficientiam noſſe Deum, & ab omni æternitate & naturaliter noſſe, ita ut ignorare eam nunquam potuerit, nemo ibit inficias, niſi Deum ſe ignorare aut ullam ſui perfectionem non noviſſe abſurdiſſimè finxerit.

CL. Merito iſthæc de qua agimus ſui Intellectio Scientia dici meretur & Intelligentia & Sapientia. Neque enim Deus poſt conditum decretum demum talis eſt, ut intelligens, ſciens, ſapiens dicendus ſit, ſed ſe & natura ſua, nullâque re præter ſe conceptâ, talis eſt, ut ſcientia ipſi competat atque Intelligentia & ſapientia. Sciens ſi ſit qui cauſas rerum novit; Intelligens qui rem omnem funditus quaſi penetrat & Sapiens cui rerum nexus patet & concinnitas: Deus ſane in ſe, per ſe & circa ſe talis eſt. Se enim ita novit, ut dum cauſam non agnoſcit, aſeitatis tamen ſuæ veram rationem probè perſpectam habeat. Ipſa natura & penetralia Dei 1. Cor: 11 10. 11. ita ipſi comprehenſa ſunt, ut intimam habeat illarum, id eſt, ſui perceptionem: pariter ipſi conſtat & clara eſt omnis concinnitatis & venuſtatis ſuæ ratio. Sapientia igitur non minus atque Intelligentia quam Scientia dici meretur hæc ſui atque Exprimibilitatis ſuæ perceptio.

2. *Libera.* CLI. Sequuntur objecta hujus divinæ Intellectionis libera. Poſtquam enim vidimus ſcientiam illam Dei quam ſimplicis intelligentiæ vulgo nuncupant; ſequitur ut ad eam tranſeamus quæ viſionis dicitur. Ab objectorum autem ratione cum repetitæ ſint iſtæ denominationes, nec à vitilitigationibus liberæ, ſatius videtur, ut, omiſſis ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ea ulterius contemplemur, quæ divinæ ſcientiæ S. pagina non ſolum, ſed & ipſa ratio objecta docet.

CLII. Libera igitur objecta vocamus ea, quæ Deus novit

Digitized by Google

novit quia ea libere voluit noviſſe ac ſcire: hæc ſunt omnia quæ præter Deum ſunt aut fuerunt aut unquam fient. Nec res tantum ſeu cogitantes ſeu extenſæ, verum etiam earum modi, actiones, & ordo, ſeu in prima ſeu in ſecunda creatura. Horum ſane nihil eſt quod divinæ Intellectioni latere poſſit: cum nihil, quod reale ſit, totum ſui unicè Divinæ nutui voluntatis atque univerſim non debeat. Eſſe autem quicquam aut fieri volente Deo non poteſt, Deo id non intelligente. Ut ullius liberæ creaturæ actus nec hoc nec illo in ordine eſſe poſſit, aut ulla ratione ad aliud relatus, Deo eam relationem ignorante. Nihil quoque ſubduci divinæ ſcientiæ poteſt, niſi omnia ſubducas; cum omnium eadem ſit ratio. Accedit, quod a minima circumſtantia, a minimo motu, res paſſim maximæ dependeant; ut ſi minimas rerum circumſtantias non noverit, res quoque maximas ignorare neceſſe ſit. A ſanguinis temperie, à minima affectus alicujus agitatione, quæ in Principe oriatur, ſæpe univerſæ Reipublicæ ſalus pendet aut pernicies, tam momentoſa enim, earum occaſione, paſſim accidere quis eſt qui ignoret? Niſi igitur hæc Deo inopinatò evenire dixeris, neceſſe eſt, ut & illa non ignorare, ſed in numerato habere adeoque accuratiſſimè ſcire fatearis. Nec vile nimis videri debet res minima, aut motus, aut cogitatio ulla, cum quibus tanta connectere divina voluit Sapientia? Taceo, ſi id obtendas, res quoque maximas ita immenſum infra Dei Majeſtatem poſitas eſſe, ut, aliarum rerum reſpectu, licet majores ſint, ubi cum Deo conferuntur, prorſus in cenſum non veniat, imo penitus evaneſcat earum iſthæc eminentia.

11. Objecta Intellectionis Divinæ Libera.

CLIII. Nec neceſſe eſt, ut magis de contingentibus quam neceſſariis ſimus ſolliciti, cum nihil contingens ſit niſi reſpectu illius qui id futurum ignorabat antequam fieret. Sanè quod interveniente creaturæ rationalis ſpontaneitate dicam an lubentia, libertatem arbitrii vocant, fit, an cum nobis in anteceſſum minus notum eſt, Deo id pariter latere putabimus? Quod unus contingenter fieri dicit, adeoque præſcire non

Etiam eventus contingentes.

Digitized by Google

poterat, id alteri erat certiſſimè præviſum, antequam fieret. In multis rebus naturalibus id obtinet; ut quo magis quis in earum ſcrutinio ſe exercuit, eo ipſi pauciora ſint contingentia, plurimaque certo noverit antequam fiant, quæ aliis, iſtorum effectuum cauſas ignorantibus, erunt contingentiſſimè tantum futura. An quicquam igitur non ſciet, qui omni cauſæ tantum dedit cauſalitatis quantum voluit; & omni rei tantum dat efficere quantum placet, is ne inquam multa ignorabit, eo quod tanquam contingentia abſcondita ſint? Et, quod antea notavi, denuo hic moneo, omnis Deo rerum præſcientia neganda eſt, ſi contingentia fingas, quæ Deus ignoret. Niſi maximos effectus, a minimo contingenti ſæpe pendentes, præſcire dicas, & ignorare cauſas, idem finxeris. Sunt effecta neceſſaria maximo numero, quæ à contingenter facto profluunt, hæc præſciverit, illa autem ignoraverit Deus: quis ſtupor hic eſt? quæ dementia? Sanè effecta, quæ mihi contingentia aut tibi, aut omni forte creaturæ cogitanti, minuſne realitatis habent, quando producta ſunt, eo quod contingentia erant, antequam fierent? & ſi tantundem in iis realitatis, quantum in effectu quem dicunt neceſſarium, quid ni æqualis ejus dependentia, quid ni par eſt ejuſdem Dei cognitio? An dominio ſe in cauſas contingenter operaturas abdicavit Deus? an curæ an providentiæ ſuæ ſubduxit? An cauſas illas, dum contingenter, ſimul & independenter operantes fecit?

CLIV. Entia rationis, quatenus conceptus dicunt, aut peculiares modos cogitandi, latere pariter Deo haud poſſunt; ut nec peccata: at de horum cognitione judicari facilius poterit, ubi eorum naturam dederimus explicatam.

CLV. Nihil autem cum ſit, quod, ante voluntatis decretum & naturaliter, cognoviſſe Deus dici poteſt, præter ipſum Deum atque Exprimibilitatem ſuam, jam in accuratioris ordinis leges peccaſſe videri queam, quod libere cognita memorem, antequam de ipſa Dei voluntate actum eſt. At ipſa Intellectionis divinæ explicatio abſolvi haud

po-

Digitized by Google

poterat, niſi & de libere cognito aliquid adderetur, fuſius tamen explicando, clariuſque percipiendo, ubi de divina voluntate diſſeruerimus; quando de Dei cognitione, quatenus rerum aliarum præter ſe cognitio eſt, denuo dicendum erit.

CLVI. Clariſſimè autem in ſacris patet iſthæc veritas. 1. In genere dicitur omnia ſcire Act: xv. 18. Nota ſunt Deo ab æterno omnia opera ejus. Qui textus licet aliter legatur valide tamen probat quod contendimus; tot enim & talia converſio gentium complectitur, ut vel tantillum ignorare non poſſit, qui eam habeat probè perſpectam. Joh: xxi. 17. 1 Joh: iii. 20. Hebr: iv. 13. de rebus minimis, vide Pſ: lvi. 9. Matth: x. 29. vi. 26. 30. maximè abſconditis, cordis ipſius receſſibus Jer: xvii. 10. 2 Signatè futura tum naturalia & neceſſaria quæ vocari ſolent Pſ: cxlvii. 4. 8. cxxxix. 15, 16. tum libera, ſeu intervenientibus cauſis ſponte ſua agentibus producta Pſ: cxxxix. 2, 3, 4, 6. Adeoquè non res tantum ſed & rerum omnes modificationes, ſeu reales & quæ præter τὸ referri ad aliud, veram ac realem quandam dicant rei affectionem una cum debitâ illius ad alia relatione, quæ rectæ & bona facta ſunt, ſeu ſecus & merè relativæ, quales modificationes non rectæ adeoque peccata ſunt. *Omniſcientia Dei probata.*

CLVII. Huc omnes prædictiones Prophetarum de eventibus maximè liberis & fortuitis Jeſ: xlvi. 9. 10. 11. Huc fata Abrahami accuratiſſime jam ante delineata Gen: xv. 13. 16. xviii. 18. 19. Inſigne exemplum eſt 1. Reg: xiii. 2. 3. cum ii. xxiii. 16, 17, 18. Ut & 1 Reg: xxi. 19. xxii. 17. 28, 30—38. ii. ix. 24. 30, 33, 35. x. 7-11. Quin tanquam peculiarem characterem hoc ſibi vindicat Deus Jeſ: xli. 22, 23. ei Imo ita naturalis eſt hæc omniſcientia ut ad ipſam vitam pertinens cenſeri debeat. Quare & ipſa vita Dei eo ſæpe ſenſu accipitur, ut potiſſimum hanc omniſcientiam innuat. Sic olim ad ἔκδικον ὄμμα Dei provocantes, eique judicium, tanquam probè conſcio, deferentes, ad vitam Dei provocabant, unde formula jurandi *Deus vivit* Jud: viii. 19.

Ruth: III. 13. I Sam: XIX. 6. XX. 21. XXVIII. 10. Imo ipſe Deus Deut: XXXII. 40. Ezech: V. 11. XIV. 20. XVI. 48. Et ſanè providentia læditur, ſi vel tantillum divinæ ſubducitur ſcientiæ, neque enim curam gerere poteſt illius cujus cognitionem non habet. Imo ſublata ullius rei aut eventus ſcientia, tollitur omnis, cum omnium par ratio ſit, & unum ignorari nequeat etiam non ignoratis iis quibuſcum ullius rei ignoratæ nexus eſt. Quicquid ſit, perfectius eſt omnia ſcire quam tantillum ignorare.

y Intelligendi in Deo modus.

CLVIII. Hæc Dei *Intellectio* eſt I. *Scientia* non conjectura: non ad ullius rei cognitionem aut temporis tractu, aut ratiocinando, unumve ex alio colligendo, proficiens. II. *Omniſcientia* quam nihil fugiat, nec res ulla, nec rei modus III. *Praſcientia*, id eſt talis qua res novit antequam exiſtant, hinc appellatur πρόγνωσις Act: II. 23. I Petr: I. 2. IV. *Æterna*, ut ex Act: XV. 18. aliiſque locis ſuperius citatis colligere eſt. V. Et tandem *falli neſcia*. Harum conditionum nulla negari poteſt, non imminuta Dei & perfectione & gloria, nec non admiſſis abſurditatibus haud exiguis. Etenim a rebus jam factis doceretur; & ſcientia ejus foret mutabilis, haud Simplex: & conjecturalis, haud certa.

CLIX. Ex dictis de ratione ac modo hujus divinæ Intellectionis, de quibus tertio loco agendum erat, facile eſt judicare. Nihil enim unquam fuit poſſibile, nihil futurum, nihil præſens, nulla res, nullius rei ullius modus, niſi nutu voluntatis divinæ; Deus autem ſuam voluntatem ejuſque nutum intimè cognoſcit, unaque ſimplici atque infallibili conſcientia, ceu intuitu perſpicaciſſimo comprehendit, unde neceſſariò ſequitur Deum in ſe & ex ſe unicè cuncta cognoſcere, unoque actu intueri. Nec utitur Deus ullo medio, cum lux ipſe ſit, nec extra ipſum quicquam circa objectum deſideretur, quo fiat ut a Deo intelligatur, nihil enim aut objecti aut in objecto eſt aut eſſe poteſt, cujus origo in nutu divinæ voluntatis quærenda non ſit. Ut hic admitti non debeant, minus in ſubſidium vocari Scholaſticorum, ut vocari ſolent, tricæ, breviter eas

& ſuc-

Digitized by Google

& ſuccincte refert Hoornbeekius Socinianiſmi Confutati Tom: I. L. II. Cap. III. pag. 343.

CLX. Contingenter futura cognoſcibilia non eſſe, falsò aſſerit Socinus. *Contingenter* enim futura dicuntur, tum quia nobis ea futura eſſe non conſtat, tum quia a cauſis ſuâ ſponte agentibus producuntur: minime vero quod eventus eorum, Dei reſpectu, incertus ſit, ut jam, §. CLIV. notavimus. Idem in iis quæ caſu fieri dicuntur obtinet. *Doctrina de Omniſcientia Dei vindicata. Adv. Socin.*

CLXI. Nec ita tollitur aut contingentia, aut caſus, quippe quorum natura alia non eſt ab ea quam nunc explicavimus; aut libertas, quoniam ea non independentiam dicit omnimodam ſed dependentem ſpontaneitatem. Hinc liberè quid fit, ubi cauſam proximam reſpexeris; quod tamen, ratione eventus, fieri aliter haud potuit. Contingens enim & quod caſu fiat reſpectu Dei, quicquid obſtrepat Crellius, non agnoſcimus.

CLXII. Nec fatum introducimus, cum pro lubitu de cunctis diſpoſuiſſe Deum agnoſcamus: ſed plurima Fortunæ Deæ ſubjiciunt, quotquot citra aut decretum aut ſcientiam ſuam futura quæ ſint opperientem fingunt Jovem. Fatoque ſubditum quippe qui millenos effectus, à cauſis ita merè contingentibus otioſe expectandos, avertere haud potuerit aut immutare.

CLXIII. Gen: VI. 6. 7. pœnitentiam de creato homine conceptam. XXII. 12. cognitum tum demum Abrahami timorem Jehovæ, & quæ ex Jeſ: V. 4. Num: XIV. 12. 22, 23, 28. 29, 30. I Petr: III. 20. orthodoxis objiciunt Socinus, Crellius, Vorſtius & alii, non niſi figuratè de Deo dici ita clarum eſt, ut ne quidem adverſarii id *uſquequaque diffiteantur*, Crellius de Deo Cap. XXIV. p. 208. Quin niſi tropos & figuras in ſexcentis locutionibus S. S. agnoſcamus, in Anthropomorphitarum caſtra migrandum erit. Ea ſunt effecta, quæ, ſi homini acciderent, pœnitentia tangi, diſcere, deſiderare, expectare diceretur; hinc ſimilia de Deo dicuntur quidem; ſed ipſius perfectioni convenienter intelligenda.

CLXIV.

Digitized by Google

CLXIV. *Denique humanarum actionum* Socinus Prælect. Cap. VIII. p. 27. *inſpectionem ac moderationem perpetuam, prænotione illa labefactari* ridicule cauſatur, cum ex præſcripto decreti & præcognitionis, cuncta non niſi vi actuoſiſſimi voluntatis divinæ nutus fiant & dirigantur, adeoque præſentiſſima eſſe atque æternum menti divinæ non minus quam curæ ejus obverſari neceſſario debeant.

CLXV. Eum in modum ſæpe loquitur Spiritus Sanctus, ut nonnulla, quæ nunquam facta ſunt, futura tamen aſſerat ubi hoc aut illud fiet, id nimirum quod pariter nunquam futurum erat: Sic nec David manſurus erat Kehilæ, nec Kehilitæ Sauliædituri Davidem, attamen dicit Deus Davidem, ſi remanſerit Kehilæ, tradendum eſſe a Kehilitis in manus Saulis. Iſtiuſmodi locutionum ſpecimina ſexcenta reperiuntur in vaticiniis Prophetarum, exempli loco ſint Jer: XXVIII. 16. 17, XLII. 9. & ſeqq. XVI, 2, 3, 4. XVII. 24, 25, 26. Gen: XIX. 21, XX. 7. Exod: XXXII. 10. Deut: IX. 14. Num: XIV. 8, 9, 22, 23, 24. XXXII. 11. 15. Deut: I. 34. 35. Pſ: CVI. 23. 2 Sam: XVII. 1, 2, 3. coll: 14. XXIV, 13. 1 Reg: III. 5, 11. XIII. 22. 2 Chron: XXV. 8. Jon: III. 4. Pſ: LXXXI. 14, 15, 16, 17. Eſth: IV. 13, 14. Jer: XXVIII. 1--5. Ezech: XIV. 14, 16, 18, 20, 21. Act: XXVII. 24. hinc quæſtio oritur an ſciat Deus & qua ratione ſciat illa, quæ, licet ſint non futura, ſub conditione tamen futura prædicantur.

CLXVI. Nonnulli hic in genere reſpondent, Deum iis in locis non velle dicere quid futurum ſit aut non futurum, ſed ſuadere tantum aliquid aut diſſuadere, aut convincere nonnullos. Sic Davidi noluit proprie prædicere quid futurum eſſet, ſi Kehilæ maneret, quippe ex decreto Dei nec manſurus erat Kehilæ, nec Sauli tradendus a Kehilitis; ſed excitandus ad fugam erat David, adeoque argumentum ipſi proponendum quo adigeretur ut ſe fuga Kehilitis ſubduceret. 1 Sam: XXIII. 7. Sic Joas non de iis quæ facta fuiſſent ſi ſæpius lapidem illum feriiſſet proprie erat erudiendus, ſed infide-

infidelitatis ſuæ unicè convincendus, adeoque Deus dicit, ſi quinquies aut ſexies 2 Reg: XIII. 18, 19. percuſſiſſes lapidem, Syrios ad internecionem percuſſiſſes.

CLXVII. Verum enim vero lubens licet fatear potiorem divinorum illorum dictorum ſcopum non fuiſſe, aut Davidem hic aut Joaſum aut alios futura docere, aut non futura; ſed unum ad fugam hortari, alterum infidelitatis convincere; ex vero tamen loqui debuit Deus ea quæ locutus eſt; adeoque veritatem ſuam habuere verba, quibus ita exertè ita clarè aſſerit Deus fore, ut, Kehilæ morans David, tradatur in manus Saulis; idem de reliquis dicent adverſarii, ut tolli hac ratione difficultas non poſſit. Præſertim cum loca §. CLXV. citata talia ſint, ut accuratam rerum & longam ſeriem ſub conditione nunquam extiturâ prædicant; extantiora ſunt Jer: XXXVIII. 17, 18. XLII. 10. quorum vim accurate alicubi expreſſit vir quidam doctus. „ Deſcribitur ſecretum colloquium, tempore obſidionis Hie„ roſolymitanæ per Chaldæos, inter Tzedekiam Regem Judæ „ obſeſſum & Prophetam Jeremiam, inſtinctu & rogatu „ Principum captivum. Rex, de eventu obſidionis & do„ mus ſuæ urbiſque ſtatu ſollicitus, petebat à Propheta „ verbum Jehovæ & conſilium quo pacto ipſe cum urbe „ ac domo ſua ſalvus eſſe poſſet. Illi reſpondet Propheta „ *verſu* 17. *&* 18 in hunc modum: Sic ait Jehova exerci„ tuum, Deus Iſraëlis: Si egrediendo egreſſus fueris „ ad Principes Regis Babyloniæ, jam vivet anima tua & „ civitas hæc non comburetur igne, & vives tu ac domus „ tua. Si autem non egrediaris ad Principes Regis Babylo„ niæ, utique tradetur civitas hæc in manum Chaldæo„ rum, qui comburent eam igne, & tu non evades de „ manu illorum. Regerenti autem Regi *verſu* 19. Ego „ valde timeo Judæos, qui defecerunt ad Chaldæos, ne „ forte tradant me in manum eorum & ludificentur me: re„ ſpondebat Propheta *quatuor ſeqq. verſſ.* Non tradent. „ Auſculta, quæſo, voci Jehovæ, quam ego eloquor tibi,

Digitized by Google

„ & bene erit tibi & vivet anima tua. Quod ſi autem renuas
„ exire, hoc eſt verbum, quod oſtendit mihi Jehova &c.
„ Hic poſſibile nunquam futurum fuit egreſſio Regis Tzede-
„ kiæ ad Principes Regis Babyloniæ, item conſervatio Regis
„ & familiæ ac urbis regiæ. Abſolute autem, reſpectu de-
„ creti divini, futurum erat, perſeverantia Regis in ſua de-
„ fectione, manſio in urbe & omiſſio illius egreſſus: item ca-
„ ptivitas Regis ac familiæ ipſius, filiorum Regis coram ocu-
„ lis ipſius, ad mandatum Nebucadnezaris truculenta macta-
„ tio, Regis ipſius excæcatio, & in vinculis Babylonem ab-
„ ductio & incarceratio, urbis Hieroſolymæ deſtructio, do-
„ mus ſacræ, regiæ & omnium aliorum præſtantium ædificio-
„ rum exuſtio. Et tamen teſtatur Propheta, ut inter perſeve-
„ rantiam Regis in ſua defectione & omiſſionem egreſſus il-
„ lius ab una & omnia iſta mala futura ab altera parte ita inter
„ egreſſionem Regis non futuram ab una parte, & ſalutem
„ Regis & familiæ urbiſque regiæ ab altera parte contingenter
„ ad invicem ſe habentia, certam divinitus & infallibilem eſ-
„ ſe connexionem & concatenationem factam; ita ut iſta e-
„ greſſio, de ſe incertum, divinitus certum fuiſſet medium ad
„ contingentem in ſe finem, incolumitatem videl. Regis & fa-
„ miliæ urbiſque regiæ, in tanta animorum exulceratione
„ & tam præſenti periculo obtinendum. Rurſum, poſſibile
„ non futurum erat egreſſus Regis ad Principes Chaldæorum
„ & traditio Regis in manum Iudæorum apoſtatarum &
„ ludificatio Regis per illos, & inter illa valde probabi-
„ lis erat connexio, ut ad primum ſecundum & ad ſe-
„ cundum tertium ſequeretur. Unde metus egrediendi in
„ Rege. Et tamen Propheta dicit, ex Dei ſupremi Recto-
„ ris voluntate, ſecundum certo non eſſe eventurum ex
„ primo, adeoque nec tertium ſecuturum. Totum hoc
„ non minus à divino decreto pendet, quam ad omiſſio-
„ nem egreſſus certum Regis & familiæ urbiſque excidium.
„ Poſtea, cum vaſtata urbe, filiis regiis & nobilibus Iu-
„ dæ jugulatis, Rege ipſo excœcato & catenis æreis liga-

„ to;

Digitized by Google

„ to; Chaldæi cum reliqua multitudine captivorum in
„ terram ſuam abiiſſent, & Iſmael filius Nethanjæ Geda-
„ liam filium Ahicami, quem Rex Babylonius terræ præfe-
„ cerat, fraudulenter interfeciſſet, acceſſerunt Johanan fi-
„ lius Careæ omneſque reliqui Principes exercitus & Ju-
„ dæi quotquot, digreſſis Babyloniis, ex vicinis locis,
„ ubi delituerant, in Judæam redierant, timentes à facie
„ Chaldæorum, ad Jeremiam Prophetam, ut pro ipſis
„ Jehovam, deprecetur, & ipſis nomine Dei indicet,
„ quid hoc rerum ſtatu faciendum ſit, ut ſalvi eſſe poſſint,
„ polliciti ſe verbo Jehovæ, quodcunque illud tandem eſſet,
„ parituros: Quibus poſt decem dies, accepta divina re-
„ velatione, hunc in modum *Jeremias cap. 42. verſu 9.*
„ *& ſeqq.* reſpondet: Sic ait Jehova Deus Iſraelis, ad
„ quem miſiſtis me, ut cadere facerem deprecationem ve-
„ ſtram in conſpectu ejus. Si manendo manſeritis in terra
„ hac, ædificabo vos & non deſtruam; plantabo vos &
„ non evellam; quia pœnitet me mali quod feci vobis.
„ Ne timeatis à facie Regis Babyloniæ, à cujus facie vos
„ timetis, quia vobiſcum ſum, ut ſalvos faciam vos &
„ eruam vos de manu ejus. Dabo enim vobis miſericor-
„ diam & miſerebitur veſtri & habitare faciet vos in terra
„ veſtra. Quod ſi dixeritis, non habitabimus in terra hac,
„ non auſcultando voci Jehovæ Dei veſtri. Dicendo, Ne-
„ quaquam ſed terram Ægypti ingrediemur, in qua non
„ videbimus bellum, nec ſonum tubæ audiemus, & pane
„ non eſuriemus, & ibi habitabimus. Nunc ergo propte-
„ rea audite verbum Jehovæ reliquiæ Jehudæ. Sic ait Je-
„ hova exercituum, Deus Iſraelis: Si vos ponendo poſue-
„ ritis facies veſtras ad ingrediendum Ægyptum, & ingreſſi
„ fueritis ad peregrinandum ibi: futurum eſt ut gladius, à
„ quo timetis, illic aſſequatur vos in terra Ægypti, & fa-
„ mes, à qua ſollicite timetis, ibi adhærebit vobis in Æ-
„ gypto & ibi moriemini &c. Hic rurſum poſſibilia nun-
„ quam futura erant manſio iſtorum Principum ac Judæo-

Digitized by Google

„ rum in terra ſua, & ſecuritas ac proſperitas eorum. Fu-
„ tura vero erant diſceſſus in Ægyptum & calamitates ac
„ mortes formidabiles. Et quidem, rerum ac temporum
„ iſtorum ſtatu recte conſiderato, probabiliſſimum erat, ſi
„ manerent in Judæa, novas calamitates, vaſtationes,
„ gladium, famem, morbos & vitam ac mortem miſerabi-
„ lem ipſis expectandam eſſe, adeoque ſtultum videri po-
„ terat, Gedalia Principe nefarie trucidato, & hac nece
„ Regis Nebucadnezaris animo rurſus exulcerato, in Ju-
„ dæa manere. Contra autem in pacata ac Chaldæis non ſub-
„ dita Ægypto bella, fames, morbi & miſerabiles mortes
„ plane timendæ non videbantur, adeoque ſapiens videri
„ poterat conſilium eo ſe recipere. Et tamen Deus contra-
„ rio prorſus modo decreverat, ut iſtos Judæos in terra ſua
„ miſericordia Regis Babyloniæ, pax & proſperitas excipe-
„ ret, in Ægyptum vero abeuntes gladius fames ac peſtis
„ affligeret atque è medio tolleret. Et ſicut inter iſtum diſ-
„ ceſſum in Ægyptum & ſecutas calamitates; ſic inter man-
„ ſionem in terra Judæ & commiſerationem Regis Babylo-
„ niæ pacemque proſperitatem & propagationem iſtorum
„ Judæorum, plane contingenter ad invicem ſe habentes,
„ certam connexionem fecerat, ut ad illam manſionem,
„ tanquam occaſionem & medium antecedens, hi fines &
„ hæc effecta certo conſequerentur. Hæc ſane talia ſunt, ut data reſponſione eludi non poſſint. Scopus quidem erat ſuadere Regi ut ultro ſe dederet Chaldæis, eorum ſe fidei committeret, argumentis opus erat, quibus in id induceretur Regis & aliorum animus; imprimis cum præſentiſſimo expoſiti periculo videri poſſent, quamprimum ſe Chaldæos verſus reciperent, Ægypto è contra meliora longe polliceri viſâ. At alia proponi potuiſſent quam quæ longam & longa ſerie ſequentem rerum eventum continerent. Quam cum proponere tamen Deo viſum ſit, dubitandum non eſt, quin veritatem, quin nexum aliquem habuerint & certum ſatis, quippe a Deo ita palam prædictum.

CLXVIII.

Digitized by Google

CLXVIII. Hinc alii reſpondere ſolent, in formali decreto, ea, quæ, dicto jam modo, ſub conditione prædicuntur, virtualiter contineri: exemplo ſit, Deus decreverat Davidem fugâ evaſurum inſidias Saulis, in eo jam virtualiter contineretur, ubi non fugerit, tradendum eſſe. Verum 1. id reliquis exemplis commodè non applicaveris. Rex Judæ miſerrime erat excipiendus a Chaldæis, huic ſuadet Deus ut ſe iis tradat & confidat oculosque in Ægyptios non conjiciat; prius ubi faceret, fore, ut incolumis evaderet, contra ſi poſterius fieret calamitoſiſſimum fore & regis & familiæ regiæ ſtatum. Non enim quando formaliter Deus decernit, Ægyptum petiturum regem & ita ruiturum in perniciem, non ſequitur neceſſario bene ipſi fore ubi ſe Chaldæis tradiderit. 2. Quin ne huic quidem exemplo hæc ſolutio aptari poteſt. Æque enim fieri potuit ut David, quemadmodum olim a Rachab factum erat, aut in puteo aut alibi abſconderetur: aut ipſe ſe Kehilitis opponeret atque occideretur; taceo alios caſus. Quo igitur fundamento, nihil ſi Deus de iſtis decreverit, dicere potuit, Kehilitas, ſi iſtic loci maneret, Davidem traditurum in manus Saulis. Quod ad animum Kehilitarum attinet, quem nonnulli hic obtendunt, cum is aut mutari potuerit, aut aſtu Davidis, aut alio modo eludi, ne quidem ex illius intuitu aſſeri poterat, certo a Kehilæis tradendum eſſe Davidem. Imprimis ſiquidem mentis humanæ præſens cogitatio nullum nexum habeat cum cogitatione ſequente, multo minus cum rebus aliis ad ipſam mentem non ſpectantibus, niſi interveniente nutu adeoque decreto voluntatis divinæ, quod ex Independentia Dei & inde orta creaturæ omnimoda dependentia clarum eſt & perſpicuum. 3. Addo ne quidem in rebus diverſis, quæ nexum ceteroquin habent naturalem, id obtinere, ut, ubi unum ſit, neceſſario ſequatur alterum: niſi accedat Dei nutus ex decreto.

CLXIX. Alii hyperbolicum loquendi modum eſſe, putant non prædictionem aut aſſertionem ullam de iis quæ facta non

Digitized by Google

ſunt. Sic ea quæ Chriſtus de converſione Tyriorum & Sidoniorum dicit Matth: XI. ſimilia iis quæ Matth: XIX. 40. *ſi hi taceant lapides clamabunt*. Non jam negabo in hocce loco eſſe hyperbolen, aut excipiam metaphoricè hic per *lapides* ſignificari *gentiles*, qui ſanè, tacentibus Judæorum filiis, non jam locuturi ſed alta voce clamaturi erant & prædicaturi gloriam filii Dei: ſed regeram, nullam rationem eſſe fingendi hyperbolen 2. reliquis locis hac via non fieri ſatis, adeoque manere hanc difficultatem; plura enim ſunt in quibus hyperbole admitti non poteſt.

CLXX. Quæ de reſpectu hic habito ad œconomiam Dei a viris doctis allegantur pariter nodum non ſolvunt. Hoc volunt, quoniam tempus converſionis gentium jam inſtabat, eaque imprimis poſt inobedientiam Judæorum erat expectanda, potuiſſe dicere Chriſtum Jeſum, ſi in *Tyro aut Sidone hæ virtutes exertæ fuiſſent, converſuras ſe fuiſſe in ſacco & cinere*. At nec aliis locis hæc applicari poſſunt, nec ex œconomiæ ratione ſignate de Tyri quicquam aſſeri aut Sidonis converſione poterat. Non uno in loco & gentes Euangelium reſpuêre. Et ea erat gentium quoque profligata nequities, & poterant eſſe converſionis alia impedimenta, ut, manu Dei non interveniente, nonniſi ad æterni præſcriptum decreti exerenda, boni quicquam ſperari, minus certo prædici, haud potuerit.

CLXXI. Decentiam Dei potius quam rei ullam futuritionem doceri in iſtiuſmodi locis ſunt qui arbitrantur; verum & hic reponendum quod antea monui, nonnulla illorum locorum talia complecti, quæ huc referri prorſus nequeant, cum de rebus agant quæ, incolumi prorſus Divina decentia, potuiſſent non connecti.

Jeſuitæ CLXXII. Molina & poſt ipſum Jeſuitæ non tam ad locorum attendentes ἐνέργειαν, quam fictæ ſuæ libertatis idolo adeoque propriæ juſtitiæ litantes, ſcientiam quandam Deo affinxere, *qua ab æterno, non abſolutè, ſed ſub conditione*

ditione cognoverit quid homines & Angeli facturi eſſent pro ſua libertate, ſi cum his vel illis circumſtantiis, in tali vel tali rerum ordine collocarentur. Sic Becanus Theol. Schol. Part. 1. Tractat. 1. Cap. x. Q. 1. Triplicem tribuit Deo ſcientiam, *unam* quam dicit *ſcientiam poſſibilium: alteram futurorum abſolute: tertiam futurorum ſub conditione. Et harum prima eſt naturalis: ſecunda libera: tertia media. Molina docet eam verſari circa futura conditionata, quæ pendent à libero arbitrio hominum & Angelorum.* Verum hoc figmentum & multis ſcatet abſurditatibus & locis antea allegatis non ſatisfacit.

CLXXIII. Dico multis ſcatere abſurditatibus, 1. facit creaturam independentem, quippe ſe determinaturam ad hoc aut illud haud interveniente Dei decreto. 2. ſcientiam dicit quæ ſcientia non eſt, cum, manente ea libertate quam ipſi fingunt, aliter accidere poſſit quam præviderat Deus. 3. adeoque ſcientia illa prorſus ſit incerta, conjicientemque ſic potius quam ſcientem fingunt Deum.

CLXXIV. Addo non ſatisfieri hoc pacto citatis locis. Multa enim in iis prædicta reperimus, quorum eventus, non à cauſæ liberæ determinatione, ſed ab aliis, quæ caſu fieri vulgo dicimus, dependent, quæque adeo ne per ſcientiam ipſam Mediam cognoſci potuerint. Joaſum ſemel aut ſexies lapidem percutere ſteterit penes ipſum, fuerit liberi ipſius arbitrii, at cujus voluntatis determinatione fit, ut nexum habeant adeoque conditionatè prædicantur, quæ nullum habent prorſus ſi in ſe conſiderentur? nexum ſanè non habet ſexies repetenda percuſſio cum internecione Syrorum: quam tamen, ubi ſexies percuſſiſſet lapidem Joaſus, futuram fuiſſe Deus aſſerit.

CLXXV. Hinc *quidam alius*, ſunt verba Becani eodem Cap. §. 6. *extendit* Scientiam Mediam *ad omnia futura conditionata, etiam ad ea, quæ pendent a cauſis naturalibus.* Verum & hoc non ſatisfacit, manet enim difficultas de iis quæ nec a libero arbitrio, nec a cauſa naturali dependentes, ſub conditione nihilominus futura prædicantur.

CLXVI.

Digitized by Google

CLXXVI. Eſt Vir Doctus qui excogitaſſe ſe putat viam qua feliciter omnes illas difficultates evadat perplexiſſimas: Tribuit Deo cognitionem omnium poſſibilium, non rerum ſolum ſed & omnium nexuum. Statuit Deum cognoſcere poſſibilia omnia quæ nunquam facta aut futura ſint, & præterea omnes rerum omnium poſſibiles relationes & connexiones. Conſiderat res omnes in triplici differentia: in ſtatu poſſibilitatis, in ſtatu concatenationis & tandem in ſtatu futuritionis aut non futuritionis. Nimirum ex ipſius ſententia Deus omnes res, quas ante decretum omne concipiunt ut poſſibiles, cognovit Scientia Simplicis Intelligentiæ; eas omnes ſic cognitas nutu voluntatis certum quendam in ordinem redegit, quo unum habeat rationem antecedentis, cauſæ, concomitantis, reſpectu alterius tanquam conſequentis, effecti & ſic porro. Illorum per voluntatis nutum ita concatenatorum poſſibilium partem decrevit futuram, partem non futuram, de utraque ſtatuens poſitivo decreto. Atque ita Deum ad omnem quæſtionem de omni poſſibili & quacunque ſub conditione poſſibili eventu reſpondere poſſe infallibiliter: ut ſi e. g. quis ſciſcitetur, quid ego jam in muſæo apud Academiam Friſiorum deliteſcens hæcque ſcribens, acturus eſſem, ſi hoc eodem momento apud Tartaros aut Indos viverem, ex plenitudine ſcientiæ Viſionis reſpondere Deus poſſet, me hoc aut illud facturum eſſe; non quidem ex ſcientia viſionis, quæ ſecundum noſtrum concipiendi modum decretum de futuritione & non futuritione factum ſequitur, ſed ex eâ, quæ illam antegreditur; at ſcientia tamen Viſionis, cum concipiatur, ut ſequens poſt decretum; decretum autem quo, non quidem rerum futuritionem aut non futuritionem, ſed nexum & concatenationem fecit omnium poſſibilium.

CLXXVII. Hæc noſtra de hiſce ſententia eſt. Supponit & rerum poſſibilitatem, & poſſibilium in Deo cognitionem, quæ decreto omni prior ſit; quod valde nobis abſonum videtur, cum omnis rerum poſſibilitas ex voluntatis repeti nu-

ſtu

tu debeat. Ante quem, concipiatur licet ſufficientia cauſæ, non tamen poſſibilitas ullius effecti concipi poteſt, quippe cujus omnis ratio Divino arbitrio adſcribi debeat.

De Decreto Dei circa poſſibilia non futura.

CLXXVIII. Adeoque plura poſſibilia dicere quam futura vix tutum videtur. Quandoquidem enim nihil ut revera poſſibile concipi poſſit, niſi voluntatem Dei cogites, quâ factum ſit, ut id jam fieri in præſentia queat, quod antecedenter ad decretum, non jam poſſibile ſed prorſus nihil erat. Hinc idem poſt decretum jam non poſſibile tantum eſſe, verum futurum videtur. Id ſaltem certum eſt, nullum me ens cogitare poſſe, quod non revera aut ſit, aut fuerit, aut futurum eſſe divinitus prædictum ſit; adeoque aliquid poſſibile judicantes, quod futurum nunquam fuerit, ſententiam dicimus de re prorſus fictâ ſeu potius de nihilo. Aliud eſt de inexhauſta Dei Exprimibilitate loqui & omniſufficientia, de rebus autem quibus exprimeretur aut quæ exprimere Deum aptæ dicantur loqui, aliud eſt. Illa ut inexhauſtam merito dicimus, ſic & nunquam exhaurietur aut exhauriri poterit. Rerum autem eſſentia poſſibilis aut idea non exoritur niſi addita conſideratione intervenientis, ut ita loquar, divinæ voluntatis, ut jam ſemel atque iterum monuimus.

CLXXIX. Præterea cum nunquam Deus ſe ita exprimere poſſit, adeoque nec vi ſuæ omniſufficientiæ tam multa producere, quin ſemper ulterius ſe exprimere & plura proferre queat, certum eſt, nunquam, ut ex more illorum loquar quibuscum in præſentia mihi res eſt, tot concepiſſe adeoque poſſibilia feciſſe ac concatenaſſe Deum, quin potuerit plura poſſibilia facere & pluribus modis concatenare, ſi voluiſſet: de quibus moveri poterit eadem difficultas. Adeoque de omni poſſibili ita diſpoſuiſſe Deum periculoſe adſeritur.

CLXXX. Addo, ſi exprimibilitatem Dei reſpiciamus & omniſufficientiam, alias forte res & rerum nexus potuiſſe Deum velle, quæ æque fuiſſent Dei expreſſio, ac ea, quæ

Digitized by Google

De Decreto Dei circa poſſibilia non futura.

ex eventu decreta deprehendimus. Æque ſe Deus aliis rebus potuiſſet adumbrare, &, ab iis quæ nunc ſunt, ita diverſis, ut nullam habituræ fuerint cum hiſce aut ſimilitudinem aut connexionem. At quoniam Ideæ nobis inditæ reſpondent non iis quibus ſe potuerit at noluerit, ſed iis quibus & potuit ſe adumbrare Deus & voluit, certum eſt nos de aliis nihil ſcire, nihil cogitare, quærere, ambigere, ſciſcitari nihil poſſe: ut, ad ſatisfaciendum quæſtionibus, quas de rebus poſſibilibus nunquam futuris, mens creata forte propoſitura fingitur, tale decretum de poſſibilibus nunquam futuris ſtatuere non ſit neceſſe.

CLXXXI. Et quid ſi talia poſſibilia, quæ antecedenter ad decretum de futuritione ac non futuritione finguntur, ipſi Deo ſcibilia non magis eſſe quam ipſum nihil exertè aſſeram? Imo revera nihil ſunt. Non enim vi divinæ exprimibilitatis aliquid eſt poſſibile; quippe requiritur ut interveniat actus divinæ voluntatis. Deus quidem, vi ſuæ exprimibilitatis talis eſt ut ſe poſſit exprimere ſi velit, ſed res nulla concipi poteſt ut exprimere potens Deum, niſi conſequenter ad Dei voluntatem. Unde & accidit, ut illorum nulla in nobis cogitatio excitari queat; ſunt enim revera nihil. At cui bono, cui uſui erit illud decretum? Non rebus, quippe quæ nunquam res erunt quia nihil ſunt & manebunt in æternum. Non Deo; qui non a rebus ipſis repetit, ſed ex ſe habet cognitionem perfectiſſimam. Non nobis; quippe quibus nullum cum nihilo commercium, nulla de eo ſollicitudo.

CLXXXII. Ut autem candidè agamus, fateor non tam de aliis rerum ſpeciebus hic diſceptari, quam de exiſtentium nunc ſpecierum, aliis individuis, aut eorum, ut & horum quæ nunc extitura erant, alio atque alio nexu, effectu, conſequentia. De quibus ſollicitos nos reddunt loca. §. CLXVII. citata.

CLXXXIII. Præter ea igitur, quæ §. CLXVI. & ſequentibus dicta, nonnullis locis enodandis ſufficiunt, omnino ſta-

tuen-

tuendum videtur, Deum, ut æterno ſuo decreto de omni futuro diſpoſuit, ſic etiam diſpoſuiſſe de eo omni quod ad talem rem futuram habiturum erat iſtiuſmodi relationem, ut de ea mens creata divinitus aliquando eſſet docenda atque informanda. Atque ita diſpoſuiſſe de iis non futuris, de quibus ipſe menti creatæ, ſeu id ſciſcitanti, ſeu aliâ occaſione, quicquam erat aſſerturus. *De Decreto Dei circa poſſibilia non futura.*

CLXXXIV. Certum eſt in omnibus locis antea prolatis Deum veracem ex vero loqui. Eorum autem quæ dicit nonnulla talia ſunt, ut, uno exiſtente, non poſſit non eſſe alterum, quemadmodum ſi diceret, poſt decem myriadas annorum ubi ſol ſplenduerit, radioſque ſuos in terram emiſerit, dies erit & non nox. Fieri enim id aliter nulla ratione poteſt. Alia vero talia, ut cum in omni ſingulari vera ſint, univerſalis inde formari poſſit enunciatio: ſic, non nexus tantum eſt naturalis inter fidem & ſalutem, verum & in omni credente obtinet ut ſalvetur; hinc univerſalis iſta veritatem nanciſcitur, quâ dici queat; omnis credens ſalvabitur. Quæ enunciatio univerſaliter ſeu in omni credente vera, porro fundamentum ſternit, quo poſito, deinceps de nunquam crediturо ex. gr. de Juda dici poſſit, hic ſi credat ſalvabitur. Nonnulla etiam ſunt hyperbolica. De reliquis, niſi malimus prorſus ἐπέχειν, dicendum eſt, Deum ita diſpoſuiſſe, ut certò, non tamen niſi ex intuitu ſuæ voluntatis, pronunciare potuerit de rebus quibuſdam non futuris. Hic cogimur ſubſiſtere & exclamare cum Apoſtolo, *ô altitudo divitiarum & ſapientiæ & cognitionis Dei!* Rom. XI. 33. & cum Pſalte, *mirabilis eſt ſcientia præ me, ſublimis eſt, & non valeo ad ipſam pervenire. Non abſcondita fuit apparatio oſſium meorum a te: quod factus ſum in occulto: variè contextus ſum in imis terræ. Maſſam meam viderunt oculi tui. Et in libro tuo omnia ſcripta ſunt. Et mihi quam difficiles ſunt cogitatus tui, ô Deus omnipotens quam numeroſæ ſunt ſummæ eorum!* Pſ: CXXXIX. 6, 17. „ Incom„ prehenſibile nobis Dei conſilium hic obſervandum eſt de

„iis, quæ contingere potuerunt. Nam quæcunque homi-„nes accidentia dicunt & fortuita, ſunt tamen certiſſima „Dei decreta: ut ſi Dei conſilium inſpicimus, nihil omnino „caſu vel fortuito fieri certum ſit. Sed, cum ſenſus noſtri „non poſſint, propter tenuitatem, tam alta & profunda „Dei judicia perſcrutari, quæ non capiunt, ipſis ſunt „adoranda. *Calvin. Homil.* LXXXIII. *in* I *Sam:* XXIII. 12.

II. Volitio. CLXXXV. Atque hæc quidem de Intellectu: ſequitur *Voluntas:* hæc Deo ſæpiſſime tribuitur in S. S. Ne autem quis inſtar facultatis, quæ actui contradiſtinguatur, concipiat, *volitio* appellari commode poterit, quale quid §. CXXXIII. de Intellectu notavimus. Videbimus autem 1. Ipſam illam Volitionem ſimpliciter & in ſe conſideratam. 2. Objecta volita, & tandem 3. Volendi modum.

a Ipſa in ſe. CLXXXVI. *Volitio*, ut denuo a nobis ad Deum adſcendamus, qua nos volumus, revera eſt ipſa mens noſtra conſiderata ut volens, id eſt, ut agens cum ſpontaneitate & lubentia. Intellectio Dei quidem concipi non poteſt aliter quam ſponte & lubenter intelligens, ſed iſta ſpontaneitas & lubentia propriè voluntatis eſt: Ea quippe eſt unius cum altera arcta connexio, ut non niſi mentis noſtræ præciſione, diſtincta videantur. Melioris tamen inſtitutionis gratia ſigillatim expendi debent: quemadmodum & Scriptura diverſa hic vocabula uſurpat, & eadem mens infinita diverſa concipiendi ratione a mente noſtra cogitatur. Spontaneitatis igitur & lubentiæ conceptus propriè voluntati convenit. Adeoque Voluntatis eſt judicare, approbare & improbare, amplecti & averſari. Hæc enim omnia a nobis ſiunt conſciis noſtræ in iis ſpontaneitatis. Poterat quippe mens noſtra, ſic ſimpliciter & in ſe conſiderata, cohibere ſe, ne judicaret, aut quicquam de re percepta ſtatueret, ut ſponte ſe, adeoque volentem, libentemque judicare, ceteraque agere quæ recenſuimus, probe ſit conſcia.

CLXXXVII. Voluntas igitur, ſeu Volitio Dei, eſt per-

perfectiſſima actuoſitas, concepta cum & ſub ratione perfectiſſimæ ſpontaneitatis. Hæc nimirum perfectiſſima ſpontaneitas potiſſimum cogitanda, ut id, quod proprie voluntatis ut talis eſt, pro noſtro modulo, aſſequamur. Hæc dicit, non conſcientiam tantum, quæ activitatem Dei naturaliter quaſi comitatur, qua ita actuoſus eſt, ut ſuæ parem actuoſitati, ſi liceat ita loqui, habeat conſcientiam; verum etiam libertatem, qua & ſponte ſua & pro lubitu agit: adeo ut nihil ſit extra ipſius volitionem aut eſſe poſſit, quo ad agendum adigatur aut excitetur. Eſt conſcia ſui in operando ſpontanea aſeitas.

CLXXXVIII. Hanc niſi admittamus, actum erit de omnimoda perfectione Dei. Quo faciunt Scripturæ dicta Jeſ: XLVI. 10. Joh: VI. 39. Rom: IX. 19. Pſ: CXV. 10. *An non licet mihi, quod volo, facere?* Matth: XX. 15. Sed hac de re, ubi volitionem Dei conſiderabimus cum relatione ad alia, pluribus dicemus.

CLXXXIX. Eſt enim libertas alia, qua ſe, alia rurſus, qua res alias vult. Hæc volitio eſt ipſe Deus, non enim poteſt eſſe res alia, niſi compoſitum; nec aliunde aut de novo accedens, niſi & dependentem Deum & mutabilem cogitemus. Quin & noſtra ſic comparata mens eſt, ut volitio ſit mens ipſa, alia tantum circa objectum ratione verſans, quam ſimplici perceptione: quare hac in parte ſecus de Deo cogitare abſurdum foret.

CXC. Objecta quod attinet, de iis idem dicendum, quod §. CXXXVI. de objectis divinæ Intellectionis diximus, eſſe ea vel naturalia vel libera. Naturalia hic denuo dico, quæ Deus nulla ratione potuit non velle; non quod coacte ea velit, ſed quod circa ea non verſetur ea libertate, qua res alias vult, quas potuiſſet, ubi Dei naturam unice conſideramus, non velle aut aliter velle: id eſt, poſſent eſſe non volitæ aut aliter volitæ.

β *Ejus Objecta.*

1 *Naturalia.*

CXCI. Hæc, quæ Naturalia dicimus, libere quidem voluit ab omni æternitate, quippe ſponte voluit & nullo exter-

Digitized by Google

no principio eo adactus; non tamen ea libertate, qua alia voluit. Neceſſaria enim quidem ſpontanee voluit, at non indifferenter, ac ſi potuiſſet non velle, quemadmodum ea vult, quæ libere volita appellamus. Hæc enim, cum nullam in ſe habeant exiſtendi neceſſitatem, aliunde habent quod ſint; nimirum ab eo, qui jubere potuit ut eſſent. Iubere autem ut ſint, voluntatis eſt, libere & indifferenter ſe habentis. Niſi ea jubere de ipſius eſſet jubentis eſſentia, adeo ut ipſe ſe deſtrueret, niſi talia vocaret & juberet eſſe, quod nemo ſanæ mentis cogitaverit. Neque enim ipſi enti perfectiſſimo quicquam deeſſet, licet non extitiſſet aliquid, quod limitatæ perfectionis, adeoque imperfectum eſt. Hoc enim ſi eſſet, ens illud perfectiſſimum non eſſet perfectiſſimum, atque ita juſſu & vocatione ſua præſtare non potuiſſet, ut id eſſet, quod potuerat non eſſe. Ut id quod limitatæ perfectionis eſt, ne quidem fieri unquam potuerit, ſi Deus in ſua natura ad illud volendum aut non volendum non conſideretur, ut qui indifferens fuerit ad utrumque. Ipſa objecta ubi propius fuerimus contemplati, totum hoc argumentum magis perſpicuum evadet.

a Ipſe Deus. CXCII. Naturalia ſunt ipſe Deus, & ſigillatim quidem ejus eſſentia, hypoſtaſes & perfectiones omnes, quæque hic præteriri non debet, jam pridem explicata Exprimibilitas, tum qua ſe ut eſt, tum qua ſe ut cogitat, tum qua ſe ut recte cogitat potuit exprimere. Habuit ab omni æternitate Deus & eſſe, & operari, & ſignate cogitare perfectiſſimum. Exprimibilis igitur cum ſit, poteſt vocare aliquid, ut ſit ſimpliciter; præterea aliquid, ut operetur, ſeu moveatur; tandemque tertio, ut cogitet non ſolum, verum recte, id eſt, Deo convenienter cogitet.

CXCIII. Hoc autem & eſſe Dei & operari, qua ratione objectum voluntatis ſit, facile percipitur, modo, revera unum ea eſſe idemque, quod eſt ipſa volitio ſeu voluntas, probe attendamus. Vult autem ſe & ſuas illas perfectiones, eas bonas judicans, ſibi eas quaſi gratulans, & ſumma cum con-

ten-

Digitized by Google

tentatione ſui pariter ac incomprehenſibili voluptate & gaudio æternum contemplans. Qui actus volendi Deo ita naturalis eſt, ut, ſponte licet ſua, non tamen per naturam poſſit eum non exerere, niſi adimere ei velimus laudem omnimodæ ſibi ſufficientiæ & perfectionis. Hac in re quærenda eſt prædicata non ſemel Dei beatitas, de qua paulo poſt agemus.

CXCIV. Hæc volitio, conſiderata ut *Amor ſui ipſius*, eſt ipſiſſima Dei *Sanctitas*. Nimirum Eſſentiâ Deus is & talis eſt, talis perfectionibus, Perſonis denique atque Exprimibilitate talis: Hoc videt, hoc intuetur, probat, ſibi gratulatur, in eo deliciatur. Videt ſe, liceat venerabundo animo ita cogitare, videt ſe *eſſe*, ſe eſſe talem, qualem decet eſſe eſſentiam omni ratione, ſeu potius infinitùm perfectiſſimam; novit ſui decentiam illam, venuſtatem, pulchritudinem, concinnitatem illam novit, & approbat, atque amplectitur. *Qua ſui Amor eſt, eſt ipſa Dei Sanctitas.*

CXCV. Sanctitas igitur Dei eſt ipſa illa decentia Dei, qua talis eſt, qualem in omnibus decet eſſe ens perfectiſſimum, ejuſque decentiæ approbatio & amor, quo eam ita amplectitur, ut agere nihil poſſit, quod illi decentiæ non conveniat, non atteſtetur. *Quæ explicatur,*

CXCVI. Decentiam illam in S. S. haud ſemel memorari jam in præcedentibus notavi. Quin eam, ut normam ſummæ dicam an compendii, an colophonis potius omnium ſuorum moliminum, conſiderare Apoſtolum, pariter oſtendi ex Hebr: II. 10. §. CXLI. Hac Sanctitate puriſſima *lux eſt, quæ tenebras non habet* 1 Joh: I. 5. Lux appellatur Joh: III. 19, 20. 2 Cor: VI. 14. Hæc Sanctitas prædicatur a Seraphinis Jeſ: VI. 2, 3. 1 Sam: II. 2. Nec hac in parte nos ipſa ratio deſtituit, quippe ultro admittit, imo probat, fieri non poſſe, quin perfectiſſime percipiens decentiam perfectiſſimam, eam non poſſit non agnoſcere pro tali, & ſe, liceat ita loqui, gerere ei convenienter. Etenim quicquam ſi aut cogitare poſſet aut agere, quod illi Decentiæ non reſponderet, illam non teſtaretur, adeoque & non juſtus foret Deus & *Et probatur.*

non

Digitized by Google

non verax. Non juſtus, quippe qui denegaret ſuæ illi decentiæ, quod ei convenit, nimirum ut ea ſit quaſi norma omnium cogitationum divinarum; alia ſeu ſimilis ſeu melior, ſeu æque digna, quam ſequatur aut exprimat, dari non poteſt. Non verax foret, quoniam teſtaretur id, quod adverſaretur veritati iſti æternæ, nimirum poſſe eam ulla in re non dignam eſſe, quam Deus atteſtetur. Quin, cum hæc Decentia ſit perfectiſſima, imo perfectio ex omni perfectione Dei quaſi refulgens, certe à Deo ſibi convenienter non fieret, ſi quid ei non exactiſſime conveniret, aut ulla ratione ab ea deſciſceret.

Elicitis inde Veritate. Rectitudine. Bonitate. Juſtitia. CXCVII. Talem autem ſe concipere, eique decentiæ convenienter agere, loqui, cogitare, eſt ipſiſſima *Veritas* Dei, & *Rectitudo*, & *Bonitas* interna: quæ, quando concipitur ut Deo tribuens, quod Deo revera erat tribuendum, *Juſtitia* dicitur; eo ſenſu, quo Juſtitia omnem quoque virtutem ſignificat. Huic teſtimonium dare eſt *Juſtitia*, quatenus vocabulum hoc eam ſignificat virtutem, quæ ſuum cuique tribuit, ab cujus conceptu proxime differt ea, quam diſtributivam vocant. Hanc ulla ratione exprimere eſt benignitas Dei, quam *Bonitatem* externam dixerim, diſtinctionis ſolius gratia. Illius teſtimonium eſſe, & *Dei* aliquam adumbrationem referre, eſt omnis rei, quæ Deo vocante ſeu jubente fit, adeoque omnis rei, præter Deum exiſtentis, *Bonitas*. Dei autem Decentiam, Sanctitatem, Rectitudinem, Juſtitiam, Bonitatem noviſſe & amare & pro ſuo modulo referre cum conſcientia, eſt omnis crea- *& Creaturæ.* turæ rationalis & unica Rectitudo, Sanctitas & δικαίωμα *Juſtificamentum*. At quando alia, præter ſe, ſibique naturalia, volentem videbimus denuo pluribus de hiſce diſſeremus.

II Libera. CXCVIII. Objecta igitur quod attinet, quæ Libera dicimus, ſunt ea omnia, quæ citra divinæ volitionis vocationem & juſſum prorſus nihil ſunt. Qualia ſunt omnia, præter ipſum Deum. Entia ad unum omnia non ſolum, ſed & entium modi, cunctorumque ordo, concinnitas, relationes.

CXCIX. Sigillatim autem ſpectanda ſunt ea, quæ voluit

luit ut præter ſe exiſterent. Hæc autem accurate pertractari non poſſunt, niſi & diverſi concipiendi modi, quibus volitionem Dei cogitamus, probè notentur. Nihil utique eſt, aut eſſe, aut poſſibile dici poteſt, niſi vi volitionis divinæ. Volitio autem illa Dei, pro diverſitate effectorum, diverſas ſubit relationes ac denominationes. Pro quarum relationum diverſitate diverſimodè & nos concipere debemus unam illam licet eandemque voluntatem.

Conſiderari autem ut relata ad res alias non poteſt, niſi ſupponamus in Deo volitionem, qua voluit, ut præter ſe ipſum alia quoque exiſterent, a ſe ex nihilo facienda. *γ Volendi Modus*

Hæc volitio a nobis cogitari poteſt cum relatione ad res, 1 ut jam vi iſtius volitionis futuras 2 ut jam ex nihilo quaſi prodeuntes 3 ut actu exiſtentes; ſeu quæ fient, quæ fiunt, quæ facta ſunt.

Volitio Dei conſiderata ante res factas ut *Decretum* ac *Propoſitum* aliquod nobis obverſatur: quod ſit 1 Unicum, non multiplex 2 Simplex 3 Æternum 4 Immutabile 5 Abſolutum, a nulla conditione extra ſe dependens, 6 Semper efficax, ut ſcopo ſuo nunquam excidat 7 Cum ipſo Deo idem 8 Liberum tamen. *Sic volitio Dei eſt Decretum,*

Hoc decretum quando Deus exequitur, & fiunt res, & in ordinem certum rediguntur, & conſervantur, & ex præſcripto divini propoſiti reguntur. Eadem Volitio Dei conſiderata ut res producens CREATIO, ut conſervans & gubernans PROVIDENTIA appellatur. Hoc decretum una cum ejus executione vias Dei dici §. LXXVI. notavimus. De hiſce vero demum agendum erit poſtquam Deum in omni ſua Perfectione abſolute viderimus; pertinent enim ad relativam illam conſiderationem, loco jam citato promiſſam. *Creatio, Providentia,*

Verum enim vero volitionem, ut actu aliquid ſiſtentem, ſeu exiſtere facientem, & deinceps conſervantem ac gubernantem non poſſum concipere, niſi ſe prodat conceptus *Potentiæ:* quippe quæ nihil aliud eſt, quam vo- *Potentia*

Digitized by Google

luntas Dei conſiderata cum relatione ad objectum ut quod jam illius vi fiat, atque ita ſit ſeu exiſtat. *Potentia enim non eſt aliud a voluntate & intellectu; ſed eſt ipſamet voluntas & intellectus, ut habent rationem principii effectivi.* Voet. Diſp. Sel. Parte 1. p. 405. Omniſufficientia Dei ejuſque exprimibilitas antecedunt Dei volitionem, quatenus ut decretum conſideratur, atque ita ſufficens eſt Deus ad ſiſtendum quoque alia, quæ, præter jam decreta, ſi voluiſſet, potuiſſent eſſe ad illuſtrandam ejus gloriam. Quin & in alium quoque ordinem multa redigere & alias relationes rebus dare ſufficiens fuiſſet, ſi voluiſſet. Allegari huc ſolent Mat: III. 9, XXVI. 53. Quo reſpicere debent qui *Potentiam Deo abſolutam* tribuunt, loquendi modo prudenter accipiendo. Accuratè enim ſi loqui velis nihil proprie poſſibile eſt, niſi vi volitionis ſub ratione *decreti* conſideratæ. Nihil exiſtit, niſi vi volitionis conceptæ ſub ratione *potentiæ*.

Hæc potens autem atque operativa Dei Volitio pro diverſitate, eorum quæ illius vi exiſtunt, diverſas ſortitur denominationes, quas mentes noſtræ diverſis cogitandi modis ſibi repræſentant. Sic bonitatem Deo tribuimus, ſeu malis Benignitatem, Amorem porro, Gratiam, Miſericordiam, Patientiam & Juſtitiam.

Etenim ea quæ vi volitionis divinæ exiſtunt, quando conſideramus, ut pro ſuo modulo Deum exprimentia, ſeu ut quibus Deus ſui quaſi copiam facit, neceſſe eſt Dei Volitio nobis obverſetur ſub ratione bonitatis, benignitatis, beneficentiæ. Hanc bonitatem externam diximus §. CXCVII. Eadem *omnem Dei virtutem* continet. Plures innuuntur 1 Petr: II. 9. ſed huc omnes referendæ.

Sui autem Deus copiam facit ut ens, ut cogitans, ut recte cogitans. Hinc oritur bonitas rei ut ens eſt, ut cogitans eſt, & ut recte cogitans. In omni ente eſt prima; in ente cogitante, qua tali, ſecunda; in ente cogitante ut recte cogitante & quatenus rectè cogitat, tertia bonitatis ratio. Poſtremam communicat ratione duplici. *Primo* ſeſe ipſe ut re-

rectum ac ſanctum, ut ita loquar, depingit; quo ſciri poſſit & pro ſuo modulo percipi à creatura rationali, qualis ſit Deus & quam rectus ſanctuſque. Hoc autem agit tum increata atque impreſſa creaturæ cogitanti ſui quadam cognitione, perceptione, conceptu, idea; tum reliquas creaturas quin & ipſas rationales ita creando ut illarum materia, motus, forma, ordo & concinnitas rite contemplantem docere poſſint qualis ille Deus ſit, & quo cultu proſequendus qui iſta talia nutu ſuæ voluntatis ita produxerit Rom: 1. 19, 20, 21. adeo ut jam ſe ipſam intuens recteque ea quæ extra ſe ſunt conſiderans creatura rationalis ſcire poſſit, & qualis Deus ſit, & quodnam ſui erga Deum, & res alias, ad Deum referendas, officium, ſeu qua in re ſua rectitudo ſita ſit: hiſce accedit ulterior revelatio, quæ ea continet myſteria, eas veritates, eas leges, minas, promiſſiones ex quibus bene perceptis & conſideratis ultro homini apparet, quid Deus voluerit eſſe debitum creaturæ cogitantis, quali in diſpoſitione ejus rectitudo ſita ſit. Deinde pro lubitu & plena libertate, ac in nos, & alia ſua, non limitato dominio, hoc præſtat, ut in creatura rationali actu exiſtat præcedentium perceptio, eaque qualis & quanta patri luminum videtur. Sive eam ex ſui & aliarum creaturarum contemplatione, ſive præterea ex S.S. erudiantur. Illa nunquam ad ſalutem ſufficit: hanc ſubinde odium aut fucatus amor comitatur, ſubinde verus. Qui amor eſt creaturæ rationalis bonitas, uti dicunt, *moralis*, ſeu ſanctitas. Nihil enim aliud ea aut eſt aut eſſe poteſt, quam illius, ut ita loquar, expreſſionis, qua Deus ſe tum verbis tum factis amandum proponit, atque imitandum, perceptio & amor. Idem autem odiſſe, quin ſaltem non amaſſe, hominis eſt vitium, & corruptio & miſeria, quippe quibus & peccatum continetur & pœna peccati, ut §. cc. & ſeq. pluribus dicemus.

Bonitas illa Dei qua ſibi convenienter ſui copiam facit extra ſe, bene diſtinguenda eſt à bonitate quam vocavimus internam §. CXCVII. Ea enim de qua hic agimus, conſideranda eſt ut Deo tributa poſt decretum & non

niſi cum relatione ad bona extra & præter Deum exiſtentia. Eſt igitur & bonitas quæ quoque Benignitas Dei dici debet.

Diverſa hæc ſortitur nomina; quorum ſingula nobis peculiares de ea cogitationes ſuggerunt.

Amor dicitur, quando conſideratur ut tendens ſimpliciter in bonum rei creatæ; ſive id bonum primum communicet, quando dici ſolet *Amor benevolentiæ*; ſive id, quod jam creaturæ datum eſt, in creatura probet, augeat, cumulet, quando dicitur *Amor complacentiæ*. Illum reſpiciunt loca Joh: III. 16. Rom: 5. 8. I Joh: III. I. hunc Hebr: XI. 5, 6. Joh: XIV. 21. XVI. 26, 27.

Gratia vocatur: quando conſideratur ut ſe exerens citra omne creaturarum meritum Rom: XI. 6. Eph: II. 8, 9. atque ita datur, quemadmodum benificentia ſic & gratia ſe ad omnes creaturas extendens, de qua Pſ: CXLV. 9. Id eſt, exiſtunt in omnibus creaturis effecta volitionis Dei, conſideratæ ſub notione ut beneficentiæ ſic & gratiæ. Signatè autem & κατ' ἐξοχὴν gratia dicitur eadem volitio Dei quando conſideratur ut ſe exerens ad benefaciendum creaturæ in Chriſto & propter Chriſtum, ſive ex ejus plenitudine aliquid redundet etiam ad reprobos, ſive cum ſalute connexa communicentur electis. At non Volitio tantum illa gratia dicitur, ſed & omnis res, vi illius Volitionis facta, data, communicata; ſive cum ſalute nexum habeat Rom: XI. 29. creaturamque gratam Deo faciat Eph: I. 6. ſive non I Cor: XII. I--II. 28--31.

Miſericordia nomine inſignitur: quando conſideratur ut ſe exerens circa creaturam miſeram in illius qualecunque bonum. Sive pœnas differat, ſive alia beneficia in miſerum conferat, tum autem *Patientia* appellatur & *Longanimitas* & *Tolerantia* Exod: XXXIV. 6. Pſ: CIII. 8. CXLV. 8.

Quin & *Juſtitia* dicitur. Hæc autem paulo prolixius erit explicanda, confirmanda & vindicanda, ſubdita deinceps ratione quare eam ad bonitatem Dei referamus. Altius hoc argumentum repetemus. Res quas facere placuit divino numini diverſi plane ſunt generis. Alia ſunt quæ voluit

Digitized by Google

luit ut eſſent, alia quæ voluit ut, præter eſſe, etiam moverentur, alia ut etiam cogitarent. *Juſtitia Dei.*

CC. Cogitantia futura erant, eo quod cogitarent, ſuarum actionum conſcia, adeoque & ſcitura ſuam ad alia relationem & cum aliis nexum. Qua in relatione nexuque omnis entis cogitantis ſita eſt concinnitas aut inordinatio. Adeo ut hic omnis boni & mali ratio proprie quærenda ſit. Bona quippe eſt, omnis debita & conveniens cujuſcunque cogitationis cum re alia nexus aut ad aliud relatio. Mala vero, omnis cujuſcunque cogitationis inordinatio, adeoque debitæ concinnitatis defectus.

CCI. Cadit quidem in res non cogitantes & ordo, & confuſio, & conveniens ad alias relatio ac cum aliis nexus, & non conveniens. Verum duplex in iis deeſt conſcientia, tum ſpontaneitatis, qua ſponte ſua, & ultro, pro lubitu & placito ita ſint inordinatæ; tum inordinationis ipſius, quippe non ſcientes, aut ſe eſſe inordinatas & confuſas, aut aliam ſibi convenire ad alia relationem aut cum aliis nexum.

CCII. Hinc normam præſcribere voluit entibus cogitantibus congruam; quin ipſa entis cogitantis conſcientia, qua ſuæ dependentiæ a Deo, ſimulque ſpontaneitatis illius, quam in actionibus ſuis deprehendit, probe eſt conſcia, ipſi inſtar legis eſt. Nimirum qua teneatur non operari, non cogitare, niſi prout Deo placuerit. Unde ipſi naturalis eſſe debet ſollicitum præſcriptæ fortaſſis ſibi divinitus normæ cognoſcendæ ſtudium. Deum quando reſpicit, videt dignum eſſe, cujus gloria in omnibus agnoſcatur per omnia prædicetur, adeoque in cujus gloriam tendant omnes talis creaturæ cogitationes.

CCIII. In quibus ſeſe prodit legis illius, quæ amorem Dei exigit, cum natura rationali indivulſa connexio, ut una in univerſum cogitari non poſſit, quin ſe prodat etiam cogitatio alterius.

CCIV. Quemadmodum igitur voluntatis Dei eſt creatu-

ras exiſtere tales, quæ cogitent, ſic & eidem voluntati adſcribendum, quod eædem obſtrictæ ſint illi Legi.

CCV. Ejuſdem volitionis eſt, ut normam præſcribere, ita eam tum promiſſionibus, tum minis ſancire & confirmare. Et ſane res ipſa flagitat, ut, quod Deum non reſpicit ut dignus eſt, quodcunque ullam cogitationem exerit abſque debito ad Deum reſpectu & relatione, non conſiderans Deum ut ſui non minus finem, & ſcopum, quam fontem & cauſam, naturale, inquam, eſt, &, niſi divinitus impediatur, neceſſario ſequitur, ut creatura modo conveniente, id eſt, tanquam unicum & ſummum bonum non reſpiciens Deum, eum non experiatur ut ſummum bonum: imo ſentiat tanti jacturam boni, ejuſque jacturæ habeat conſcientiam, quæ ingens & horrendus cruciatus eſt.

CCVI. Contra pariter naturale videtur, ut, quæ talis eſt condita, ut Deo convenienter operari teneatur, Deoque autem convenienter operari non poſſit, niſi dependenter a Deo, adeoque Deo ipſam ita operari faciente, naturale inquam videtur, ut, quæ talis eſt condita, Deum ſemper & in omnibus conſideret ut ſummum bonum, ut a quo, & ad quem omnia. In qua operatione cum ſit mera veritas, veraque adeo actionum creaturæ bonitas, fieri non poteſt, ut Deus falſum eſſe aut dicat, aut faciat; adeoque fieri non poteſt, quin creatura ita cogitans experiatur Deum eſſe talem, adeoque vivat & beata ſit, quamdiu illum in modum actuoſa eſt.

CCVII. Hinc ut, poſitâ creaturâ rationali, dicta lex amoris locum non habere non poteſt; ſic, poſita creatura rationali & præſcripta tali lege, non poteſt non eſſe talis ejuſdem ſanctio.

Juſtitia Dei Vindicativa. CCVIII. Voluntatis igitur Dei eſt, primo Normam tali creaturæ præſcribere. Deinde eam ita ſancire, quæ eſt *Juſtitia Dei Legiſlatoria.* Tandem illius Legis debitam obſervantiam remunerari, ejuſdemque tranſgreſſionem omnem vindicare, quam Juſtitiam Legis *Executoriam* recte nuncupaveris; quæ eſt, vel *Remuneratoria*, vel *Punitoria.* Hæc Juſtitia Vindicativa vulgo appellatur.

CCIX. Ut

CCIX. Ut de Sanctitate, ſic & de Juſtitia multis agit S. S. utramque nobis exhibens tanquam ſi eſſent Volitionis divinæ virtutes quædam.

CCX. De poſtremò memoratâ tanto diſſerendum eſt accuratius, quanto majori cum periculo circa eam ſequiora ſentit omnis fere hæreticorum colluvies, imprudenterque de eadem fratres nonnulli philoſophantur. Hanc juſtitiam Dei non noviſſe omnis erroris fons eſt. Imo nullum in Judaiſmo, in univerſo Papatu nullum, aut in Socinianiſmo errorem eſſe, qui non ex negata Dei juſtitia originem trahat, demonſtratu longè foret facillimum. Sacrificia brutorum peccatum vere expiantia dicere, afflictiones ſuas pro λύτρῳ Deo imputare, propriam juſtitiam erigere, redemptoremque fingere ψιλὸν ἄνθρωπον & mundana curaturum non poſſent, niſi juſtitiam Dei ignorarent. Papiſmus pariter nec propria merita jactaret, nec indulgentias, nec omnem illam vœnum exponeret ſuperſtitionis ſupellectilem, niſi eodem in luto hæreret. Sociniani profecto aut myſterium Patris Filii & Spiritus Sancti, aut Chriſti meritum neutiquam reſpuerent, nec in obedientia novorum quorundam præceptorum quærerent δικαίωμα, nec impiorum ſomniarent interitum, hanc ſi juſtitiam agnoſcerent. Adeo ut, quod de Judæis, omnium hæreticorum parentibus, Apoſtolus, idem de ceteris hæreticis dicendum eſt, *ignorantes enim juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſubjecerunt ſe* Rom x. 3. Hinc omnis generis figmenta, ut juſtitiam ſibi aliqua ratione comparent. Diligenter igitur de iſthoc argumento eſt & accuratè agendum.

Ad illam probandam via panditur.

CCXI. Natura Dei non patitur, ut, exiſtente creatura rationali, ea non teneatur Deum in omnibus amare; exiſtente homine, non teneatur etiam circa proximum eſſe ad Dei gloriam; quod ex præcedentibus perſpicuum eſt. Addo non pati quoque Dei perfectionem, veritatem, non jam de veracitate loquor, & ſanctitatem, ut perfectam illius legis non remuneretur obedientiam, & trangreſſionem

Digitized by Google

De Juſtitia Dei Vindicativa. non puniat. Quod probe intelligendum eſt & ſolide demonſtrandum.

CCXII. *Remuneratio* ea, (ſive vita æterna appelletur, ſive beatitas cœleſtis, ſive gaudii ſatietas, eodem redibit,) in eo potiſſimum ſita eſt, quod creatura rationalis fruatur Deo tanquam ſummo atque unice ſufficiente ac ſatiante bono. Fruitio autem alia excogitari non poteſt, præterquam quæ habetur Deum ut talem probe cognoſcendo & amando. Hæc autem cognitio & amor ſunt actus, quibus adeſt conſcientia, id eſt, quorum ſe is, qui exerit, probe & intime eſt conſcius, neque enim aut intellectio foret aut amor, niſi conſcientia, non dicam comes eſſet, ſed ad ipſorum actuum naturam pertineret. Adeoque fieri non poteſt quin gaudium excitent ineffabile; adeoque beatum reddant.

CCXIII. Legis autem ſumma eſt, ut homo Deum amet toto corde & omnibus viribus, tum mentis, tum corporis. Perfecta igitur obedientia ipſa eſt fruitio Dei, atque ita & vita æterna & beatitas. Fieri autem per Dei juſtitiam non poteſt, ut, quando jam in perfecto amore ſui ſitam eſſe dixit beatitatem, id non experiatur is, qui perfecte Deum juxta tenorem legis amaverit. Ceteroquin enim & mendacii argui poſſet Deus & injuſtitiæ. Mendacii: quod dixiſſet ſe talem eſſe perfecte amanti, & perfecte amanti non eſſet talis. Injuſtitiæ: quod ſibi debitum teſtimonium, & creaturæ id, quod, vi fœderis, poſtulandi jus acceperat, denegaret.

CCXIV. Volitio autem Dei, conſiderata ut cujus juſſu, eo nimirum quo vocat quæ non ſunt & ea ſiſtit, homini obedienti ſalus obtingit, quare remuneratoria dicatur jam tenes. Quod autem *Juſtitia* adſcribam iſtanc remunerationem eam ob cauſam fit, quod ſibi ſuum tributurus non eſſet Deus, niſi ſalus obtingeret æterna iis, qui legem amoris perfecte præſtant. Et præivit dudum S. Scriptura videſis Hebr. VI. 10.

CCXV. Remunerationis autem vox ne quem offendat, ita

Digitized by Google

ita a me accipitur, ut argumento noſtro convenit. Nimirum id, quod, peracto labore, vi fœderalis quaſi ſtipulationis peti ſolet, remuneratio vulgo appellatur; & labor jam exantlatus, illius ſequentis boni meritum, bonumque ipſum retributum laboris merces. Quæ per metaphoram ad Deum ſunt tranſlata; proprie autem de iis, quæ Deum inter ac creaturam aguntur, dici nunquam poſſunt; ut vana ſint omnia, ſeu congruam dixeris, ſeu condignam mercedem, ubi meritum proprie ſic vocatum dixeris. Tanta enim eſt creaturæ a Deo dependentia, tam hæc immenſum obſtricta Deo eſt, ut locum habere hic quidem ullum iſthæc cogitatio non poſſit. *De Juſtitia Dei Vindicativa.*

CCXVI. Cum autem Deus, hæc remuneratio ſi non ſequeretur perfectam obedientiam, futurus eſſet ſibi injurius, imprudentem merito carpimus illorum ſententiam, qui ſtatuunt, poſſe & debere hominem Deo obedire abſque intuitu, quin abnegata ſpe iſtius remunerationis, quam modo explicavimus. Obedientia nulla præter amorem eſt, amor autem Dei eſt ipſa fruitio Dei, eſt ipſa Beatitas. Ut maxima Dei glorificatio, & noſtra Beatitas revera unum prorſus idemque ſint. Intenſiſſime enim & perfectiſſime Deum amantes, eo ipſo perfectiſſime pro noſtro modulo glorificamus, adeoque idem, quod, ad Deum ſi referas, officii noſtri apex eſt, reſpectu ad nos habito conſummata noſtra Beatitas eſt. Neque neceſſe eſt, futiles diſtinctiones, quæ Sanctitatem præſcindunt a Beatitate, ſimileſque nos ulla ratione ſollicitent: aliam non agnoſcimus Sanctitatem, quam quæ ipſa ſit Beatitas, nec aliam Beatitatem, quam quæ in ipſiſſima Sanctitate ſita ſit.

CCXVII. *Punitoria Juſtitia* priuſquam ſolide demonſtrari poterit, explicanda videtur, ut ne in tenebris micemus, dum de argumento agimus momentoſiſſimo. Videndum igitur quid pœna ſit, ad quam relata Dei juſtitia *Punitoria* nomen adipiſcitur. *Accuratius explicatus.*

CCXVIII. Quicquid voluntas averſatur, ita ut moleſta illius, quod averſatur, ſit conſcientia, malum triſte *Pœna quid ſit.*

 nun-

De Juſtitia Dei Vindicativa.

nuncupamus. Recte id accipiendum. Voluntas recta & perfecta averſatur quidem omnem ἀνομίαν, at moleſtam illius in ſe conſcientiam non habet; cum ſe ſciat innocentem, moleſta autem conſcientia ex eo oritur, quod ſibi conſcius quis ſit malum illud ſe tangere, ſeu quadam ratione ſuum eſſe. Me autem tangere dicendum eſt, ſive me premat immediatè, ſive alios, qui vinculo quodam peculiari mihi ſunt connexi, adeoque unum eo reſpectu mecum ſint.

CCXIX. Malum hoc triſte, quando comitatur conſcientia tum demeriti, tum vindicantis vetitam non-rectitudinem judicis, pœnæ rationem habet. Sane quicquid mali, ut ita loquar, accidit jumento, aut terræ, aut rei alicui ratione carenti, id pœnæ rationem habere non poteſt, habito ad illam beſtiam, terram, arborem aut ſimile quid reſpectu, quoniam utraque illa conditio hic deſideratur. Accidere tamen rebus etiam ratione carentibus talia poſſunt, quæ creaturis aliis, ratione utentibus, ad quæ eæ res ratione forte non una ſpectant, pœna ſint. Quando nimirum homo illa, quæ terræ, arbori, animali inflicta ſunt, tanquam ſibi moleſta non ſolum, verum &, demeriti ſibi conſcius, ut vindictam judicis, ſuum illud demeritum ea ratione ulciſcentis, conſiderat. Ceteroquin id quod in ſe atque immediate pœnæ ſit habiturum rationem, creaturæ peccati capaci infligi debet.

CCXX. Præterea ut non-rectitudinem, in qua peccati natura proprie ſita eſt, ſupponimus, ſic & concipimus Deum vindicantem illam non-rectitudinem & læſam majeſtatem ulciſcentem. *Legiſlatores in pœnis conſtituendis vel ſibi proponunt reparationem damni proprie dicti, ſeu publico ſeu privato illati; vel provident in futurum, & peccandi licentiam judiciorum ſeveritate coercent: vel denique legum majeſtatem aſſertum eunt criminum, quibus violata fuit, expiatione*, Amyrald. Diſp. Salm. Tom. I. *De Neceſſit. Satisfact.* §. XXXVII.

CCXXI. Cum autem uni creaturæ rationali peculiare intercedat cum alia vinculum, quale eſt ejuſdem originis

& na-

& naturæ conſortium, ſanguinis nexus, aut vocationis, indeque peculiaris relationis ratio, inde fit ut id quod unum tangit, aliis quoque pœnam eſſe poſſe merito dixerimus. Atque ita puniri alius poteſt in aliis. Et intenſior hæc pœna aut minus intenſa eſt pro ratione propinquitatis, qua unus magis cum altero unus eſt aut minus. Sic civis quidem in concive, at magis frater in fratre, maxime vero in liberis parens, aut in uxore puniri maritus poteſt. *De Juſtitia Dei Vindicativa.*

CCXXII. Verum cum idem, quod peccati rationem habet, quia ei deeſt rectitudo ea, quæ in debita ad Deum relatione conſiſtit, poſſit eſſe moleſtum, comitante illud conſcientia tum demeriti, tum vindicantis judicis, patet, idem diverſo reſpectu poſſe eſſe & peccatum, & pœnam peccati. Peccatum, quatenus deſideratur debita rectitudo; pœna, quatenus eſt moleſtum modo jam explicato. Hanc autem pœnam infligere qua ratione Deus dici poſſit, in capite de Providentia Dei erit explicandum.

CCXXIII. Malum autem illud vel immediate menti defixum hæret, vel mediante corpore; hocque ſive ſua quadam intemperie, ſive aliunde inflictis iis, quæ talem in eo cieant motum, cum quo divina providentia connexuit iſtiuſmodi moleſtas menti cogitationes. *Pœna corpori alia, alia menti proximè inflicta.*

CCXXIV. Deinde vel in præſens mentem afficit, vel futurum proſpicitur: hoc metum ciet, &, ubi omnis evadendi ſpes decollat, deſperationem facit.

CCXXV. Pœna autem omnis cum in punito requirat conſcientiam vindicantis judicis, ipſa dictante ratione talis eſſe debet, ut infligente judice digna ſit; id eſt, ut prodat demeriti magnitudinem, adeoque tanta, ut exſolvi a creatura finita nunquam poſſit.

CCXXVI. Iſtiuſmodi jam malum infligere poteſt Deus, id eſt, facere ut talia eveniant creaturæ, quæ ipſi dicto jam modo ſint triſtia. Poteſt enim Deus, quippe in quo vivimus, atque adeo, qui omne velle in nobis operatur,

De Juſtitia Dei Vindicativa.

ratur, facere, ut tales in nobis exiſtant cogitationes, ſive immediate in mente excitæ, ſive occaſione alicujus, quod aliunde accedat, in ea ortæ.

CCXXVII. Has cogitationes intendere quoque & multiplicare poteſt quantum vult.

CCXXVIII. Cum autem pœnæ ratio requirat, ut & demeriti ſit & vindicantis judicis conſcientia, patet in creaturam prorſus rectam atque innocentem pœnam cadere non poſſe. Poſſet quidem ipſi quidquam accidere, quod aliqua ratione moleſtum videretur, at abſente jam dicta conſcientia & ex effectis jam cognita Dei voluntate, placeret rectæ voluntati id, quod ceteroquin moleſtum videri poſſet.

CCXXIX. Ad probandam hominis conſtantiam fieri quid poſſe huic ſimile, pariter videtur quidem, ſed nec illud moleſtum voluntati foret, quippe quæ & recta eſſet, & divinæ voluntatis conſcia.

CCXXX. Atque ita tenemus; quid diſputetur, quando de Juſtitia Dei Vindicativa adverſus Socinianos agunt orthodoxi, nimirum commiſſo peccato an per decentiam, per ſanctitatem, per juſtitiam Dei, fieri non poſſit, quin ſequatur pæna. Nos pœnam ita ſequi peccatum cenſemus ut non poſſit non ſequi, Deumque pœnam minatum eſſe, non quia pro mero arbitrio voluit eſſe nexum inter peccatum & pœnam, ſed quoniam natura rei Deique ipſius perfectiones non patiuntur ut impunitum maneat ullum peccatum.

CCXXXI. Dignum eſſe peccatorem qui experiatur Deum ſibi iratum non eſt dubium. Nec modum excedere pœna poteſt, cum immenſi neglectus boni, & læſa majeſtas ſumma, & dependentia, & obligatio creaturæ rationalis modum non habeant.

CCXXXII. Manere præterea peccata omnia certam pœnam pariter certum eſt, & ſexcentis comminationibus & ratiociniis probari poſſet.

CCXXXIII. Non poſſe autem ulla ratione peccatum

non

Digitized by Google

non ſequi pœnam, Deique id exigere decentiam, paulo videtur probandum preſſius.

De Juſtitia Dei Vindicatrice.

CCXXXIV. Primo quidem peccatum concipi non poteſt, quod pœna non ultro ſequatur, imo quod ipſam pœnam non in ſe contineat; peccator enim, eo ipſo quod peccati conſcius eſt, novit, ſe Deum neglexiſſe, adeoque infatuatum eſſe. Novit ſe carere libero ad Deum acceſſu, omni ſe παῤῥησίᾳ deſtitutum novit. Quæ ſciri non poſſunt, quin menti ut mala obverſentur, quæ mala pœnæ quoque habeant rationem: quod dicta nuper cum hiſce conferenti clarum erit. Adeo eſt neceſſarius & naturalis prorſus peccatum inter & pœnam nexus.

CCXXXV. Secundo: Deo fruimur quando eum ita contemplamur ut toto corde amemus: Deum ita contemplari & amaſſe, illiuſque & perceptionis & amoris conſcientia ipſa Dei fruitio eſt: Deum igitur ita non amare, ut talem mentis oculis non intueri, eſt Deo non frui, eſt renunciare illi fruitioni; eſt dicere non eſſe ſummum bonum; adeoque & mori eſt, & evadere miſerrimum. Mori: etenim cum Deum recte noviſſe atque amaſſe vita ſit; non recte cognoſcere aut amare mors eſt. Hæc mors maximum nobis malum eſt, & illius conſcientia longe moleſtiſſima: imprimis cum nihil habeat quod obtendat peccator, quippe videns ſe ultro & pro lubitu malum illud ſibi conciliaſſe. Dicere autem Deum non eſſe ſummum bonum, oportet experiatur peccator falſum eſſe. Quemadmodum enim æternæ & indiſſolubilis veritatis & nexus eſt, Deum omni quæſitione dignum eſſe: ſic & infallibiliter falſum eſt, & ab æterno falſum, Deum nec ſummum bonum eſſe, nec tali quæſitione dignum. Huic autem veritati teſtimonium negare Deus non poteſt, niſi non atteſtari poſſe putemus Deum veritati æternæ. Illa autem atteſtatio non poteſt non eſſe creaturæ condemnatio & miſeria & pœna. Et quemadmodum Deo recte quærenti non ſufficeret, ut illud promiſſionibus, atque adeo verbis tantum declararetur, niſi accederet quærentis

De Juſtitia Dei Vindicatrice.

tis experientia: ſic & hic iſtiuſmodi non ſufficit teſtimonium niſi accedat peccatoris ſenſus. Secus ſi eſſet, verbis diceret quod re ipſa non diceret Deus, cujus ceteroquin dictis facta reſpondent ad amuſſim. Atque ita niſi peccator experiretur quid ſit a Deo ſe avertere, Deum non velle bonum ſuum, niſi inquam experiretur id eſſe maximum ſibi malum & moleſtiſſimum & mortiferum, æque falſus deprehenderetur Deus, ac ſi rectus eumque tanquam ſummum bonum prout decet quærens, non experiretur Deum revera talem eſſe.

CCXXXVI. Tertio; hinc & pœnam illam vicariam quam Chriſtus ſubiit non ex mero lubitu ſed ex divina decentia arceſſit Apoſtolus Hebr: II. 10. Quam decentiam non ita pridem CXLI. & CXLII. vidimus Deo ita eſſe eſſentialem, ut nihil aliud ſit, quam ipſe Deus, conſideratus ut prorſus talis qualem decet eſſe numen perfectiſſimum.

CCXXXVII. Quarto: & ſanè quorſum punivit Deus & rigidiſſime punivit, & *κατάραν* fecit ipſum filium dilectionis, ſi per decentiam & ſanctitatem fieri potuerit ut peccata non punirentur?

CCXXXVIII. Quinto: in Chriſti morte fuit ἔνδειξις τῆς δικαιοσύνης, non vana ſane oſtentatio, ſed demonſtratio Deum decens.

CCXXXIX. Sexto: ipſa natura gentes hanc veritatem docuit ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα. Hinc omnia peccati expiandi excogitata media: quæ ſane nullâ datâ anſâ confinxiſſent, ſi in animum inducere potuiſſent, Deum prorſus remittere abſque ulla expiatione peccata poſſe.

CCXL. Septimo: Hinc & Scriptura non tam ad placitum aliquod, quam ad ipſam Dei naturam refert quod puniat peccata. Pſ: v. 5, 6, 7. Nam non es Deus, qui delectatur improbitate, non cohabitabit tibi malus. Non ſtabunt furioſi coram oculis tuis: odiſti omnes tractantes vanitatem. Perdes loquentes mendacium; virum ſanguinum & doli abominatur Jehovah. Hab. I: 13. Purus oculis ne videas malum; & intueri ærumnam non potes? Quare intueris

Digitized by Google

mareis perfidos? Siles, quum deſtruit improbus juſtiorem ſe? 2. Theſſ: 1. 6. 7. Siquidem juſtum eſt apud Deum reddere affligentibus vos afflictionem; Et vobis, qui affligimini relaxationem nobiſcum in revelatione Domini Jeſu à cœlo cum Angelis potentiæ ſuis. Rom: 1. 32. Qui, Dei jure cognito, quod, qui talia faciunt, digni morte ſint &c.

De Juſtitia Dei Vindicatrice.

CCXLI. Octavò: Porro cum ira Deo, & dolor de peccatis, & quiritatio, non ſemel tribuantur, affectuumque motus in mentem perfectiſſimam non cadant, neceſſe eſt, ut, licet juxta hominem loquatur Sacra Scriptura, aliquid tamen ſupponat, quod ultra placitum Deo conveniat. Hinc & ipſe vindex non minus quam judex appellatur. Et notandum eſt, quod eo imprimis tum provocet Deus, quando impunitatem ulla alia ratione haberi poſſe, ſtolidus ſibi peccator perſuadere nititur. Illuſtris locus eſt Nah: 1. 2. *Deus zelotes & ultor* eſt *Jehovah: ultor* eſt *Jehovah & præditus excandeſcentia: ulciſcitur Jehovah in hoſtes ſuos, & retinet* iram *in inimicos ſuos.* אֵל נְקָמוֹת *Deus vindictarum* vocatur Pſ: xciv. 1.

CCXLII. Nono: Quinimo quando ulla ratione ſibi impunitatem pollicetur peccator, adhibitis licet mediis, ceteroquin divinitus præſcriptis, ægerrime id fert non ſolùm, ſed non ſine acri increpatione dicit, non eſſe putandum ſe peccatoribus eſſe ſimilem Pſ: L. 21. Cogitare igitur Deum ulla alia placari poſſe ratione, quam facto fœdere *ſuper ſacrificium*, eſt Deum ſibi facere ſimilem; quod exprobrari jure meritoque Judæis qui poſſit, impunita prorſus dimitti peccata ſi queant, haud capio.

CCXLIII. Decimo: Nec minus Deo naturale dicitur, eſſe אֵל קַנָּא Deum ultorem, quam gratioſum Exod. xxxiv. 7.

CCXLIV. Undecimo: debet majeſtati ſuæ ſufficiens & & dare tenetur teſtimonium, quale quid, præter ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης in Chriſto Jeſu factam, nemo repererit. Verbis teſtetur Deus ſe talem eſſe, mactatis animalibus confirmet

Digitized by Google

De Juſtitia Dei Vindicatrice.

ſe ita Sanctum ita juſtum eſſe, qualis eſt, facto tamen ipſo contrarium teſtari videbitur, niſi peccatorem & reſpuat & experiri faciat, quid ſit Deum laceſſiſſe.

CCXLV. Duodecimo: nulla ratio idonea dari poteſt inſtitutæ tantæ ſacrificiorum molis, niſi hanc veritatem admittamus.

CCXLVI. Porro nec hæ aut illæ rationes ſolùm, aut peculiaria quædam S. Script. loca, ſed integrorum ſcriptorum divinorum univerſa ſeries hoc probat. In Epiſtola ſane ad Romanos ita ratiocinatur Apoſtolus, ùt, niſi huic doctrinæ ſua conſtet veritas, ineptus penitus videri queat & ridiculus. Convincit Judæos & Gentes peccati, impotentiæ, mortis in peccato, & concludit, omnem κόσμον eſſe ὑπόδικον τῷ Θεῷ Rom: III. 19. & verſ. 23, πάντες γὰρ ἥμαρτον καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ & verſ. 20. διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ.

CCXLVII. Dein aliam juſtitiam memorat, quæ ſit ipſius Dei, non hominis, non alterius creaturæ, non ficta quædam ſed Dei juſtitia: δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστεύοντας, οὐ γάρ ἐστι διαστολή *etenim non eſt diſcrimen*, nimirum ut unus hoc, alter alio modo ſit juſtificandus. At unde illud, quod, abſque diſcrimine, ea juſtitia indigeant? an ſolum quod id pro arbitrio voluerit, an quod ex aliis viis & modis, quibus juſtificari peccator poſſet, hanc ſelegerit Deus? Minime. Aliam longe rationem ſubdit Apoſtolus πάντες γὰρ ἥμαρτον καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. Ubi igitur peccatum eſt, illic deſideratur & requiritur gloria Dei, illic Dei intereſt & gloriæ ipſius, ut niſi per & propter juſtitiam Chriſti nulla ſit juſtificatio. Hinc illico ἀπολύτρωσιν memorat, & ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης, quæ ita eſt neceſſaria, ut Deus futurus ſit non juſtus, niſi hac via ad juſtitiam pertingat peccator, πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, ἐν τῷ νῦν καιρῷ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον, καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ. verſ. 26. Quæ cuncta non ſolida, quin lubrica ſunt, ſi poſſit eſſe juſtificatio

catio, peccatorum remiſſio, & datio juris petendi vitam æternam, abſque illa juſtitia Chriſti. Poſteriores ſane non erant gloria Dei, & gloria quæ ἔνδειξιν requirebat, eamque ita neceſſariam, ut Deus non juſtus futurus fuerit ſi hæc non facta fuiſſet ἔνδειξις. Nec præteriri debet quod habet Apoſtolus verſ. 30. in quo ex Dei unitate concluditur identitas juſtitiæ Judæis imputandæ & gentibus, hæc ſunt verba *quoniam unus Deus, qui juſtificabit circumciſionem (JUDÆOS) ex fide, & præputium per fidem.* Quod profecto dilutum foret, ſi abſque ulla Dei juſtificatione, quæ per convenientem juſtitiæ demonſtrationem fit, parari potuiſſet peccatori juſtitia. Quid cauſæ quod non hoc modo Judæos, alio gentes juſtificare potuerit? Quid hoc ad unitatem Dei? niſi unius Dei natura, ſemper eadem, flagitaſſet, ut juſtificatio peccatoris alia & alia non eſſet. *De Juſtitia Dei Vindicatrice.*

CCXLVIII. Et obſecro quid cauſæ eſt, quod ita ſedulo caveat Apoſtolus ne videatur quicquam docere, quod legi divinæ præjudicet, quin eam non ſtabiliat, ſi fieri potuerit, ut, pro mero imperio, Deus violatæ legis crimini indulgeret? Nec ſufficit dixiſſe, haud voluiſſe Deum ut legi vel tantillum derogaretur: altius enim hæc repetens, tanquam rem abſurdam & quæ accidere nulla ratione queat, amolitur. Quod futile foret, ſi exceptioni iſti locus fuiſſet, nimirum potuiſſe nihilominus, ſi voluiſſet, Deum legem, perfectum δικαίωμα flagitantem, damnare. Hoc δικαίωμα ita eſt legi debitum, ut nunquam aut morti aut peccato abjudicari dominium in peccatores potuerit, niſi præſtando illud δικαίωμα, quod lex, ex Dei natura & relatione creaturæ rationalis ad Deum profluens, flagitabat; & præſtari id a Chriſto Jeſu unice potuit. Quod docet Apoſtolus Cap. VIII. 3, 4.

CCXLIX. Capite decimo tanquam immotum axioma ſupponit Apoſtolus ſanctionem illam fœderis operum, homo qui fecerit ea vivet in iis verſ. 5. Facere quæ ſunt legis charitatis, & in iis vivere, prorſus naturali connexa ſunt vin-

De Juſtitia Dei Vindicatrice.

culo, ut per naturam Dei fieri haud poſſit, quia qui fecerit ea vivat in iis. Illâ juſtitiâ carebat peccator, adeo ut eam præſtare, aut aliunde ſibi comparare haud poſſet. De hac nondum præſtita, ſi quis fuerat ſollicitus, neceſſe erat ut ſuſcitaretur, quis nobis arceſſet cœlitus eum, qui hanc paret nobis? quis mortem pro nobis ſubibit? hic enim eſt ſenſus verborum verſ. 6, 7. Quæ ſane ad unum omnia lubrica ſunt & refutatu facilia, ſi fieri potuerit, ut, ignoratâ Dei juſtitiâ, jam in Chriſto demonſtrata & exhibita, ex mero placito fieri potuiſſet peccati abolitio, & vitæ æternæ adjudicatio.

CCL. Imo vero univerſa epiſtola ad Romanos hoc agit, ut peccati convictos doceat indigere juſtitia Chriſti. Adeo ut ſalutis aut remiſſionis, & juris ad vitam æternam ſpes nulla peccatori ſit, aut eſſe potuerit, niſi in Chriſto Jeſu. Quæ nexu carent, & ſolida non ſunt, ſi, patrato peccato, alia eſſe potuit evadendi via.

CCLI. Nec numero nec pondere minora Epiſtola ad Hebræos argumenta ſuppeditat. Taceo quod ex decentia Dei arceſſat paſſionum redemtoris neceſſitatem Cap. II. verſ. 10. De ea enim antea diximus. Verum & ex eo, quod nos talis deceat Pontifex, eandem veritatem ſolide colligit. Sic inſit Apoſtolus Capitis Septimi verſu 26, 27. *talis nos decebat Pontifex.*

CCLII. At quid hoc vult quod decere nos talem aſſerat Apoſtolus? Alius igitur ſi fuiſſet, utique is nos non decuiſſet. Sed alius quid ni ſufficiat, ſi prorſus abſque pontifice, abſque ſacrificio aboleri peccatum, & peccator in gratiam cum Deo redire potuerit? Nec eludes vim argumenti, ſi dixeris, jam nos decere talem, quoniam Deus dedit talem; non enim decentia jam erat alleganda, ſed merum potius præceptum, & voluntas, ac libera diſpoſitio Dei.

CCLIII. Imprimis autem attento animo velim conſideres Capitis Decimi verſus 26 & 27. *Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, non amplius*

pro

prò peccato relinquitur hoſtia. Terribilis autem quædam exſpectatio judicii, & ignis ardor, qui devoraturus eſt eos, qui ſe opponunt. *De Juſtitia Dei Vindicatrice.*

CCLIV. Apoſtolus loquitur de peccato, pro quo nulla ſit victima oblata aut offerenda, dicitque, ſi quis id peccatum committat, nihil habere quod ſibi polliceatur, præter terribilem judicii exſpectationem. Quod ſane non ſequitur, ſi alia evadendi via ſit, aut eſſe poſſit. Neque enim, ex eo quod Chriſtus pro iſtiusmodi peccato non ſatisfecit, ulla ratione ſequitur, peccatum illud certo & ſeveriſſime puniendum eſſe, cum alia forte methodo agere poſſit Deus cum talibus. Ut autem univerſum hoc negotium tanto manifeſtius evadat, conferendus eſt ejusdem Epiſtolæ inſignis locus qui eſt Capite Sexto verſ. 4, 5, 6. Ubi Apoſtolus addit, tales *ſibi Chriſtum Jeſum denuo crucifigere*. Quid hoc aliud innuit, quam iteratam requiri crucifixionem, ſi quis à peccato liberandus ſit, pro quo Chriſtus ſacrificium non obtulit: hæc autem ſolida non forent, alia ſi peccati pœnam evitandi ratio eſſet, præterquam in morte filii Dei?

CCLV. Addo unicum ex Capite Decimo locum, qui eſt verſ. 1. 4. 7, 8. 18. Primo quidem ſacrificiorum legalium cauſatur infirmitatem, quia οὐδέποτε δύναται ὁ νόμος τοὺς προσερχομένους τελειῶσαι, nulla ratione; hanc autem neceſſitatem non ex eo arceſſit, quod Deus ſibi iis ſatisfieri noluerit, ſed quod impoſſibile ſit, ἀδύνατον γὰρ αἷμα ταύρων καὶ τράγων ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας *ſanguinem taurorum & hircorum tollere peccatum*. Certe quod nullo interveniente piamento, tam facile tolli potuit, quo colore dicet Apoſtolus, nec per legem, nec per effuſum animalium ſanguinem id tolli potuiſſe? οὐδέποτε neutiquam, nullo modo aut ratione id per legis placita fieri potuiſſe? Præterea introducit Chriſtum hoc agnoſcentem, indeque colligentem ſuarum jam partium eſſe, ſponſionem in ſe ſuſcipere. Quam dum ſubit, denuo agnoſcit Deum non reperiſſe חפץ bene placitum, id quod ſibi faceret ſatis: ſacrificia V. T. οὐκ ηὐδόκησας non placuere tibi, non habuere id

quod

De Juſtitia Dei Vindicatrice.

quod tibi arrideret. Et ne ad merum liberumque placitum iſta referamus, duo dicit οὐκ ἠθέλησας, οὐδὲ εὐδόκησας, nec voluiſti, nec, quod tibi ſatisfaceret, aut placeret, in iis reperiſti. Porro ſi in morte Chriſti non fuerit ſatisfactio & ſolutio unicè requiſita, quæque ſola ſufficeret, quæ ratio quod ubi ἄφεσις eſt τῶν ἁμαρτιῶν, locus τῇ προσφορᾷ eſſe non poſſit? Quid ni ex placito eas continuet Deus?

CCLVI. Paucis. Univerſa Epiſtola ad Hebræos in eo eſt, ut, ex Levitici Sacerdotii aliorumque ſacrificiorum inſufficientia colligat, niſi abjicere quis omnem prorſus ſpem velit, prorſus neceſſarium eſſe Chriſti ſacrificium, & unice ad ipſius victimam confugiendum eſſe. Ratiocinium, quod arenoſo fundamento nixum dixero, niſi abſoluta ſit, & omnimoda ſacrificii Chriſti neceſſitas.

CCLVII. Nec omittendus eſt inſignis locus Rom: 1. 30. de gentibus loquitur, & δικαίωμα θεοῦ usque adeo iis innotuiſſe ut ſciverint qui talia patrarent *morte dignos eſſe*. Et vera loquitur Apoſtolus: hinc tanta piamentorum luſtrationumque ſeges. Imo multi ſibi perſuaſere *ſolò ſanguine humano iram Deorum immortalium placari poſſe*. Cæſar de Bell. Gall. L. 6. At unde illa ipſis perſuaſio? niſi ex conſcientiæ dictamine, & intuitu τοῦ γνωστοῦ quod in ipſis manifeſtum eſt. τὸ γνωστὸν autem τοῦ θεοῦ an dictat ea quæ placiti, quæ meri arbitrii ſunt? quis tale quid vel per ſomnium cogitavit unquam?

CCLVIII. Tandem notatu dignum eſt, quod Sacra Scriptura, ut ſolet in aliis, nunquam alleget merum placitum. Loquens de peculiari gratia his aut illis facta, de paratis ad gloriam & ad interitum vaſis, de hac aut illa peculiari & hominibus mira rerum gubernatione, paſſim recurrit ad placitum & lubitum Dei. Quando autem de peccatorum pœnis ſermo eſt, ad oculorum puritatem, eſſentiæ divinæ Sanctitatem, decentiam, juſtitiam, odium peccati, nomen, & ſimilia provocat paſſim. Quod qua ratione divinæ convenienter ſapientiæ fieri poſſit, ego ſane non video, niſi juſtitiæ illius

Digitized by Google

illius vindicatricis ratio, prout hactenus diximus, admittatur.

CCLIX. Quinimo videtur non poſſe punire Deus, ſi poſſit non punire, nam abſque ratione puniret. *De Juſtitia Dei Vindicatrice.*

CCLX. Saltem filium ſuum tot tantiſque malis cumulare, ſi aliter conſtare potuerit Deo peccata condonanti gloria, res valde abſona videtur. Non eſt in Deo *lubitus deſtruendi operis manuum ſuarum* Job: x. 3. Uſque adeo ut ex mero placito filium unigenitum deſerat, puniat, & poteſtati tenebrarum committat, quin κατάραν & ἁμαρτίαν faciat! Fidem ſane hæc ſuperant omnem.

CCLXI. Et abſurde loqueretur Apoſtolus, quando Chriſtum *à Deo conſtitutum* dicit ἱλαστήριον *in ſanguine ipſius*, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, ſi ita facile ſit Deo pro placito peccata prorſus abolere. Sane non ἔνδειξις erit, ſed mera oſtentatio, id quod in Chriſto Jeſu factum videmus. Voluit igitur ſe ita exhibere terribilem in atrociſſima unigeniti filii morte, & tormentis tam mentis quam corporis exquiſitiſſimis, qui leviſſimo, imo nullo placamento peccata condonare potuit.

CCLXII. Et quorſum dicit Apoſtolus conſtitutum eſſe Chriſtum εἰς ἔνδειξιν? Nonne, aut ut eventus iſtius conſtitutionis eſſet illa ἔνδειξις, atque ita pateret, quam juſtitia Dei ſit inexorabilis, ut quæ paſſa non ſit aliter remitti peccata, quam interventu tantæ expiationis: aut ut conſtaret, hunc ſibi finem, hunc ſcopum propoſuiſſe Deum, ut extaret conveniens majeſtati ſuæ ἔνδειξις. Hoc autem ſi fuerit mentis divinæ propoſitum, quis credat intendiſſe Deum, ut nobis implacabilem abſque tali piamento ſeſe perſuaderet, licet placamento nullo fuerit opus? An falſam igitur nobis de ſe opinionem imprimere atque inculcare è re eſſe judicavit? Nec ſatis eſt ſi dicas oſtendere voluiſſe Deum, quid juris haberet quando eo uti volupe erat; non enim ſolent iſtiuſmodi ſpecimina in rebus maximi momenti exhiberi. Majoris ſane eſſe non poterat, quam ipſum filium Dei fieri κατάραν.

De Juſtitia Dei Vindicatrice.

CCLXIII. Quinimo & ipſi gratiæ divinæ multam detrahunt illi, qui hac in parte ſecus ſentiunt. Hanc enim quam maxime exaggeraturus Spiritus Sanctus argumentum petit a morte Jeſu Chriſti. *Ita Deus dilexit mundum, ut filio ſuo non pepercerit* quin *eum in mortem tradiderit* pro nobis. Mira ſane divini amoris deprædicatio. Amor ſit peccata tollere, nobis ea condonare amor ſit, ſit miſericordia, at mors Chriſti cum meri placiti ſit, quid hæc ad amorem? Major utique videri potuiſſet, ſi & nobis ignoviſſet, & pepercíſſet filio.

CCLXIV. Atque ita *certiſſimæ de Satisfactione Chriſti pro peccatis veritati ſententiam dubiam* non *obtendimus*, quando Deum peccata prorſus impunita dimittere non poſſe aſſertum imus. *Cauſam Dei mendaciis ad ſui defenſionem non indigere* juxta cum Viro docto novimus. At nec ſubvertenda ſunt veritatis fundamenta, quibus innixa, nos certitudinis ſuæ radiis validiſſimè perſtringit.

CCLXV. Fingenda quidem non eſt neceſſitas, qua Deus magis adſtringatur ad manifeſtandam juſtitiam ſuam vindicatricem, quam miſericordiam aut omnipotentiam. Deus adſtringi aut cogi non poteſt. Eſt tamen Deo ſua perfectio & decentia, quam abnegare, quam obſuſcare non poteſt. Non quod cogatur aut adſtringatur ad agendum quemadmodum ei convenit, ſed quod perfectio Dei ſit ita agere ut ſe decet, ens omni ratione perfectum.

CCLXVI. Alia longe omnipotentiæ & miſericordiæ, alia juſtitiæ, certo reſpectu, ratio. Non, licet Omnipotentia Deo eſſentialis ſit, *eam omnem exerit*; non, licet *miſericordia ipſi* ſit *naturalis, neceſſario in gratiam redit cum quibusvis peccatoribus*, fateor. Per naturam Dei fieri potuit, ut nihil extra ſe produceret, adeoque nec omnem potentiam, nec miſericordiam exerceret, nec juſtitiam. Id tamen fieri non poteſt, ut aut potentiam, aut miſericordiam ita exerceat, ut aliquid agat quo ipſe negetur eſſe is qui eſt. Atque id fieret, ſi in creaturam peccatricem pœnis non animadverteret. Non adſtrictus eſt Deus aut coactus ad præſcribendam legem

crea-

Digitized by Google

creaturæ rationali, potuit enim hanc non condere; ſed condens creaturam rationalem, eam non potuit condere aut non rectam, aut nulli legi amoris ſubjectam. Sic ſtatuimus non cogi Deum ut puniat, poterat enim non permiſiſſe peccatum, quin & creaturam, quæ jam deliquit, prorſus non creaſſe; ſed, poſita permiſſione peccati, fieri non poſſe, ut id *pœna non premat comes.* *De Juſtitia Dei Vindicatrice.*

CCLXVII. *Axioma Apoſtoli, Deum videlicet omnia operari ſecundum conſilium ſuæ voluntatis, neutiquam in dubium vocamus; neque aliam exercendæ juſtitiæ Dei vindicatricis neceſſitatem admittimus, quam de liberrimo conſilio & beneplacito divinæ voluntatis.* Et id addimus, multa fieri vi liberrimi conſilii & beneplaciti divinæ voluntatis, quæ tamen non fieri, aliis ſuppoſitis, non potuere. Sexcenta poſſem hiſce ſtabiliendis dare ſpecimina. Confer ſis. §. CXLIII. hujus Cap.

CCLXVIII. *Improbationem peccati puriſſima Sanctitas ipſius neceſſario complectitur.* Rectè. Ad iſtam autem improbationem an Deus *adſtringitur* aut cogitur? Liberrimus procul dubio divinæ mentis actus eſt, iſthæc, quam largiris, peccati improbatio: nihilominus *puriſſima* eam *Sanctitas complectitur*, & *neceſſario complectitur*? Videsne ſolutas quas antea ipſe moviſti difficultates? Præterea præter peccati improbationem, modo ea talis ſit qualis Deo convenit, nihil volo amplius. Omne id quod Deum decere contendimus, improbatio peccati eſt. Improbatio vero, quæ, ubi relative ad creaturam rationalem conſideratur, eam miſeram reddit punitque. Pœna ſane omnis nihil aliud eſt, quam manifeſtatio divinæ illius *improbationis, quam puriſſima Sanctitas complectitur.* Et obſecro quid cogitem de iſtac improbatione cui facta non reſpondeant? Quid de operibus divinis aut factis judicem, quæ illam non prodant improbationem ſed obſcurent, ſed negent penitus? Tale foret, miſericordiæ, Deo per judicium non juſtificatô, demonſtratio.

CCLXIX. Inſtas *malum illum animum oſori ſuo eximere poſſe Deum:* quod neutiquam negabo, modo, prout par

De Juſtitia Dei Vindicatrice.

eſt, conſtet ea, quam puriſſima Sanctitas complectitur, peccati improbatio. Exemit nimirum ſuis illud odium, & eximit indies, at non, niſi facta *demonſtratione juſtitiæ* in Chriſto Jeſu, quando eum propoſuit ἱλαστήριον *in ſanguine ejus* Rom: III. 25.

CCLXX. *Ad pœnitentiam adducere poteſt peccatorem*; fateor, & ad reſipiſcentiam; *exemto rancore poteſt mentem ejus amore numinis totam inflare*: pariter & id fateor. Sed nec pœnitentiæ quæ nos deceat, nec amoris Dei, qui nihil aliud eſt, quam gloriæ divinæ ſtudium, ullam ideam habeo, quæ non Chriſtum *complectatur*. Id eſt concipere non poſſum ſtudium gloriæ divinæ, ſeu amorem Dei in peccatore, niſi gloria Dei ipſi obverſetur in facie Chriſti Jeſu. Eadem hac de re Pauli ſententia fuit; Gloriam ſane Dei non amat, qui improbationem, quam ipſiſſima Sanctitas Dei *complectitur*, non noſcit, non probat. Quin amari a peccatore nec poteſt, nec potuit ulla ratione, niſi in Chriſto Jeſu redemtore, quod argumentum jam occupavimus. Ichnogr. §. xxxv. & ſeqq.

CCLXXI. Gratis hæc quidem a non uno viro Docto dicuntur, ſed impensè miror ab iis quoque dici, qui ceteroquin ita exacte cavent, ne ultra aut præter ideas nobis conceſſas quicquam ſtatuant. Alio rerum ordine an duo & tria futura fuerint quinque nec ne, determinare verentur; hic autem reſipiſcentiam fingunt, amoremque Dei in homine peccatore alium comminiſcuntur ab eo cujus ideam in nobis unice reperimus.

CCLXXII. *Abſolutiſſimam potentiam* fingis, per quam Deus poſſit non ulciſci peccatum, id eſt non prodere, non probare prout decet, improbationem peccati *quam ipſiſſima Dei Sanctitas neceſſario complectitur*. At eam non agnoſco, potentia enim in Deo nihil aliud eſt, quam ipſa voluntas, conſiderata cum relatione ad objectum, juſſu illius voluntatis exiſtens. Voluntati autem & decentia & rectitudo & ipſiſſima illa Sanctitas ineſt, non quæ impediant quo minus faciat aliquid, quod ceteroquin per potentiam quandam abſolu-

tiſſi-

tiſſimam poſſit, minime. Figmenta enim hæc nobis ſunt, & ἄγραφα prorſus, & periculo plena. Nec dici poteſt, poſſe Deum quicquam quod velle non poteſt; velle autem nihil poteſt quod gloriæ ſuæ non ſubſerviat. Neutiquam autem ſubſervit gloriæ Dei quicquam ex quo peccator conjicere poſſet Deum ſibi ſimilem Pſ: L. 21. Gloriæ Dei intereſſe ut peccatum non maneat impunitum, ſatis ſuperque evicimus. Non igitur prohibet Sanctitas, quo minus agat quæ poteſt agere; ſed facit voluntatis Sanctitas ut nulla ſit in Deo potentia qua ſibi poſſit eſſe iniquus, aut deſtruere ſe ipſum. Omnia pro nobis in hac controverſia militant, quibus alibi recte probavit idem Vir Doctus, nec accurate nec ex vero dici, Deum poſſe fallere ſi velit. *De Juſtitia Dei Vindicatrice.*

CCLXXIII. *Sunt & alia*, inquit laudatus jam auctor *permulta, quæ ſententiæ vulgo receptæ planiſſime obſtant*. Hactenus quo eam confutare potuerit, nihil vidimus. Reliqua audiamus. *Si Deus abſoluta neceſſitate peccatum puniret; ſemper illud & quantum poteſt puniret, ubi ubi, & ſimulatque deprehenderet.* Neceſſarius eſt inter peccatum & pœnam nexus, quem non ſemel demonſtratum dedimus, & ex *improbatione* illa *peccati*, *quam ipſiſſima Dei Sanctitas neceſſario complectitur*, elicuimus; nulla tamen divinæ inde oritur voluntati coactio, nulla neceſſitas. Ut tu non poſſe non improbare Deum, ſic & ego, non poſſe non punire peccatum, dixerim. Si autem, ut tua te vineta cædere videas, neceſſario improbet, ergo & ſemper improbat, & quantum poteſt improbat: ita autem id improbare poteſt, ut creatura ſuo experiatur damno, Deum id improbare. Æternum autem id improbare poteſt, & ita improbare poteſt; vides idem jam ſequi ex tua, quod tanquam abſurdum minus ſolide ex mea extundere voluiſti hypotheſi. Comparatio hujus divinæ actionis cum ea quæ ignis eſt non quadrat: cum liberrima ſit Dei omnis actio, ut decet ens ſumme perfectum. Quemadmodum homo perfectiſſima virtute penitiſſime imbutus, & neceſſario bene agit, & ἑκουσίως καὶ μετὰ προαιρέσεως, ſic ea in Deo agendi neceſſitas eſt cum ſumma libertate. Præter-

De Juſtitia Dei Vindicatrice.

tea cum Deus juſtus non ſolum ſit, ſed & aliis perfectionibus præditus, ita exerit juſtitiam, ut & ceterarum edat luculentiſſima ſpecimina; poteſtque, cum conſilium gratiæ, fœduſque pacis patrem inter ſit & filium, quo ſapientiſſime exerat non juſtitiam ſolum, verum etiam miſericordiam, omni illo tempore, quo illud exequitur conſilium, longanimitatem demonſtrare & patientiam, etiam erga reprobos. Dico quoniam conſilium gratiæ penes Deum eſt; neque enim ipſam, ut dicam quod res eſt, patientiam aut longanimitatem Deo convenienter exercitam ex Sacra Scriptura didici, niſi ut interea temporis gratiæ ſuæ Deus quam glorioſiſſime exequatur conſilium. Hinc eam quam in vaſis iræ palam facit longanimitatem & benignitatem, non alio refert Apoſtolus, quam ad illud quod de vaſis miſericordiæ in gloriam parandis, conſilium concepit Rom: IX. 22, 23. Et ſuffragatur Petrus 2 Petr: III. 9. quando rationem daturus quare Deus ita ſit longanimis, hanc ſuggerit, *non volens quoſquam perire, ſed omnes ad reſipiſcentiam concedere.* Idem Zacharias innuit XI. 7. *Et paſcebam oves occidionis*, at quorſum hoc? *ad præparandum inopes ovium.* Quin & longanimitatem illam & beneficentiam Dei communem, ad quærendum Deum, & anſam de gratiæ quodam propoſito cogitandi ſuppeditandam facere, notat idem Paulus Act. XVII. 27. Nec ex ſacris ullum divinæ longanimitatis & tolerantiæ, adeoque dilationis pœnarum conceptum, qui Deum deceat, formare poſſem, niſi & Chriſtum noviſſem & gratiæ conſilium; ut jam dudum notavimus non uno in loco. Non igitur noſtram hæc ratio ſententiam ferit ſed validè confirmat. Modus autem & gradus forte pœnarum, poſt ipſum ultimi judicii diem, ex divinæ ſapientiæ, & communis rerum ordinis ratione commode repeti poteſt, abſque ullo cauſæ noſtræ detrimento. Et *in hoc ſeculo* igitur *punit quando & quantum vult*, ſeu quando & quantum voluit ut faceret ad illuſtrandam miſericordiæ, in electis exercendæ, gloriam. Gratiæ autem propoſito jam executioni dato, ceſſabit omnis jure pœnas differendi ratio; adeoque puniendi tempus erit.

Pu-

Digitized by Google

Puniet autem quantum liberè, ſed ſibi, ſed legi, ſed majeſtati læſæ, ſed peccatrici creaturæ convenienter, volet, ita tamen ut pœnæ ratio ac pondus jam dictis rebus reſpondeat. *De Juſtitia Dei Vindicatrice.*

CCLXXIV. Qua autem ratione ad mortis uſque Chriſti tempus differri pœna potuerit, ex præcedentibus non eſt obſcurum. Sponſionem in ſe ſuſceperat מלאך המליץ angelus ille interpres: eam reſpiciens, in gloriam ducere ſuos, &, ut id quam glorioſiſſime fieret, tolerare reprobos tot ſeculis potuit.

CCLXXV. An & quantum mitigari pœna in die judicii poſt eum poſſit aut non poſſit, quis eſt qui determinet? Et quid ſi minor eſſe & major concipiatur, prout univerſo ordini convenientiſſimum fore Deus voluerit, non tamen prorſus poſſe non puniri ex eo ſequetur. In humanis quoque id obtinet. Poteſt judex, qui pariter & jura majeſtatis exercet, pœnarum modum ad egregium publicum ita comparare, ut magna in iis diverſitas ſit, quas tamen ut prorſus non infligat, juſtitiæ ratio haud permiſerit. Dicitur ceteroquin Dei ira tanta, ut *virium contentio* audiat Job: XXIII. 6. Eâ autem non ſemper utitur.

CCLXXVI. *Denique licet Deus, quod ſanctiſſime credimus, uti ſontes abſolveret, inſonti Filio ſuo peccata noſtra impegerit, & impingere per juſtitiam ſuam potuerit*; non tamen gratis condonare peccatum, & citra ullam ſatisfactionem poſſe, validis rationibus innixi ſtatuimus. Ἔνδειξις τῆς δικαιοσύνης requirebatur, & de commiſſo quolibet peccato divinæ majeſtatis glorificatio, quam pro delictis eorum, quos ſuos facere, quos ſibi unice vindicare, quos partem ſui, & quaſi ſe ipſum facere, atque ita vindicare poterat, Chriſtus obtulit; impingi Chriſto iſte reatus poterat, manente, quod ad reliqua, ἐνδείξεως τῆς δικαιοσύνης neceſſitate. Neceſſitate autem, non cui Deus obſequium præſtet proprie, ſed quæ ex ipſa divinæ majeſtatis perfectione profluat: cui ut in omnibus, ſic & hac in parte convenienter agere, non poteſt non liberrime velle.

CCLXXVII. Mire ſe hic torquet Socinus & intricat. Concedit jus competere Deo, puniendi peccata, ſi velit. At quod-

Digitized by Google

De Juſtitia Dei Vindicatrice.

quodnam quæſo & quale id fundamentum illius juris eſt? Non quæſitum illud jus eſt, ſed proprium, ſed naturale Deo; & ſi naturale, quidnam aliud fingi poterit, quam tantæ eſſe majeſtatis Deum, ut, patrato peccato, creatura pœnâ digna evadat? At unde hoc? niſi quod conveniat læſæ divinæ majeſtati, ut extet argumentum atrocitatis illius, quæ in peccato, quæ in crimine læſæ tantæ majeſtatis reperitur.

CCLXXVIII. Ulterius ſe dat, quando addit, neceſſe eſſe ut Deus jure illo ſuo utatur niſi peccatorem peccati ſui pœniteat. At pœnitere peccatorem peccati non poteſt, niſi Deo jam placato, aut certò placando, quemadmodum & neminem unquam peccati pœnituit; niſi cui Deus abſtulerat cor reſipiſcere neſcium: Deus porro neceſſario omnes puniet ſi neceſſario puniat non pœnitentes? Unde illa neceſſitas puniendi non pœnitentes? Quid ni mentes abſque pœnitentia hinc diſcedentes, in ipſo mortis articulo mutet & in ſui amorem incitet? Et quid pœnitentiæ defectus peccato ſuperaddit? cum is quem non pœnitet, ſolum haud deſinat peccare, dum alius ſe forte convertit; adeoque peccare tantum non deſinit: ut impœnitentia tantum arguat majorem peccatorum molem; peccata autem omnia abſque interveniente pœna remittere qui poteſt, quid ni & cumulatiorem peccatorum numerum? Porro impœnitentia nonne & ipſa peccatum eſt? certè non majus quid quam peccatum: quid ni & hoc aboleat ut cetera? Eſt igitur peccatum aliquod, quod remittere ſenſu Sociniano non poſſit. At nonne eadem omnis peccati ad Deum relatio eſt? An non omne peccatum, eo momento quo committitur, actus eſt non pœnitentis, ſi exacte rem putemus? Addo unumquemque ab prima infantia non regenitum, tractu eo temporis, quo in peccatis vixerit, impœnitentem fuiſſe. Quid ni puniti? quid ni ex terra viventium deleti ſunt? Quid cauſæ quod huic tempus pœnitendi, longius, illi brevius concedatur? Meræ tricæ. Porro quid facit ſequens pœnitentia ad tollenda jam dudum commiſſa peccata? Imo quid pœnitentia ſexagenarii ad abolenda tot annorum ſcelera? At finalis eſſe debet. Quis terminos, quis limites

tes

Digitized by Google

tes ætati poſuit? nonne Deus? Cum igitur neceſſario impœnitentes puniat, neceſſe erit, ut, aut ſit terminus quidam, cujus æquitas omne decretum antevertat: aut ex arbitrio Deus pro pœnitenti habeat & non pœnitenti quem velit. Quid igitur & quænam iſtæc eſt non pœnitentem puniendi ficta neceſſitas? Taceo pœnitentiam, quam reſipiſcentia comitetur, non cadere in peccatorem, niſi Deum conſideret ut certo ſibi aut conciliandum, aut jam conciliatum; id eſt, niſi Dei filium aut ſponſorem amplectatur, aut ſummum ſacerdotem per paſſiones conſummatum.

De Juſtitia Dei Vindicatrice.

CCLXXIX. Hanc vero *rem*, ut loqui amat, *quæ ad Deum relata, miſericordiæ opponitur*; nunquam juſtitiam dici *à ſacris Scriptoribus*, quin *nomine iſto ne dignari quidem, ſed eam modo Dei ſeveritatem, modo vindictam, tum iram, furorem, indignationem, & aliis ejuſmodi nominibus appellari*; audacter quidem aſſerit Socinus de Servat. Parte I Cap. I. & in Prælect. Cap. XVI. ſed invita ſacra pagina, quæ toties totieſque pœnarum cauſam Dei juſtitiam memorat, ad eam provocat, ab ea pœnam omnem arceſſit Apoc. XV. 3, 4. 2 Theſſ: I. 6. Apoc: XIX. II. Rom: III. 8. Act: XVII. 31. Deoque δικαιοκρισίαν tribuit Rom: II. 5. Jeſ: XLII. 3. & ipſius nominis Dei partem facit eſſe נַקֵּה לֹא יְנַקֶּה Exod: XXXIV. 7. Coll. XX. 7. Et notum eſt ſub judicis notione Deum venire, nobiſque obverſari debere, cui ſane ex juſto & æquo agendum eſt, non affectibus. Præterea ſeveritas, vindicta, ira quid aliud denotant, imo quid Deo convenienter aliud denotare poſſunt, quam hunc de quo agimus amorem ſui atque ejus exercitium? quid à juſtitiâ vindicativâ aliud?

CCLXXX. Annihilari quoque creatura rationalis non poteſt, quando divinæ gloriæ intereſt ut luat in æternum. Videſis Cocceji Summam Theol: Cap. X. Amyraldi diſput. de Neceſſitate Satisfactionis, in Theſ. Salmur. Tom. I.

CCLXXXI. Diximus §. CCVIII. præcedente, divinæ voluntatis eſſe creaturæ rationali certæ concinnitatis ſeu con-

Digitized by Google

De Juſtitia Dei Vindicatrice.

venientiæ ac decentiæ normam præſcribere, eamque ſancire atque exequi. In quorum binis prioribus nobis ut ἀνυπεύθυνος & ſummus Legiſlator, in poſtremo autem ut integerrimus judex obverſatur. Utroque titulo non ſemel inſignitur; illo Jac: IV. 12. Jeſ: XXXIII. 22. hoc Pſ: IX. 5, 9. VII. 12. X. 6. LXXV. 8.

CCLXXXII. Verum hæc executoria Dei juſtitia, ſive remuneratoria ſit, ſive punitoria & vindicatrix, ſupponit in creatura rationali id quod aut remuneratione aut punitione dignum eſt.

CCLXXXIII. Supponit inquam, non eo tamen ſenſu, ac ſi creatura rationalis in ſe per ſe atque independenter a Deo talis eſſe poſſit, aut evadere, ut remuneratione digna ſit; *in ipſo* enim *vivimus movemur & ſumus* Act: XVII. 28. ille *operatur in nobis & velle & perficere* Phil: II. 13. & repugnat conceptui creaturæ, vel tantillum in ea realitatis concipere, quod non a Deo ſit.

CCLXXXIV. Ejuſdem volitionis divinæ eſt, ut normam præſcribere, eamque ſancire atque exequi, ita etiam dare certam unicuique creaturæ rationali convenientiæ cum iſtac norma menſuram. Norma omnibus data eadem eſt, ſi ſummam rei reſpexeris. Sive enim angelus, ſive homo; hicque ſive integer ſit ſive lapſus, unam eandemque ſibi præſcriptam habent amoris legem. Convenientia tamen cum normâ non eadem non æqualis eſt in omnibus & ſingulis. Alia recto impertita menſura eſt, alia peccatoribus; quorum & maxima hac in parte ac pene infinita eſt diverſitas. Pro cujus modulo magis aut minus ſancti dicimur. Hinc in voluntate Dei dicimur ſanctificari Hebr: X. 10. non eo tantum ſenſu, quo *voluntas Dei illa dicitur noſtri ſanctificatio* I Theſſ: IV. 3. verum & eo, quo *omne bonum & cæleſte donum à Patre luminum deſcendit* Jac: I. 17. illeque nos mutat *in ſpiritu mentis noſtræ* Eph. IV. 23. Verum hac de re aliàs.

CCLXXXV. Atque ita quod §. CCXIX. promiſimus

mus juſtitiæ divinæ argumentum explicatum, confirmatum, & vindicatum dedimus; reliquum eſt, ut ratio addatur, ob quam iſtam virtutem, ſeu perfectionem, ad Dei bonitatem, retulerim. *De Juſtitia Dei Vindicatrice.*

CCLXXXVI. Breviter: negari non poteſt, quin omne id quod extra & præter Deum fit aut exiſtit, ad ipſius gloriam, Dei quædam quaſi communicatio, adeoque divinæ bonitatis ſit. Juſtitiæ autem effecta omnia ſunt talia. Sive enim Legiſlatoriam ſive Remuneratoriam reſpicias, in utraque ſui quaſi copiam facit, adeoque bonum ſe probat Deus. *Quare ad Dei bonitatem referatur.*

CCLXXXVII. Vidimus igitur quam diverſa, ratione diverſorum effectorum, volitio Dei conſideranda veniat. Talia autem ſunt etiam effectorum nonnulla, ut ſimilia à creaturis rationalibus producta videntes, multiplices animi affectus & motus iis tribuamus. Hinc iſtiuſmodi denominationes Deo tributas legimus, quæ in nobis affectus, in Deo autem eandem ſimpliciſſimam volitionem ſignificant. Sic admiratio, odium, ira, deſiderium, averſio, ſpes, gaudium, triſtitia, pœnitentia &c. Deo adſcribuntur. De quorum ſingulis conſulendus eſt Burmannus Synopſeos Lib. I. Cap. XXIII.

CCLXXXVIII. Perfectiones igitur Dei ex methodo nobis hujus capitis §. LXXXIII. præſcripta ſeorſim ſingulas jam vidimus, ſequitur ut ſimul denuo eaſdem omnes contemplemur: deſituri in *Gloria* quæ hujus tractatiotionis noſtræ Cap. I. §. IV. & ſeq. fuit initium. Omnes hæ perfectiones, ut Nomine indicantur, ſic in Gloria reſplendeſcunt. *De Perfectionibus Dei* Seorſim *hactenus, nunc de iis*

CCLXXXIX. Simul ſumtas cum ad Deum refero, eas cognoſcentem amantem atque in earum cognitione atque amore acquieſcentem, deprehendo in me excitari conceptum Divinæ *Beatitatis*, quâ in ſe & à ſe æternum ac perfectiſſimè fruitur. unde deus *beatus* dicitur I Tim: I. II. VI. 15. *ſua ſapientia ac virtute gaudens*, Epicurus apud Ciceronem de Nat. Deorum Libr. I. *2. Simul conſideratis unde conceptus Reſpectu Dei, BEATITATIS.*

Digitized by Google

2. *Reſp. noſtri* 1. SUMMITAS. CCXC. Quando autem eaſdem ita ſimul ſumtas reſpectu noſtrum intueor, primo *Summitas* Dei prorſus infinita ſeſe prodit: hæc præcellentiam dicit qua omnimoda ſua atque infinita perfectione omnem creaturam, licet perfectiſſimam, immenſum ſuperat; adeo ut nihil in Deo ſit, cui aliquid, quod in creatura reperiatur, propriè aſſimilari poſſit; nihil Deo cum creatura ſenſu univoco, ut dicunt, commune; altitudinem alicubi Scriptura dicit. Deinde & 2. POTESTAS. *Poteſtas*, qua, tantâ præditus ὑπεροχῇ, jus habet diſponendi pro arbitrio. Diſponendi nimirum de rerum tam futuritione omni, adeoque de futuris, quam de iis quæ facta ſunt. Jus non contractu, aut creationis aut alius generis beneficio quæſitum, non ultro ab aliis ipſi conceſſum, ſed ipſa in Dei Eminentia ac ſummitate prorſus fundatum. Hinc oritur *Dominium* Dei Abſolutiſſimum prorſuſque Independens, atque Incommunicabile: de quo Apoſtolus Rom. IX. 20, 21. Pluribus id adverſus Arminium & Curcellæum vindicat Eſſenius in Diſp. de Subjectione Chriſti ad Legem; paucis idem argumentum occupat in Syſtemate: XV. Diſp. de Deo §. CLIII.

Hypotheſeon Veritas in præcedentibus. CCXCI. De Gloria autem & Nomine, Eſſentia deinceps ac tandem Perfectionibus Dei quæ diximus, quando paulo propius intuemur, talem videbimus Deum, ut dubitari non poſſit, quin poſſit eſſe triunus, qualem in hypotheſi prima Ichnogr. §. CXLII. eſſe ſuppoſuimus. Iſtiuſmodi enim ſe prodit perfectio, quæ neceſſario arguat, nihil eſſe, quod impediat, quo minus credamus atque aſſeramus iſtam adorandam trinitatem, modo aliunde ejus veritas certò innoteſcat.

CCXCII. Quin & non uni, ſed tribus omnes iſtæ perfectiones & Nomen & Gloria tribuuntur. Quod ut de Nomine vidimus & de Gloria ita & de ſingulis perfectionibus demonſtrare facile foret & hujus loci: at ex profeſſo jam jam de S. S. Trinitate acturi ad ſequentia hæc remittimus.

CCXCIII. Id unum hoc loco prætermittere non poſſumus,

Digitized by Google

mus, eſſe inter Perfectiones Divinas quæ una ſe exerere non poſſunt, niſi poſita S. S. Trinitate. Juſtitia Dei, & illa qua Deus ſe peccatori communicat, miſericordia, neque conciliari ſibi invicem poſſunt, neque unà concipi, niſi admiſſo hoc myſterio. Quinimo ne quidem Intellectus aut Voluntas Dei ut ſe perfectiſſime exerentes cogitari poſſunt, niſi, hac ſeſe ultro prodente & per rimulam nobis adfulgente veritate; ut poſtea lector videbit.

CCXCIV. Imo vero ita naturale eſt Deo triunum eſſe, ut non poſſit non eſſe triunus. Adeo ut triunum eſſe æque Deo proprium & naturale ſit ac eſſe unum.

CCXCV. Conſilium gratiæ pariter niſi admittatur, gloriæ tantum decedet, ut nec agnoſci, nec celebrari, prout fas eſt, ulla ratione poſſit, niſi, agnito iſtoc conſilio.

CCXCVI. Nomina quoque ad unum omnia cum haud alium in finem ſibi dederit Deus, quam ut ad ſalutem à peccatore cognoſceretur atque amaretur, mirum non eſt, iſtius conſilii, quo illam peccatori ſalutem mediaque ad eam tendentia decrevit, veſtigia in ſingulis nominibus deprehendi.

CCXCVII. Perfectiones autem ut Deum nobis ſufficientem, qui condat iſtiuſmodi decretum, ſic & talem, qui revera condiderit, manifeſtiſſime arguunt.

CCXCVIII. Adeo ut utriuſque hypotheſeos veritas ex iis quæ de Gloriâ, Eſſentia, Nominibus Dei diximus abunde pateat.

Tranſitio ad conſiderationem S. S. Trinitatis peculiarem.

CCXCIX. Quare eo nos delatos videmus, ut maxime admirandam illam & ſtupendam Dei Perfectionem, qua trinus eſt, paulo preſſius & accuratius expendere debeamus.

Ordinis Ratio.

CCC. Id enim antequam ad Viarum Dei contemplationem nos accingamus unicè nobis reliquum eſt, paucula quidem de iſtoc argumento diximus Ichnogr. §. CXLII. ſed ut eum tantum in finem quem ibidem indicatum reppeſis, ita & breviter. Quando autem in omni Theologiæ parte veſtigia ſunt iſtius myſterii, imo, ſi Baſilio credimus,

πανταχοῦ τῇ ἱστορίᾳ τὸ δόγμα τῆς Θεολογίας μυστικῶς συμπερέσπαρται, *ubique hiſtoria Theologiæ dogma*, de Trinitate agit, *myſtice interſpergitur*. Sic in notis vertit Combefiſius in Hexaem. Homil. VI. ubique ea veſtigia ſedulo quidem legemus; ita tamen, ut paulo prolixiorem & ſingularem ejuſdem argumenti pertractationem hoc quidem loco non omittamus.

CCCI. Hactenus Deum licet *potiſſimum* Abſolutè conſideravimus, fieri tamen non potuit, quin, de Perfectionibus Deo abſolutè conſiderato, ex profeſſo loquentibus, nonnulla occurrerint, quæ, poſita jam iſtac rerum univerſitate, intelligi non poſſe videbantur, niſi interſperſis nonnullis, quæ Deo non niſi ſub certa quadam ad res alias relatione tribui poſſe jure dixeris: quare & ea breviter ſuis locis perſtrinximus. Præterea, ut methodo nobis præfixâ continuo uteremur, ex ipſa tum Dei, tum Nominum ac Perfectionum divinarum abſoluta conſideratione ſuo loco hypotheſeon noſtrarum veritatem indicatam & demonſtratam dedimus.

CCCII. Verum ex profeſſo & data opera nunc demum ea dicemus, quæ ſeſe menti noſtræ ſiſtent, ubi Deum contemplabimur prorſus relate, tum ad ſe, tum ad alia: ut jam §. LXXXVI. præmonuimus. Relatio qua Deus ad ſe refertur, eſt ea, qua Deus Pater ad Filium, Filius ad Patrem; Pater Filius ad Spiritum Sanctum, hic denique ad P. & F. refertur.

CCCIII. At multum in eo ſitum eſt, ut in hujus materiæ pertractatione methodo utamur, qua mens veritatis avida in timore Dei quam clariſſime informetur & convincatur ſolidiſſimè, pedetentim progrediemur, ne quicquam, quod nondum explicatum ſit, pro clarè ac diſtinctè percepto; aut, nondum probatum, pro evicto habeatur.

Unitas Dei ſarta manet.

CCCIV. Sacra maneat & illibata Dei unitas, toties totieſque in S. S. inculcata & vindicata: Jeſ: XLIV. 8. XLV. 6. Pſ: XVIII. 32. Deut: IV. 35. uberrimè ac clariſſimè nonnunquam aliquando aſſeritur iis ipſis in locis, in qui-

quibus præ aliis de quadam in Deo pluralitate cogitandi anſa datur. Vide ſis. Deut: VI. 4. 2. Sam: VII. 14, 15. cum 22. Jeſ: XLV. 21. 25. 1 Joh: 5. 7. Confer Scenogr. Cap. III. §. XCVII. & ſeqq.

CCCV. Hinc & omnia divina ſibi ſoli atque unico tribui jubet. Ut vel ἀξίωμα aliquod, vel nomen quod ipſius ſit, alii adſcribere; aut beneficium, ab ipſo unice expectandum, alteri quam uni illi Deo ulla ratione acceptum referre, nefas ſit, Deoque exoſum. Sive de creatione, ſive de liberationis ac ſalutis noſtræ negotio agat, ſerio ſemper cavet Sacra Scr. ne eorum quicquam non-Jehovæ tribuamus Deut: XXXII. 27. Jeſ: XLII. 8. XLVIII. 11. Jeſ: XIX. 4. & ſeq. Imo vel minimum honoris ipſi debiti cum alio commune facere, in alium ſpem ſuam reponere, alii fidere, in alio præ ipſo toto corde deliciari velle, idololatria audit, crimen quo majus dari vix aliud poteſt. Eph: v. 5. Phil: III. 19. Zelotes Deus eſt, honorem ſuum alii non dabit.

CCCVI. Qua re licet extra omnem dubitationis aleam *Probatur*
poſita, ubi abſque ullo animi præjudicio, multos loquen- *pluralitas*
di modos Sacris Scriptoribus, ipſique adeo Deo admodum *in Deo.*
ſuetos ac familiares, probe expenderis, tales deprehendes, qui validè mentem adigant, ut in uno iſto Deo pluralitatem aliquam peculiarem cogites. Cujus, ut ut omnem rationem finita cogitatione tua non aſſequaris, convictus tamen quiſque apud animum eris tuum.

CCCVII. Huc facit primo quidem pluralitas vocabuli אלהים de qua Cap. II. §. 29. cujus pluralitatis & mira conſtructio tantum ipſis Rabbinis non faceſſiviſſet negotii, ſi à genio linguæ non diſcederet. Nota ſunt quæ de calamo è Moſis manu elapſo aliiſque hac occaſione Magiſtri. Ipſe, præfracto ceteroquin animo Judæus, Radak hæc habet; *non reperitur vox pluralis cum nomine Dei inclyti, niſi cum nomine Elohim ſolum* לסוד עמוק *ad profundum myſterium ſc.*ſignificandum.

CCCVIII. Secundo: loca in quibus Deus ad ſe vel de

ſe

ſe ipſe in plurali loquitur Gen: I. 26. *faciamus hominem ad imaginem noſtram* III. 22. *Ecce homo factus eſt ut unus ex nobis* prorſus ut Joh. XIV. 23. Tertull. c. Praxeam Cap: VII. *Imo quia jam adhærebat.* Targum non Jonathanis ſed Hieroſol. citatum Joſ. de Voiſin. & aliis. *Et dixit:* מֵימְרָא דַיְיָ *Verbum Jehovæ. Ecce homo quem creavi* יחיד *unicus ſeu unigenitus eſt in mundo, ſicut ego ſum unigenitus in cælis:* Legit Waltonus בנו עלמי *in ſæculo meo, ſicut ego ſum ſolus ſeu unicus in cælo excelſo* XI. 7. *deſcendamus & confundamus linguam eorum.*

CCCIX. Negligenda quoque non ſunt quæ de domo judicii a priſcis Judæis dicuntur. Adde Hoſ: XII. 4, 5. *In viribus ſuis tanquam dux exercitus certavit cum Deo. Et certavit cum angelo & obtinuit, ploravit & ſupplicavit ei: Bethele invenit ipſum, & ibi loquebatur* עִמָּנוּ NOBISCUM Jeſ: VI. coll. 9, 11. *Et audivi vocem Domini dicentis quem mittam? & quis ibit nobis?*

CCCX. Tertio: illa loca in quibus Dominus de Domino, Jehova de Jehova, aut Jehovæ loquitur. Deuſque a Deo diſtinguitur, eive opponitur Gen: XIX. 24. Exod: XXXIV. 5. 2 Sam: XII. 24, 25. Pſ: XLV. CX. 1 Dan: IX. 17. Hoſ: I. 7. Jeſ: VI. I.

CCCXI. Quarto: illa loca in quibus de Deo agens Scriptura, *Sanctos* memorat & *Vigiles*, & *Altiſſimos*, & *Factores* & *Creatores*, & Eccleſiæ *maritos* & *Vitas* & *Judices* & *Propinquos*, *Revelatos* Hoſ: XII. I. Joſ: XXIV. 19. Dan: VII. 25. IV. 14. Jeſ: LIV. 5. Job. XXXV. 10. Eccl: XII. I. Deut: V. 26. Pſ: LV. 12. Deut: IV. 7. Gen. XXXV. 7.

CCCXII. Quinto: ea loca in quibus pii Deum ut plures alloquantur, ſic David promiſſione de Meſſia accepta הלכו אלהים 2 Sam: VII. 23. coll: 1 Chron: XVII. 21. אשר הלך האלהים לשום לך שם *quam perrexit Dii ad ponendum ſibi* in plurali Nomen חלך האלהים παρεφερίζει

appa-

Digitized by Google

apparuit Angelus à Jehova miſſus. Vide Paraphraſin à Beckio luci primum datam.

CCCXIII. Quis eſt qui non videat, aut nihil hæc dicere, aut prorſus torquenda eſſe, aut peculiarem quandam in Deo pluralitatem luce meridiana clarius probare.

CCCXIV. Imo tanta horum locorum vis eſt, ut in Judæis, non priſcis ſolum, verum & recentioribus, immenſum licet a priſca patrum fide defecerint, ſubinde veritatis hujus rudera reperias.

CCCXV. Quin & Sociniani hic animi in anguſtias redacti, argumenta produnt valde manifeſta. Quando, in operis ſocietatem, Deo angelos, cœlum, terram & neſcio quid non obtrudunt: aut vim, virtutem, effluxum, qui nec creatura ſit, nec tamen ipſe Deus, comminiſcuntur: id eſt, multa obſcura falſaque obtendunt, ut ne clariſſimis ſcripturæ verbis cedant dogmaque agnoſcant, quod falſum eſſe ſemel apud animum imprudentiſſimè ſtatuerunt.

CCCXVI. Nos divinæ infinitatis, mentisque noſtræ exiguitatis probe memores, pergimus, unum axioma nobis præſcribentes, *id quod ex verbo Dei aut ſana ratione clarum eſt & certum, nunquam in dubium vocandum, minus negandum eſſe, ubi deinceps quid occurrit, cujus cum priore verò aut difficilis nexus eſt, aut conciliatio; quin licet a nobis nulla excogitari poſſit.* Imprimis hoc firmiter tenendum eſt, quando à Deo, de Deo erudimur. Sufficit dicentis auctoritas, diſcentem licet captus deficiat, *captivandus*, ex præſcripto Apoſtoli, *in obedientiam Chriſti* 2 Cor: x. 5.

CCCXVII. Demonſtrata igitur Dei Unitate, nec minus clare detecta peculiari quadam in ipſo pluralitate, qualis ea ſit & qua ratione concipi a nobis debeat aut poſſit, oportet diſquiramus. *Qualis ea ſit examinatur.*

CCCXVIII. Eſt quædam in Deo perfectionum, eſt ἀξιωμάτων, eſt virtutum pluralitas. Nonnullas Petrus 2 Petr: I. 9. plures memorat Paulus 1 Tim: I. 17. VI. 15, 16.

Digitized by Google

Inſtar ſint juſtitia, gratia, miſericordia & ſimiles ſeu perfectiones, ſeu virtutes. Verum hæc pluralitas propriè in Deo non dicit *res*, imo ne quidem *modos* diverſos, ſed rem prorſus unam & eandem at diverſimodè conceptam: rem unam, at non unâ perceptione mentis cogitatam. Ea enim eſt mentis noſtræ anguſtia, ut non niſi diverſis actibus cogitet id quod in Deo perfectiſſimè unum eſt. Certe miſericordia & juſtitia nihil ſunt aliud, quam una eademque & ſimplex atque unica, adde, immutabilis ac perfectiſſima Dei volitio, diverſimodè à nobis concepta, pro ratione diverſitatis, quam in objectis & effectis unius ejuſdemque volitionis deprehendimus. Pariter & reliquæ perfectiones Dei comparatæ ſunt. Unica eſt & perfectiſſima eaque ſimplex Dei atque immutabilis eſſentia, pluribus conceptibus a nobis qualicunque ratione percepta.

CCCXIX. Hanc autem de qua in præſenti agimus in Deo pluralitatem.& diverſitatem longè ab iſta aliam eſſe, non una ratione conſtat.

CCCXX. Primo quidem nimis emphaticæ ſunt eæ quas §.CCCVII.CCCXV.phraſes adduximus,quam ut pluralitas mentis operationibus unice formanda iis faciat ſatis. Angelum memorat Sacra Scriptura. Deus de Angelo illo tanquam de alio loquitur, in medio illius angeli dicit eſſe nomen ſuum, peccata remittere aut non remittere hujus Angeli eſt; hic Angelus mittitur à Deo, hunc populus Iſrael à Deo expectat Exod: XXXIII. 14, 15. cum Mal: III. I. & alia nulla angelum inter & Deum de illo angelo loquentem, ut de eo loquentem, erit diſtinctio, quam qualis miſericordiam inter & juſtitiam deprehenditur. Jehova paſſim, apud Jeſaiam imprimis, provocat ad Jehovam, de ſe teſtantem tanquam de alio, & majus non erit teſtantem inter & eum de quo teſtatur & talia teſtatur diſcrimen, quam quod miſericordiam inter & juſtitiam deprehenditur. Tres erunt teſtificantes in cœlo, ut tria teſtificantia in terra, nihilominus quantacunque hæc inter differitas ſit; haud alia tamen Patris, Sermonis & Spiritus erit plu-

Digitized by Google

pluralitas, quam quæ miſericordiæ juſtitiæ & longanimitatis eſt. Quis, niſi præjudiciis penitus excœcatus, hæc talia ſomniet?

CCCXXI. Secundo: ipſæ illæ denominationes, quibus hæc plura, ſic hactenus loquimur, ut ab invicem diſcreta exprimuntur, hanc fictionem nulla ratione patiuntur. Eſſe Patrem & Sermonem & Spiritum. Eſſe εἰκόνα, eſſe χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρός. Eſſe Filium & Germen & Fructum & Unigenitum & Primogenitum Col: I. 15. Hebr: I. 3. Pſ: II. 7. Zach: VI. 12. Mal: I. 12. I Joh: I. 14, 18. III. 16. I Joh. IV. 9. Majus quid procul omni dubio inferunt, quam quale inter divinas virtutes, juſtitiam inter & miſericordiam diſcrimen, pariter agnoſcimus.

CCCXXII. Tertio: operationes ſingulis nimis diverſæ tribuuntur, quod, ſi hujus pluralitatis œconomiam paulo fuſius tractaremus abunde pateret, quam ut aliam non inferant, ab aliquoties nunc exploſa, pluralitatem.

CCCXXIII. Quartò: iſtiuſmodi iſtorum plurium ad ſe invicem relationes paſſim in ſacris memorantur, quæ nos cogunt, ut de alia pluralitate hic non cogitare prorſus non poſſimus. Eſſe Filii Patrem, eſſe Patris Filium, & iſtiuſmodi Filium, qui genitus dicatur Pſ: II. 7. cui æternæ competant egreſſiones Mich: V. I. qui fuerit in ſinu Patris; qui Patrem ut Deum, ut Judicem, ut Dominum, ut Regem agnoſcat; qui mittatur à Patre, Patrem adoret: cui Pater judicium deferat: qui ſublex evadat, non evadente ſublege Patre; cui à Patre peccatorum loco peccata imputentur, pœnæ infligantur; Filius qui Patris heres eſt & angelus; qui Sponſor eſt æterni teſtamenti, quod Pater teſtator condidit: quid plura? Spiritus qui Patris & Filii Spiritus eſt, quem Filius à Patre mittit; qui preces in nobis ad Patrem excitat per Filium, taceo reliqua: hic inquam P. F. & S. S. alia procul dubio ratione à ſe invicem differunt, quam, quæ prorſus idem, mentis ſolum fictione diſcernuntur. Certe eas ille Pater ad iſtum Filium, hic F. ad illum P. &

Digitized by Google

Spiritus Sanctus ad utrumque relationes habet, quibus alia longe ratione & diverſi & plures ſint, quam qua toties jam memoratæ perfectiones ut plures concipiuntur.

CCCXXIV. Quinto: iſtiuſmodi characteres in ſingulis notantur, ut prorſus evaneſcat, cum quo in præſens confligimus, effugium. Videſis quæ de iis poſtea dicemus.

CCCXXV. Sexto: quod bene notandum venit, pluralitas illa, quæ ex diverſa aliarum perfectionum divinarum conceptione exſurgit, indefinita prorſus & indeterminata eſt. Nimirum unus majorem collegerit ex S. S. & ſana ratione iſtiuſmodi perfectionum numerum, minorem alius; quin quo quis propius Deum in Chriſto intuetur, eo plures ipſum iſtius gloriæ radii circumcingent; eo magis mentis ſuæ experietur finitatem, pluresque diverſos de illo infinito conceptus ſibi ſuboriri experietur. Nullibi hæc determinata pluralitas eſt. Hinc alia longè ea de qua hic agimus & immenſum diverſa ab illa eſt. Hæc enim determinata eſt prorſus, adeo ut non ſolum ea quæ plura ſint ſigillatim exacte recenſeantur, nec plures unquam deprehendantur nec pauciores, verum & unà ſumtarum numerus expreſſe addatur. Huc loca quæ trium in Deo claram faciunt mentionem, tum ter repetito Dei nomine, tum alias. Num: VI. 24-26. Deut: VI. 4. Exod: III. 15. Joſ: XXII. 22. Pſ: LXVII. 6. 7. 8. L. I. LXXII. 18. CXXXVI. CXXIII. Dan: IX. 19. Jeſ: VI. 3. coll. VIII. 5. Jehova dicit quid dominus facturus ſit, & id narrat Emmanueli. XXXIII. 22. XLVIII. 16, 17. Hag: II. 6. Zach: I. 3. Apparitionem Abrahamo factam etiam huc pertinere cenſet Auguſtinus, breviter & accuratè rationes notavit Juſtus Soldanus in Concionibus Caſſellis juſſu Sereniſſimæ Land-Graviæ coram Judæis habitis p. 105. Subdens hæc A. E. verba *Jehova ſunt tres viri, & tamen tantum unus, & diſcerpi non poſſunt*, quæ tamen ipſe haud repperi. 2 Sam: XXIII. 2, 3. Deus Iſraelis,

Ru-

Digitized by Google

Rupes Iſraelis & Spiritus Jehovæ diſtinctè memorantur. Sic & Jehova & Verbum & Spiritus Jehovæ Hag: II. 4, 5. Porro Angelus faciei & Jehova & Spiritus Jehovæ Jeſ: LXIII. 9--14. Jehova miſit me ait Filius Dei & Spiritum ejus Jeſ: XLVIII. 16. Verbum Spiritus oris & Jehova cujus Verbum ὁ λόγος ſit. Pſ: XXXIII. 6. Huc in N. T. Mat: III. 16, 17. XXVIII. 19. Joh: XIV. 16. XV. 26. 1 Cor: XII. 3. 2. Cor. XIII. 13. Galat: IV. 6. Eph: II. 18. III. 14, 16. 1 Petr: I. 2. Tit: III. 5, 6. Apoc: 4, 5, 6. *Tres ſunt qui teſtificantur in cœlo*, exertè 1 Joh: V. v. 7. Trinitatem igitur jam didicimus: peculiarem illam in Deo pluralitatem, quæ nec major ſit numero ternario, nec minor. Qualem, ratione aliarum perfectionum, reperias nullibi.

CCCXXVI. Denominationes quibus hæc plura, hæc trina in Deo exprimuntur potiſſimæ ſunt, & clariſſimæ, quæ & paſſim in Novi Teſtamenti ſcriptis reperiuntur, Patris Filii & Spiritus Sancti. *Denominationes iſtorum trium in Deo maximè uſitatæ in N. T. ſunt* Pater *Filius &* Spiritus Sanctus.

CCCXXVII. Tempore priore alias quoque eccleſia ex S. Scriptura didicit. Sed haſce reliquis fundamenti loco ſubſtruere viſum eſt, quippe in fine dierum, myſterio Dei clariſſimè detecto, ipſoque Deo cum eccleſia agente familiarius, Spiritui Sancto ſæpiſſimè adhibitas. Si cum Judæis nobis res eſſet, alia quidem hac in parte via progrederemur, verum cum & Theologiam Novi Teſtamenti, adeoque ſignate Chriſtianam doceamus, & ſparſim ea de hoc quoque argumento dicamus, quæ, Judæis convincendis, divina auxiliante gratia, ſufficere poſſe videantur, liberum erit, haſce denominationes ad cogitationes noſtras exprimendas ex S. S. præ aliis uſurpare.

CCCXXVIII. Hiſce autem vocabulis præ aliis utimur, primo quidem quod tempore N. T. quo hoc non minus, quam multa alia religionis myſteria, majori in luce poſita ſunt, & in ſcriptis Euangeliſtarum atque Apoſtolorum hæ notiones longè ſint uſitatiſſimæ, quin in ipſa *Ex præ aliis quare ſelectæ*

Chriſtianorum initiatione Deo ut Patri Filio ac Spiritui Sancto conſecrantur, adeo ut, quod olim ter repetito Jehovæ nomine fieri ſolebat, id hoc tempore hiſce vocabulis ad impetrandam Dei benedictionem numen adoretur I. Cor: XIII. atque ita populo quaſi imponatur.

CCCXXIX. Secundo: quod quam clariſſime videantur exprimere myſterii hujus rationem: ut ut enim a rebus finitis, ut omnia alia, & corporeis mutuata ſint, proximè tamen a propriiſſimis, quæ hac quidem in parte uſurpari poſſent, abeſſe videntur: quod ſequentia conferenti clarum erit.

CCCXXX. Tertio: quod ceterorum vocabulorum de hoc argumento uſurpatorum vis & ſignificatus omnis commodiſſime ad eos conceptus revocari poſſint, quos hiſce in nobis excitari deprehendimus.

CCCXXXI. Quarto: omnes characteres quibus perſonæ S. S. Trinitatis ab invicem differunt pariter optime tribuuntur Deo ut Patri, ut Filio, ut Spiritui denique Sancto conſiderato.

CCCXXXII. Quintò: notatu dignum eſt, quod quæ de Oeconomia S. S. Trinitatis adeoque operibus Oeconomicis in Novo potiſſimum Teſtamento clariſſime exponuntur, ad Trinitatem, hiſce vocabulis expreſſam, peculiarem habeant rationem; adeo ut quando Deus ut Pater conſideratur, qui habeat Filium, qui cum ipſo unus Deus adeoque unum ſit, & ſic porro, lucem fœnerentur & emphaſin, quæ de operibus à Triuno Deo in exequendo æterno Teſtamento in ſequentibus dicentur.

Ex Denominationibus Patris Filii & Sp. Sancti Trinitas apparet.

CCCXXXIII. Primo igitur harum denominationum rationem & fundamentum diligentius paulo inveſtigabimus, aliis vocabulis huc facientibus porro ſubditis, quæ jam antea recenſuimus: deinde præmiſſo proprietatum characteriſticarum examine, quas vocant, ad ipſius veritatis demonſtrationem tranſibimus, ſubjuncturi quæ de Oeconomia Trinitatis, fidei-

Digitized by Google

fideique hujus dogmatis utilitate ac neceſſitate tenenda ſunt: tandem diſquiſituri an in iis, quæ extra ac citra Sacram Scripturam de Deo cognoſci poſſunt, illius veſtigia & quænam reperiantur.

CCCXXXIV. Denominationes igitur illæ ſunt Pater Filius & Spiritus Sanctus. Patrem alicujus eſſe & Filium, dicit unius ex alio originem per generationem. Hæc eſt productio alterius cujuſdam individui, ſed quod ejuſdem ſpeciei ſit. In humanis ita ſe res habet, ut Pater tota ſui ſubſtantia atque eſſentia alius ſit à filio, filius viciſſim alius à patre. Quale quid cum, niſi ſubvertamus eſſentiæ divinæ unitatem, in Deo locum habere non poſſit; neceſſe eſt, ut ingentem hic diverſitatem inter divinam agnoſcamus generationem atque humanam. Ob infinitatem, omniſufficientiam & omnimodam perfectionem Dei, quemadmodum fieri non poteſt, ut ipſa Dei eſſentia ſit multiplex, ſic non repugnat, quo minus idem Deus certa ratione ſit multiplex, eſſentiâ manente quam maxime unâ, atque unicâ. Potuit ab omni æternitate pater, ſe ipſum contemplatus, voluiſſe ſui in ſe ipſo eſſe æternùm ſubſiſtentem imaginem & characterem. Actualem cogitamus & actuoſam ſui perceptionem. Quæque adeo ſit eadem eſſentia Dei ſecundùm ſubſiſtens & operans. Merito generationis à S. S. vocabulum hic adhibetur, quippe quæ & conceptione, licet corporea, fiat: quemadmodum hanc conceptione ſpirituali factam credimus. Theſibus aliquot, quæ hac de re dici poſſe ac debere videntur, complectemur.

Quid in Deitate dicat eſſe Patrem.

CCCXXXV. Primo quidem Pater dicitur ratione filii diverſa prorſus ratione, ab ea qua aut hominum dicatur aut angelorum pater. Hinc Filium compellans ei dediſſe dicitur διαφορώτερον ὄνομα quam quo ullum angelorum unquam conpellavit Hebr: 1. 4. 5. Hinc demonſtratus dicitur filius Dei *in potentia* ἐν δυνάμει, adeo ut tali & tam valido ſignificatu filius ſit, quamvis illius vocabuli patitur. Rom: 1. 3.

Secun-

Digitized by Google

Quid eſſe Filium. CCCXXXVI. Secundo Filius, dicitur eo quod genitus ſit à Patre; & ea generatione quæ I æterna ſit Mich: v. 1. adeo ut licet Filius ſit, pater tamen æternitatis cluat Jeſ: IX. 5. 11. ipſi ſingularis: nemini enim angelorum unquam aut dixit, aut dicere potuit, *tu es filius hodie genui te* Hebr: I. 5. Hinc & unigenitus paſſim appellatur Joh: I. 14. III. 16. adeo ut, licet primogenitus audiat, pari tamen ratione alii geniti non ſint. Eſt enim ita primogenitus ut & unicus ſit & unigenitus. III. ita eſt Filius & à Patre diſtinguitur tanquam Filius, ut tamen unum ſit cum Patre I Joh: v. verſ. 8. Joh: X. 30.

CCCXXXVII. Sint igitur ſigna ex quibus Patris ille Filius nec non ejus Filiatio appareat & demonſtretur. Unica tamen eſt & princeps hujus denominationis ratio, nimirum quod Pater ipſum genuerit ab omni æternitate. Non ſine inſigni miraculo concepta & nata ex virgine humanitas; nec minus mira ex mortuis reſuſcitatio & ſimilia abunde produnt & probant eum eſſe Dei Filium, non faciunt tamen ut ſit. Characteres ſunt quibus nobis innoteſcat, non id tamen cujus vi Pater & Filius Patris Filius ſit. Fuit enim ante ea omnia, & Filius fuit. Fuerat in ſinu Patris Joh: I. 18. antequam in mundum mitteretur: fuit uncta ab æterno ſapientia, quæ, quod de λόγῳ pariter aſſeritur. Joh: I. 2. erat apud Deum Pſ: XXXVI. 10. VII. 11. antequam terra fundaretur Prov: VIII. 22—30.

Quid eſſe Sp. S. CCCXXXVIII. Spiritus Sancti mentio fit præter Patrem & Filium. Deus eſt Spiritus ut Scenogr: Cap. III. §. 9. 10. diximus: verum quemadmodum Filius dicitur Deus æternùm à Deo Patre genitus; ſic & Spiritus Sanctus dicitur idem Deus, ſed conſideratus, ut qui tanquam ſpiratus ſit a Patre & Filio. Nimirum Deus Pater qui Filium genuit, ſi liceat ita ratiocinari, ſui characterem atque imaginem amans in Filio, Filio eundem hic circa ſe ut Patris imaginem actum exerente, una cum Filio fecit eſſe Spiritum Sanctum: qui proinde Spiritus & Flamen appellatur.

Digitized by Google

tur. Porro Filii non minus, quam Patris Spiritus. Sanctus autem audit, non tantum quod eadem Sanctitas, quæ Dei in universum, quæ Patris & Filii eſt, de qua antehac, pariter ſit Spiritûs; verum imprimis. 1. quoniam, ipſius eſt ſanctificare peccatorem; 2. quoniam voluntatis proprie, perfectique & mutui Patrem inter & Filium amoris, quaſi proventus eſt. Vereter hoc vocabulo uti, niſi נין diceretur Filius, & צמח id eſt, *germen*, *proventus*.

CCCXXXIX. Quid enim impediat, quo minus *proventum* & *germen* Patris & Filii dicam Spiritum S. quam Filium proventum & germen Patris? Eſt germinis ac proventus alia longe, quam vocabuli Filii ratio: hoc enim non ortum tantum denotat in genere, ſed & peculiarem ortus atque egreſſionis modum, quo, non *germen* tantum eſt, & *proventus*, ſed & Filius. Adeoque ita *egreſſus* ab omni æternitate ex Patre, Mich. v. 1. ut nativitatis rationem habeat egreſſus ille. Unde, licet germen & proventum Patris ac Filii dixerim, & egreſſum ex Patre & ex Filio, *genitum* tamen aut *Filium* appellare non poſſim. Præterea egreſſus Spiritus S. cum ſit ex Patre non ſolum, verum & ex Filio, generatio dici non poteſt: neque Spiritus S. ſed ſolus Filius genitus.

CCCXL. Atque ita, explicata iſtarum denominationum vi, aliquatenus patet Pluralitatis hujus & Trinitatis, ratio, ad cujus contemplationem ſatius eſt pedetentim ita evehi, ut vocabula ipſi Spiritui Sancto uſitata, cogitationes nobis hoc de argumento ſuggerant atque inſpirent; quam ut *ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις*, nos ſeduci, aut inani Scholaſticorum terminorum vento inflari patiamur. Hic, ſi ullibi, decet, *μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν*. Rom. XII. 3.

CCCXLI. Subdimus, quod nos facturos §. CCCXXIII: ſumus polliciti, vocabula, ſignatè huc facientia. Sunt autem ea non unius generis: nonnulla ipſam Deitatem, ut ita loquar, atque eſſentiam propriè exprimunt; alia Deum ut P. F. aut ut Spiritum S. denotant, de quibus egimus hujus capitis. §. v.

Vocabula quibus Spiritus Sanctus utitur. Vel ipſam Deitatem notant.

CCCXLII. Eaque proprie non peculiarem hanc

aut illam perſonam exprimunt, aut adeas, ſeu univerſas, ſeu ſingulas, explicitè reſpiciunt; ſed ipſam eſſentiam notant perfectiſſimam, eamque ita perfectiſſimam, ut ſufficiens ſit ſubſiſtere tribus modis. Id eſt, cujus eſſentiæ, ut ut unicæ, ea ſit exſuperantia, ut poſſit eſſe Patris, Filii, & Spiritus S.

CCCXLIII. Quod propterea addimus, ne quis putet nos oblitos illius eſſe, quod Ichnographias §. CXLIX. ita ſerio contendimus, nimirum *quicquid de Deo, de nominibus, de decretis, de cunctis denique operibus Dei dici aut diſci poteſt, huc omne recidere*, ut doctrinam de Trinitate, & conſilio gratiæ, ſupponat atque innuat.

CCCXLIV. Et ſane de יהוה & אהיה res aperta eſt. Non enim cujuſcunque generis vocabula ea ſunt, quæ qualicunque modo Deum denotent, ſed & nomina propria; quæ, primo licet & reſtricto ſignificatu ſumi poſſint, ut ipſam eſſentiam ſignificantia, abſque ulla ad P. F. & Sp. Sanctum, adeoque hoc myſterium immediato & directo reſpectu; Eſſentiam tamen ita ſufficientem innuunt ut §. CCCXLII. vidimus. Et palam eſt, eorum, uſum Scripturæ ubi reſpexeris, emphaſin non rectè aſſequi, niſi qui admittant utramque hypotheſin.

CCCXLV. Quin imo, ſi eorum unum atque alterum, quæ adferuntur, ut ipſam eſſentiam primum denotantia, probè examinaveris, reperies & in iis fere idem obtinere, quod in יהוה & אהיה / aliiſque nominibus Dei propriis novimus. Unde & nonnulli τὸ הוא nominibus propriis accenſent. Jer. XIV. 22. *Nonne tu ille?* הלא אתה הוא / nimirum qui ſuperas idola & objectum es noſtræ expectationis? ונקוה לך & *expectamus te.* Moſes Deut. XXXI. 8. ויהוה הוא הוא יהיה עמך *Jehovah ille, ille tecum erit.* Deut. XXXII. 39. אני אני הוא ואין אלהים עמדי *ego ego ille, & non eſt Deus præter me*, vult pro *illo* agnoſci & coli ab Iſraele. Hinc Achazo, אדני הוא / Dominus qui הוא *ille* eſt, *ille* dabit ſignum. Jeſ. VII. 14. Sic Deus erecturus & confirmaturus ſpem Iſraelis, ועד זקנה אני הוא & ad ſenectutem *ego ipſe*. Jeſ. XLVI. 4. Adde XLVIII. 12. Judicia quoque populo ſuo

ipſe

Digitized by Google

ipſe ille infligit. Jeſ. LXIII. 10. Filius Dei de ſe in carne comparituro. Jeſ. LII. 6. *propterea ſciet populus meus nomen meum, propterea in die illa,* כי אני הוא המדבר הנני *Quòd ego ipſe, qui loquor, eſſe me.* Pſ. XLIV. 5. אתה הוא מלכי אלהים *tu ipſe Rex meus Deus, qui mandas ſalutes Jacob.*

CCCXLVI. Nimirum ipſe Deus, non per alium, aut in alio, futurus erat Iſraeli Deus, Rex, Iudex & omnia. Hoc innuere videtur paſſim illud הוא / contra, quam crediturus erat carnalis Iſrael tam Veteris, quam N. T. qui à *non ipſe*, à non-Jehovah, erant expectaturi ea, quæ ipſe fieri voluit credentibus. Nec Deus *nobis* תושיה *res, ſubſtantia*, foret, niſi & triunus eſſet, & Conſilium condidiſſet gratiæ. Unde ſignatè Filius id ſibi vindicat Prov. VIII. 14. אני בינה לי גבורה לי עצה תושיה *mihi conſilium, Res, ego Intelligentia, mihi robur.* Adde Job. V. 12. Mich. VI. 9.

CCCXLVII. Quæ Deum in S. Scriptura ut Patrem, aut ut Filium, aut ut Sp. S. reſpiciunt vocabula, ſunt aut tribus, ut ab invicem diſtinctis, *communia*, ut פנים in V. & ὑπόστασις in N. T. aut huic vel illi ex iſtis tribus propria. Hæc autem, vel ſunt ipſas perſonas ſpectantia, vel earum functiones peculiares ſeu *œconomicas*, vel mixta. Ipſas perſonas ſpectant in V. אב ניב צמח בר בן רוח עמית בכור אמון חכמה ינון יצר ילד in N. T. *υἱός, πνεῦμα.* *Vel Deum aut ut Patrem, aut ut F. aut ut Sp. S.*

CCCXLVIII. De ſingulis breviter. Et primò, quæ omnibus communia. פנים Id ſignificat propriè rei faciem, ſpeciem, adſpectum, ſuperficiem, qua nimirum res incurrit in oculos. Divina autem majeſtas, ut cognoſcatur quemadmodum ſe nobis revelavit, non unâ tantum, ſed tanquam diverſa ſub ſpecie, atque adſpectu videnda conſideranda venit. Hinc Pater ſibi faciem tribuit, quæ ſit ipſe Filius, ut vidimus Cap. II. §. III. Habente Patre faciem, quæ ſit ipſe Filius, imò faciem a ſua facie diſtinctam, quippe Patre nobis peculiare quid quaſi obvertente & quod a Filio diverſum ſit, ac vice verſa. Subinde quidem hoc vocabulum de Deo ita uſurpatur, ut eum denotare videatur, quemadmodum, abſque conſideratione hujus vel illius per- פנה

ſonæ, mente adſpici, id eſt, certâ quadam perceptione cognoſci poteſt; atque adeo id, quod de Deo palam cognitum eſt, & in oculos quaſi menteſque incurrit Gen: III. 8. IV. 14. Exod: IX. 30. X. 3. Nonnunquam ipſam Dei eſſentiam: *Nemo videbit faciem meam & vivet* Exod. XXXIII. 20. niſi malis eo hæc ſenſu accipere: hoc tempore, ſub hac Oeconomia nemo videbit *Filium meum*, ita ut eum, & me in ipſo, clarè cognoſcat, nim: in hac vita. Deponendum foret hoc corpus peccati, & in cœlos ingrediendum, ut eo pertingeres felicitatis. Nec ratione hæc carent, ſiquidem & in hac vita viſa ſæpius facies Dei jam antea Gen: XXXIII. 10. *facie ad faciem* Exod: XXXIII. 11.

CCCXLIX. Verum quemadmodum Deus ſe propius nonnullis revelare voluit, ut, qui ipſum ita cognoſcant atque intueantur, dici poſſint *faciem Dei videre*, ita illud ipſum quo propius cognoſcitur, faciei, adſpectusque rationem habet, unde illud avertere & abſcondere, & opponere, eſt avertere & abſcondere & opponere פניך *faciem* Deut: XXXI. 17, 18. XXXII. 20.

CCCL. At cum in Chriſto ſe cognoſcendum præclariſſime præbeat, hinc Filius Dei ſignate facies ejus appellatur Exod: XXXIII. 14.

CCCLI. Utut Patri facies tribuatur, ibi quoque, ubi a Filio & Sp. Sancto diſtinguitur. Sic Gen: XVIII. 22. dicitur, Abrahamum poſt diſceſſum duorum angelorum, qui ſunt F. & Sp. S. *manſiſſe ſtantem coram facie Jehovæ.* Præterea cum & gratiam ac favorem ſuum communicet unice in Filio inde eſt, quod, favorem Dei experiri, dicatur, Dei Filium ſeu Dei faciem videre Gen: XXXIII. 10. *tanquam ſi Dei faciem vidiſſent.* Sic favorem alicui negare, eſt *abſcondere faciem* Deut: XXXI. 17 18. XXXII. 20. De Judæis, poſt Chriſtum cruci adfixum, & penitus rejectum, dicitur, faciem Dei ipſis fore abſconditam: id eſt, illum, in quo unicè Deus rectè cognoſcitur, in quo Deo unicè fruimur, non cognoſcent. In Chriſto unice adorandus eſt Deus, hinc ejus adorari & quæri dicitur *facies*, quando rectè adoratur Pſ:

Digitized by Google

xxvii. Exod: xxxii. 11. 1 Sam: xiii. 12. 2. xxi. 1. 1 Reg: xiii. 6. 1 Chron: xvi. 11. 2. vii. 14. 2 Reg: xiii. 4. Chriſto omne competit judicium, hinc Deus *faciem ſuam ponere contra animam* dicitur illius, cui iraſcitur Lev: xvii. 10. xx. 3. 5. 6. xxvi. 17. Ignis devorans dicitur veniſſe a *facie* Lev: ix. 24. x. 2. Confer 2. Chron: xix. 2. 1 Reg: ix. 7. 2. xiii. 23. xvii: 18. xxiii. 27. xxiv. 3. 20. 2 Chron: vii. 20.

CCCLII. Atque ita diſturbari à facie Dei, eſt puniri & à communione cum Filio Dei rejici Jud: v. 5. Chriſtumque ſeu fidem promiſſionis de Chriſto factæ, & communionem eorum, qui ea fide vivunt, deſerere, eſt *exire à facie Jehova* Gen: iv. 16. Sic templum, deſinens eſſe typica inhabitatio שכינה / dicitur rejici ab eadem facie Jehovæ 2 Chr: vii. 20. quippe non amplius in eo habitante Filio, cujus erat *habitare inter humeros Benjamin* Deut: xxxiii. 12. Quin terra Canaan fuit terra Immanuelis Jeſ: viii. 8. adeoque terra, Filio, Faciei Jehovæ erat acquirenda, hinc Num: xxxii. 20, 21, 22. à coram facie Jehova expellendi Canaanitæ, & *terra coram facie Jehova*; id eſt, coram Filio Dei habitanda. 2 Reg: xxii. 19. *plorаſſe coram facie Jehova* dicitur Joſias. Sic Jehova jubet, ut ſumatur ignis *à coram facie Jehova* nim. habitante inter Cherubinos Lev. xvi. 12. xxii. 3. Num: xvi. 46. xvii. 9. xx. 9. 1. Sam: xxi. 6. 1 Reg: viii. 25. 2. Chron: vi. 16. Neh: iv. 5. Non vacat omnia notare. Id certum eſt, ſcatere illiuſmodi loquendi modis ſcripta V. T. emphaſin verò tum demum habituris, ubi filium Dei, qui ejus facies dicitur, cogitaveris. At notatu dignum eſt, in ſolenni benedictione Sacerdotali Num: vi. 24, 25. ter repeti non ſolum nomen Jehovæ, ſed Jehovæ ſecundo, & tertio loco memorato, ſignatè faciem tribui: ut non Filio tantum, ſed & Spiritui Sanctò facies adſcribi videatur.

CCCLIII. Deus Filius peculiarem ſui, ut à Patre diſtincti, in nobis non excitat perceptionem, niſi ſe menti noſtræ (liceat ita balbutire) peculiari ſub ſpecie dicam an adſpectu offerat; hoc ſignatè eſt vultus, ſpecies, facies Fi-

Digitized by Google

lii Dei, cui proinde facies quoque, quæ ſignatè ipſius ſit, tribuitur. Num: x. 35. 36. Non arcam, ſed arcæ ſignificatum, & ſub arcæ quaſi umbra deliteſcenti Dei Filio dicitur: *diſſipentur inimici tui & oſores tui fugiant à* FACIE TUA. Exod: xx. 3. & Deut: v. 7. *non habebis Deos alienos coram* FACIE MEA ſunt verba angeli qui in rubo locutus erat Act: VII. qui eſt Filius Dei, redemtor Iſraelis. Adeoque is demum faciem, adſpectum, vultum, ut ita loquar, Dei, quibus cognoſcendus eſt ad vitam æternam, videt, qui hoc myſterium didicit 2 Cor: IV. Col: II.

Ὑπόϛασις. CCCIV. Ὑποϛάσεως vocabulum a priſcis Græcæ eccleſiæ doctoribus pro perſona ſumptum fuit, adeoque tres in Deo agnitæ fuere ὑποϛάσεις, &, licet Ariani per tres ὑποϛάσεις ſubdole intellexerint tres ȣσίας, ut ita ὁμοȣσιότητα Filii cum Patre ſubverterent, *totaque ſecularium literarum ſchola nihil aliud per* ὑπόϛασιν *niſi* ȣσίαν *notet*. Hieron. Ep. LVII. ad Damaſum. Ut Latini, ὑπόϛασιν pro ſubſtantia accipientes, unam dixerint ὑπόϛασιν, quam litem diremit Synodus, Alexandriæ, præſente Athanaſio, habita: paſſim tamen Græci Veteres non pro perſona tantum accipiunt, verum & ſignate pro eo, quo Pater à Filio, F. a P. & Sp. Sancto, & Sp. S. à P. & F. diſtinguitur: quo quidem ſenſu a Platonicis non ſumi, neque a LXX. haud inficiamur: priſcos tamen Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores eo ſenſu uſos hoc vocabulo eſſe, non dubitaverit, quiſquis legerit egregiam Epiſtolam Baſilii ad Gregorium numero XLIV. quæ inſcribitur περὶ διαφορᾶς ὀυσίας καὶ ὑποϛάσεως, Conſtabit ὑπόϛασιν τὰς ἰδιότητας, ȣσίαν τὴν φύσιν ſignificare. *in Trinitate idem eſt* ὑπόϛασις *quod* ἰδιότης *&* πρόσωπον Budæus. Hinc Dionyſius ἑνάδα τρισυπόϛατον memorat, & Chryſoſtomus τρισυπόϛατον θεότητα Homil. CXL. Tom: v. Hebr: I. 3. idem vocabulum occurrit, Patrique tribuitur, illiuſque χαρακτὴρ dicitur Filius, ſeu expreſſa quaſi imago: ἐικὼν igitur, non hujus, aut illius divinæ ideæ peculiaris, ſic ſigillatim conſideratæ; non hujus aut illius virtutis, ſed ὑπόϛασιν τȣ̃ πατρός. Sive jam per ὑπόϛασιν quis hic intelligat Patrem,

ut

Digitized by Google

ut denotet Eſſentiam Dei primo modo ſubſiſtentem ſeu characterizatam; ſive ipſum id quo Pater Pater eſt; perinde erit, modo, incolumi eſſentiæ unitate atque identitate, maneat diſcriminis Patrem inter & Filium ut tales, ſufficiens ratio. Patris χαρακτὴρ dici poteſt ut Patris, eo ſenſu, quo, ut Pater habet vitam in ſeipſo, ita & filio dederit vitam habere in ſe ipſo. Non enim expreſſio eſt ſubſiſtentiæ ſed ſubſiſtentis, licet idem ſit cum patre ſubſiſtens. Eſt igitur χαρακτὴρ hic unum cum eo cujus eſt χαρακτὴρ, licet ab eo differat ut χαρακτὴρ, a re cujus character eſt. Verum & peculiaris ratio videtur, quod non dicatur, reſpectu ὑποστάσεως unum cum Patre, ſed χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως. Siquidem peculiare quid, & quod, cum eſſentia & re extante, non prorſus atque omni ratione idem ſit, denotare palam videatur. Atque hic lubentes ſubſiſtimus. De vocabulo Latino *perſona* non multis diſſeremus. Uſu jam invaluit, ut in hac materia uſurpari ſoleat, & ſignificet eſſentiam Dei, primo aut ſecundo aut tertio modo ſubſiſtentem.

CCCLV. Vocabulorum, quæ huic aut illi SacroSanctæ trinitatis, id eſt ſeu Patri, ſeu Filio, ſeu Sp. Sancto priva & propria diximus, primum ſit בֵּן Jeſ: ix. 5. Pſ: ii. lxxii. Prov: xxx. 4, 5. Ezech: xxi. 10. 2 Sam: vii. 14. ὃ vertunt paſſim υἱός, nonnunquam σπέρμα Deut: xxv. 5. 1 Chron: xvi. 13. οἶκος, ἄρσην, ἀνήρ, ἄνθρωπος, παιδίον, παῖς, τέκνον. Vocabulum Hebræum à בנה ortum habet, adeoque e parentibus exſtructum, atque ædificatum ſignificat, ceu per quem conſtruant familiam. Certe & a Patre eſt Filius, & ex ipſo oritur omnis ſpiritualis Dei familia. Eph: iii. 15. Primum hujus denominationis fundamentum videre eſt Pſ: ii. 7. Dicit Deus Pater *tu es filius meus, hodie genui te.* Sive enim verbum illud *genui* ita accipias, ut connotet ea, quibus, non uno tempore, & ratione ac modo, palam fecit, id quod factum ab omni æternitate fuit; ſive ut denotans potius unicè ipſam æternam generationem, eodem res redibit. Id ſane hodie, quod ſem- בן

Digitized by Google

ſemper hodie dici abſque ulla mutatione poteſt, næ id æternitatem procul dubio denotat, quippe quæ unica ſit abſque momentorum ſucceſſione duratio, & perennitas. Certe qui ab æterno & in omnem æternitatem eſt, & genitus eſt, de eo nunquam non dici a patre poteſt, *hodie genui te.*

ילד CCCLVI. Hæc generatio, ut ſcitè Theologus, eſt proceſſio *ἀπαυγάσματος* ſive *refulgentia* à claritate, & *χαρακτὴρ* ab *ὑποστάσει*. Hebr: I. 3. ילד matribus quidem potiſſimum convenit, ut quæ immediatè hominem ex ſe edant, patribus paſſim הוליד q. d. *parere facere*, ſeu alii exiſtere fœcunditatis cauſam, quod autem cum in hac generatione locum non habeat, merito hoc vocabulo utitur Pater, ſiquidem filii immediatum ex ſeſe ortum exprimere accuratius poſſe haud videatur Prov: VIII. 22. Mich: V. I Joh: I. I. De Meſſia hæc olim a Chriſtianis intellecta ipſe Alkoranus teſtis eſt. Quin & Judæos olim ſic accepiſſe, fatetur R. D. K. Imo Raſi expreſſe dicit, interpretes hæc de Meſſia accipere, addit, ſatius tamen eſſe ut de Davide accipiantur, quo melius ſolvatur argumentum המינים hæreticorum, Chriſtianorum.

בר CCCLVII. Eodem Pſalmo ſecundo occurrit vocabulum בר juxta Schind. a ברר elegit, Sam: XVII. 8. adeoque בר eſt *filius* Prov: XXXI. 2. *dilectus*, non ſecus, ac ſi eſſet a חבר ait Glaſſius Onomatol. p. 15. Eſt ſane Chriſtus חביר *electus* ille Jeſ: XLII. I. quo in loco Jonathan addit משיחא *Meſſias filius Dei dilectus* Matt: III. 17. XVII. 5. id huic vocabulo peculiare eſt, quod in plurali non reperiatur, ſecus licet ſentiat Schindlerus, unus eſt atque unicus בר Dei. Chaldæum adeoque peregrinum vocabulum. *Alloquitur Deus hoſtes & eccleſia & Chriſti, Chaldais non diſſimiles.* Camero. Filius Dei multis futurus erat בר a בריתא extraneitate, quippe extraneus, exul, peregrinus, ignotus, ſpretus.

צמח CCCLVIII. Huc facit vocabulum צמח & ניב pro priore Græca Verſio habet *βλαστὸν* germen Jer: XXXIII. 15.

Dico

Digitized by Google

Dico Græcam V. non ὁ: quoniam in ὁ pars hujus Capitis deſideratur. Jonathan משיח הצדקא *Meſſiam juſtitiæ*, ἡ ἀνατολὴ Jer: XXIII. 5. Symmachus βλάςημα. Jonathan משיח דצדיקיא *Meſſiam juſtorum* Zach: III. 8. VI. 12. ἡ ἀνατολὴ alii ἀναφύη, alii βλάςημα. Chaldæus משיחא עבדי *ſervum meum Meſſiam* שמיה משיחא *Meſſias nomen ejus* שמיה צמח Jeſ: IV. 2. Alibi ὁ vertunt ἄνθος Jeſ: LXI. 11. ἰχὺς Hoſ: VIII. 7. ניב occurrit Mal: I. 12: commodeque iſtic denotat *proventum*, *fructum* nim. Jehovæ. cum quo communionem in altari, ipſius typo, habebant tanquam menſâ in qua ipſe apponebatur. Sunt qui *verbum* vertunt, recte quidem ſi rem ipſam reſpicias, ſed contextus ſenſum non ſatis bene adſequuntur. Utrumque manifeſtè innuit Chriſti ex Patre originem.

CCCLIX. De verbo ילד *pario* §. CCCLVI. diximus. יצא proprie egredi ſignificat, & prodire, ſignatè naſci Gen. x. 14. Job. I. 21. Prodijt, ortus, egreſſus eſt ex Iſraele Jer. XXX. 21. ex ſtipite Jeſſæ Jeſ. XI. 1. verum & egreſſus ὁ ἔξοδος ipſi adſcribitur, qui ſit מקדם imo מעולם id eſt ab initio, a diebus ſeculi, Mich: V. 1. Chaldæus משיחא יפוק prodibit Meſſias. De Chriſto ſermo eſt, ipſo Talmude in Chelck, quin & R. S. & K. & Abarbanele, teſtibus; patet receptam fuiſſe tempore Chriſti Judæis hanc ſententiam Matt. 11. 6. Joh. 1. 49. 11. 27. Mat. XXVI. 63. Joh. VI. 69. Celſus Judæum introducit dicentem προφήτης ἐν ἱεροσολύμοις πότε, ὅτι ἥξει θεῦ ὑιός. Illi *egreſſiones* tribuuntur: Plurali, juxta nonullos, nativitatis ſingularem excellentiam ſignificante: juxta alios, duplicem naturam nim. humanam & divinam; ni eam egeſſionem malis qua olim egreſſus eſt à Patre ad peccatores, quos adlocutus eſt, quibus plus ſemel comparuit, inque promiſſionibus, ac typis ſe conſpiciendum præbuit; eamque qua ab æterno egreſſus eſt ex Patre. Ceteroquin, notante id Joſ. de Voiſin, קדם ſignificat Judæis, imprimis Kabbaliſtis eſſentiam Dei, de Trinit. p. 33. & 34. Hinc ad חכמה *refertur hæc vox in Tikkun* Kabbala Denud. pag. 672.

 CCCLX.

ינון CCCLX. ינון juxta veteres, ne Talmudiſtis quidem exceptis, citant Pesachim Fol: 59. Nedarim Cap: IV. Fol: 39. & in Cod. Sanhedrin c. XI. Fol: 98. Chriſti nomen eſt Pſ. LXXII. 17. נין filium ſignificat Job: XVIII. 19. Gen: XXI. 23. Jeſ. XIV. 21. *Iinnon eſt nomen ejus*: tantundem erit, ac ſi diceretur, *ante Solem nomen ejus* eſt *Filius*, genitus, germen. Non jam demum is factus eſt, qui filius dici meretur; ante Solem eſt illud ipſius nomen. Et ſanè quadrant reliqua textus: ut, ita ſi accipias, clariſſimum ſit æternæ filiationis argumentum.

חכמה CCCLXI. חכמה Sapientia paſſim appellatur, imprimis Prov. VIII. quæ ſe genitam dicit *ab æterno ante omnem creaturam* חוללתי *formata* ſeu genita ſum. Verſu 24. 25. hinc & delicias ſe Jehovæ prædicat, ex priſco Hebræorum libro, *Porta Lucis*, iſta profert Voiſin de Trinitate pag. 32. *Hæc eſt ſapientia, quæ eſt prima productio cogitationis*, ראש *princeps emanationum*. metaphora à tenella puerorum infantia deducta שעשועים verſ. 30. hinc ילד שעשועים Jer. XXXI. 20. Confer Mat. XI. 19. Luc: VII. 35. XI. 49. Sane eſt filius ſapientia Patris non una ratione. Eſt productio, ut ita loquar, divini intellectus, ut & ille, in quo ſapiens decretum conditum eſt, quique ſapientiam Dei creaturis manifeſtam reddit.

אמון CCCLXII. Eadem אמון dicitur, quô propriè ſignificatur *filius in ſinu geſtatus* ἐγκόλπιος, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς *in ſinu patris* Joh. I. 18. εἰς pro ἐν paſſim. אומן is dicitur qui in ſinu gerit: Num. XI. 12. Jeſ: LX. 4. coll. LXVI. 12. Thren. IV. 5. *Nutritor* vertitur in Kabb. Denud. p. 57. diciturque referri ad Schechinah. Niſi malis τεχνίτην hic potius ſignificare, prout Synonymum אמן accipitur Cant. VII. 2. & in Targumim plus ſemel אומן opificem, artificem denotat: quater hoc ſenſu in ſacris occurit, hic, Jeſ: XLVI. 25. LII. 15. & Nah: III. 8. Certe de operibus creationis ſermo eſt Prov. VIII. 30. & accentu Rebhia vox אמון à præcedentibus diſtinguitur, ut commodè pro *nomine* acceperis. R. Levi b. Gerſon, citante

Mer-

Mercero, *nutrix omnia dirigens & gubernans*. ὁ ἁρμάζουσα *adaptans*, *componens*. Cholem quoque in ultima indicat naturam ſuæ originis ex Benoni Kal, adeoque activè potius accipiendum. Taceo quod generis maſculini ſit, adeoque in חכמה propriè non quadrat. Hinc accuratè pariter, ac emphaticè Lutherus Werkmeiſter. Lactantius: *eram penes illum diſponens*. Irenæus: *eram penes illam aptans*. Confer 2 Cor: VIII. 6. Joh: I. 3. Col: I. 16. Pſ. CII. 26.

CCCLXIII. בכור Primogenitus Pſ: LXXXIX. 28. ὁ vertunt πρωτότοκος, quod vocabulum retinet Apoſtolus Col: I. 15. præmittens illius denominationis fundamentum, nim: quod ſit εἰκὼν τοῦ ἀοράτου, ut non tanquam unus de creaturis, ſed præ iis ſit unigenitus pariter ac primogenitus. Alii *hoc nomen* בכור de Chochmah *Sapientia exponunt*: ſunt verba Kabb. Denud. p. 200. Chochmah autem *Primogenitum* appellari ibidem notatur ex R. Moſcheh. *Unde omnia primogenita ad Chochmah pertinent*. Exod: XXIII. 19. עמית Zach: XIII. 7. quæ vox proximum ſignificat; non quemvis ſed qui ſit vicinus, familiaris: quin juxta aliquem, cum aliquo, alter ipſe. Seu qui לעמת *è regione* ſtat Deo, Deo ſimilis, ipſius εἰκών. Chaldæus על שלטונא *ſuper principem* &c: dilutè ὁ, V. V. *virum cohærentem mihi*, quod Sanctius προσφράζει, *ſuper filium meum qui ita adhæret mihi, ut mecum & in me, pro, ab æterno, ſit*. Huc fortè Jeſ: XLIV. 24. *Ego Dominus*.

CCCLXIV. Notari ſigillatim merentur nonnulla vocabula, quæ occurrunt Prov: VIII. 22. 23. Jehova קנני *acquiſivit vel poſſedit me initium viæ ſuæ; ante opera ſua jam inde* A SECULO נסכתי *inuncta fui, ab initiis terræ cum non erant voragines* חוללתי *formata* ſeu *genita* ſeu *nata ſum*. Hoc verbum in ſequente verſu repetitur, Æternitatem Sapientiæ, & à Jehova Patre diſtinctionem hinc elicere facillimum foret, ſi hoc jam ageretur. Ad rem præſentem faciunt vocabula quæ generationem indicant. Verbum קנה ipſi ὁ, ut ut hic graviter hallucinentur, Zach:

 XIII.

XIII. 5. vertunt ἐγέννησέ με *genuit me*. Acquiſivit & poſſedit propriè denotat. At generatione acquiſivit Pater Filium. Sic Eva קניתי *acquiſivi Virum Jehovam* Gen: IV. 1. Deut: XXXII. 6. pulchrè Hieronymus Epiſt. ad Cyprian. *poſſeſſio* ſignificat *quod ſemper F. in P. & P. in F. fuerit*. Ἔκτισε ὁ. Chaldæus בראני creavit. Verum forte corruptè legitur pro ἔκτησε, ut ut vix credam; hic autem in Hagiographis non eſt melioris notæ; & uterque tam κτίζω, quam ברא ſubinde de generatione accipit. Job. III. 3. ut Latini *creare* liberos, pro generare. Idem igitur hic quod Joh: I. 1. ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν.

חיל CCCLXV. Verbum חול propriè parturire ſignificat, & ſentire dolores parturientis; nonnunquam ſimpliciter formatus, *conceptus ſum* Pſ: LI. 8. Job: XXXVI. 5. XV. 7. 9. interdum partu in lucem editus ſum. Chaldæus rectè אתבטנית concepta & veluti ventri quaſi incluſa. cit. Amyraldo c. Curcell. Aquila & Theodot. ὠδινήθην *per partum erupi*. Symmachus ἐμαιώθην *quaſi obſtetricis opera conformata ſum*. Cyprianus, *genuit me Dominus*. Innuitur manifeſtè, genitum ab omni æternitate Filium à Patre eſſe. Feminarum potius conceptionem, & partum dicere, ſi quis objiciat, in promptu reſponſio eſt: 1. mirum non fore, ſi à ſueta ſignificatione quis hoc vocabulum deflecteret, ubi ipſa res id flagitare videatur. 2. Vocibus τίκτειν apud Græcos & *parere* apud Latinos idem accidit. Parens non minus pater audit, quam mater. Deinde licet in Activis res ita ſe haberet, in paſſivis tamen indifferens eſt ſignificatus. 3. Nec ſexus hic ulla ratio. 4. Nec inſolens eſt Sp. S. Confer Pſ. II. 7. 5. Nec caret myſterio cum ex ſe ab æterno progenuerit filium Deus Pater. Φάος μέγα φωτὸς ὁμοῖο *ingens Luminis æqualis lumen*. Nazianz.

Υἱός CCCLXVI. In N. T υἱός vocatur, quod filium notat, & eſt filius, & genitus, atque unigenitus & primogenitus filius. Porro λόγος, quæ vox denotat tum mentis actum internum, tum id quo mens ſe exprimit, ut & aliis innoteſcat. *Græcè multa ſignificat: nam & verbum ſunt ſingula, quæ ſub*

Digitized by Google

ſubſiſtunt: quæ univerſa recte intelligimus, deinde eſt & ratio, & ſupputatio, & cauſa uniuſcujuſque rei. Hieron. Ep. 103. ad Paulinum. Poſterius ad Dei Filium transferemus tum imprimis, cum ipſum OECONOMICE contemplabimus: hic prior conſideratio ſufficit. Videtur reſpondere Chaldaico מימרא *verbum*. Quod, licet 1. ſubinde idem ſignificet, quod נפש/ & Rabbinorum עצם ceu dicatur *apud ſe, per ſe, in animo ſuo*, ut Amos VI. 8. *Juravit Jehova* במימרה Hebr: בנפשו eodem ſenſu quo ad Hebr: VI. 13. Deus dicitur juraſſe καθ' ἑαυτοῦ; adeoque *ego, tu, ipſe* denotet, hominibusque applicetur Job. VII. 7. XXVII. 3. 2 Chron: XVI. 13. imo Jeſ: XXX. 1. licet 2. loca nonnulla ſint in quibus filium Dei denotare non poteſt, ut Exod: XII. 42. Lev: XXVI. 46. Addo Jeſ: XLII. 1. occurrunt tamen alia quæ aliter accipi non poſſe videntur, niſi de Meſſia Filio Dei. Urget Camero Hoſ: I. 7. ſervabo eas per במימרא דיי *verbum Jehova* Heb: ביהוה Ἀκρίσιος eſt Hackſpanii exceptio in ad Nizzachon p. 369. *hic redemtionem Judæis tantum promitti, cum Chriſtus omnium gentium futurus ſit ſervator.* Qui enim omnes gentes, is & Judæos redimit; & primi ſunt in redemtione Judæi. Omnes quoque fideles, poſt Chriſtum, Judæi ſunt: tandem Judæi illius temporis ſignate denotantur. Addit Ligtf. in Joh: I. 1. Exod XIX. 17. Job: XLII. 9. Pſ: II. 4. CVI. 12. Ezech: XX. 17. Gen: XXVI. 2. XXXIX. 2. Nec aliena ſunt loca Deut: V. 25, 26. Gen: X. 14 Deut. XXXII. 2, 7. Gen. XX. 21. Jeſ: XLVIII. 16. Num. XXIII. 2. Plura Rittangelius in Libro Jezirah p. 85. & ſeq. ſubditis ſuæ ſententiæ vindiciis.

CCCLXVII. Ex jam dictis facile elicimus eos characteres, liceat ita loqui, quibus Pater Filius & Sp. S. inter ſe diſtinguuntur. Patris ſunt I *Aſeitas*, ut ita loquar, *perſonalis*, qua non tantum à ſe eſt ratione eſſentiæ, verum etiam in relatione, quam habet ad Filium & Spiritum Sanctum Joh: V. 26. II. Generare Filium Pſ: II. 7. Joh: V. 26. Hebr: I. v. 5. hinc πατὴρ Christi ἴδιος *proprius* Joh: V. 18. *Proprietates Characteriſticæ Patris*

III. Spirare Activè cum Filio Sp. Sanctum Joh: xv. 26. IV. Primum eſſe in ordine ſeu ſubſiſtendi ſeu relationis Patris ad F. & utriuſque ad Sp. S. V. Ordine primum eſſe in operando Joh: III. 16. 17. X. 36. XVI. 28. Gal: IV. 6. Joh: XV. 27. V. 19.

Filii CCCLXVIII. Filii ſunt I Genitum eſſe a Patre. Pſ: II. hinc צמח *germen* vocatur Zach: VI. & ניב יהוה *fructus* Jehovæ Mal: I. ἀνατολὴ ἐξ ὑψίστοις oriens ex altiſſimis Luc: I. 78. eique מוצאות *egreſſiones* Mich: V. I. eſt εἰκὼν Θεοῦ ἀοράτου *imago Dei inviſibilis* Col: I. 15. פנים *facies* Dei Exod: XXXIII χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ Πατρὸς Hebr: I. 3. appellatur porro υἱὸς ἴδιος Rom: VIII. 32. λόγος Joh: I. 1, 14. I Joh: I. I. V. 7. πρωτότοκος Col: I, 15. Hebr: I. 6. μονογενὴς Joh: I. 14. 18. III. 16. I IV. 9. II. Spirare cum Patre Spiritum Sanctum; qui proinde Spiritus Filii dicitur & Chriſti Gal: IV. 6. Rom: VIII. 9. Filius eum mittit à Patre Joh: XV. 26. ita ut accipiat de eo quod eſt Filii XVI. 14. III. Secundum eſſe in ordine ſubſiſtendi. IV Pariter in operando. Joh: XVI. 28. XV. 26. XVI. 13, 14, 15.

Spiritus Sancti. CCCLXIX. Spiritus Sancti vero I. Spiratum eſſe ſeu ſpirari à Patre & Filio Pſ: XXXIII. 7. II Tertius modus & ordo ſubſiſtendi. III Tertius modus & ordo operandi.

Veritas hujus Myſterii indicatur. CCCLXX. Fieri autem profectò vix poteſt, ut quis attento animo, & præjudiciis vacuo, iſta vocabula, iſtos porro characteres eorumque vim animadvertat, quin videat Deum *unum* eſſe *tres*; adeoque myſterium, de quo agimus, certæ eſſe veritatis. Ex profeſſo autem ut id ulterius nunc demonſtremus ordinis ratio exigit. Et *plures* & *tres* eſſe in Deo perſonas jam quidem tenemus, ſed ad ulteriorem obloquentium convictionem exerte probari debet I Trinitas 2 Iſtorum trium, P. nim. & F. ac Sp. Sancti æterna adeoque una eademque Deitas.

Probationi cautela præmittitur. CCCLXXI. Necdum tamen ad ipſa argumenta veniendum eſt, ſed præmuniendæ lectorum mentes adverſus pro-

Digitized by Google

prophanorum hominum & hæreticorum præjudicia. Notandum igitur

CCCLXXII. Satis non eſſe, ut aliquid pro dubio habeatur, eo quod cum alia forte certa & manifeſta veritate conciliari non poſſe videatur, imprimis quando circa objectum verſamur, quod, perfectione ſua, anguſtos mentis creatæ terminos immenſum excedit. *Ex parte cognoſcimus, ex parte prophetamus*, 1 Cor: XIII. 9. quin ſignate eam mentis noſtræ finitatem in hoc ipſo argumento agnoſcit regum ſapientiſſimus, quando attonitus exclamat, *quod eſt nomen hujus? & quod nomen Filii ipſius? ſi noveris?* Prov. XXX. 4. hoc quoque reſpectu *Deus major eſt corde noſtro*, 1 Joh. III. 20. *Numquid perfectiones Dei aſſequeris? an uſque ad finem omnipotentis pertinges?* &c. Job. XI. 7, 8, 9.

CCCLXXIII. Si igitur ex Dei identidem repetito teſtimonio, concinente omni verbo revelato, atque univerſa operum divinorum œconomia, Deus qui unus eſt, ſit tamen Pater, Filius & Spiritus, adeoque tres, 1 Joh: V. 7. dubia eſſe iſta veritas haud poteſt, cum aliâ, licet difficulter, quin vel nulla ratione conciliari poſſe videatur.

CCCLXXIV. Imo & ipſam hanc difficultatem haud parum minuit, quod de una eademque licet re, non tamen uno eodemque reſpectu, ſed diverſo loquamur, quando unum dicimus Deum & Trinum. Porro & exempla non deſunt, quibus dictis lucem adfundamus. Ceteris hoc præfert Claubergius, quod in una eademque rerum corporearum univerſitate, quin in quolibet corpore agnoſcamus unum quidem extenſum, triplicem autem dimenſionem in longum, latum & profundum. Una eſt corporis eſſentia extenſio, nec tamen corpus concipi poteſt, quod non ſit & longum & latum & profundum. Adde, quod inter illas dimenſiones certus ordo intelligatur, quo concipimus primo longitudinem, quæ eſt inſtar puncti continuatio atque extenſio; dein latitudinem, quæ lineæ, tota ſua longitudine quaſi in tranſverſum facta, continuatio; tandemque profunditatem, quæ ſuper-

perficiei ſurſum deorſumque quaſi mota continuatio eſt. Atque in his tali modo conſiderandis, diſtinguendis, ordinandis, uti trinum in uno, unum in trino agnoſcatur, nullus unquam mortalium vel minimam contradictionis umbram eſſe putavit. Nec eſt qui dubitet, licet, ex linea tranſverſum acta, ſuperficiem, ex ſuperficie æqualiter aut elevata aut depreſſa profunditatem ortam concipiamus, quin longitudo non extiterit, nondum exiſtente & latitudine & profunditate & ſic porro. Imo cum *non poſſint menſurari cæli ſupernè, aut perveſtigari fundamenta terræ infernè* Jer: XXXI. 37. adeoque mundus indefinitam habeat longitudinem, indefinitam latitudinem, indefinitam profunditatem, palam eſt & unitatem nos mundi & iſtiuſmodi nos agnoſcere ejuſdem Mundi trinitatem.

CCCLXXV. Unde à contradictione libera ſunt verba Apoſtoli, ſenſu licet orthodoxo accepta 1 Joh: v. 7. *tres ſunt qui teſtificantur in cælo P. F. & S. S. & hi tres unum ſunt.* Utique de triplici dimenſione unius ejuſdemque corporis nemo dubitat.

CCCLXXVI. Alii alia addunt à Sole, Iride, Arbore, triangulo repetita, verum ſobrie & animo, ſi ullibi, venerabundo, hic agendum eſt; nec ulterius quicquam tentandum, quam ut, ceterum infinitum licet diſſimili, ſimilitudine tamen allatâ, ora obturemus iis, qui unum eſſe & trinum ita clamant eſſe contradictorium.

CCCLXXVII. Ipſa vero argumenta cum toties totieſque jam ab aliis ſint propoſita & vindicata prolixè hic recenſenda non videntur.

CCCLXXVIII. Pluralitatem jam dudum §. CCCVII-CCCXII. multis evicimus. Primo quidem ex pluralitate vocabuli אלהים. Secundo ex locis in quibus Deus ad ſe aut de ſe ipſe in plurali loquitur, iſtic citatis adde Jeſ: XVI. 6. Jer. XLVIII. 29. *Audivimus.* Et alibi *adſpiciemus* lætitiam veſtram. Auditionem *audivimus* Obad. I. quemadmodum Joh: III. 11. Chriſtus dicit, *quod*, ego nimirum & Sp. Sanctus, *vidimus & audivimus.* Iterum apud Obadjam *fugite*

&

& ſtemus: ego, inquit Hieronymus, & *Filius meus*, *& Spiritus Sanctus*. Similia in hoc loco notavere Rupertus, Hugo, Victor, & alii. Et animadverſione dignum eſt, idem judicium quod hic minatur Deus, à Filio infligendum prædici Ezech. XXI. 24.

Pluralitas in Deo probatur.

CCCLXXIX. Tertio ex iis, in quibus Dominum de domino, Jehovah de Jehovah, vel ad Jehovam loquitur: quibus ea ſignatè nunc addimus, in quibus quam ſeveriſſimè ſibi vindicans ſuam gloriam, eodem tamen ſpiritu, alium tanquam ſibi ſimilem & parem compellat, eaque de eo teſtatur, quæ, præterquam in vero Deo, reperiri non poſſunt. Jeſ: XLII. 1--4. 5--8. XLV. 5, 7, 14 cum 17, 18, 21 cum 23, 24, 25. XLVIII. 11, 12. Hinc, quemadmodum Johannes, *Sermo erat apud Deum, erat in ſinu patris*, ſic David, *apud te eſt fons vitæ*. Apud Deum. *Salus mea ſeu Jeſus meus. Apud Deum clypeus meus* Joh: I. I. Pſ. XXXVI. 10. VII. 11. & eccleſia, *exiviſti ad ſalutem populi tui cum uncto tuo* Hab: III. 13. Hinc Jehovæ adjungitur *Vir* qui ipſi ſit *proximus*, qui ſit ex Deo genitus, *germen*, *inter* quem & *Jehovah* ſit *conſilium pacis* Zach: VI. 13. Pater de Filio ut de Jehova. Hos: VIII. 1. Spiritus Sanctus dicit quid Filius facturus ſit, & quodnam, illius facti occaſione, *Jehovæ* allaturi ſint ſacrificium Mal: III. 3. Ipſe porro Jehovah compellat aliquem nomine *Emmanuelis*, qui ſit Dominus terræ Judæorum Jeſ: VIII. 8. cum tamen terra ſit ipſius Dei, ipſius Jehovæ terra & hereditas 2 Chron: XX. 11. Exod: XV. 17. Imo, quod notandum, hic loci dicitur Jehova loqui ad Emmanuelem de Jehova Jes: VIII. 5. coll. 8, 9. Spiritus Sanctus dicit Filio quid ſit facturus Pater.

CCCLXXX. Quarto: in quibus Deus in plurali appellatur *Altiſſimi*, Dan: IV. 13, 17. VII. 18, 25. *Sancti* Prov: IX. 10. XXX. 3 ut דעת אלהים Hoſ: IV. 1. Adde Jer: XLIII, 5, 6, 7. ſic *factores*. Pſ: CXLIX. 2. LXXVIII. 25. אבירים ut עליונין. Sanè Filius Dei appellatur אביר יעקב Gen: XLIX. 24. Inſignis cumprimis eſt locus Joſ: XXIV. 19. ratio datur, quare

§. S. Trinitas probatur.

Iſraelitæ illi, ad ſerviendum Jehovæ non idonei eſſent:. כי אלהים קדשים הוא *quia Deus Sancti ille.* Certe id ipſum, nimirum quod Deus triunus ſit, non קדוש tantum, ſed קדשים id carni haud facile ſuadetur; cumque ut talis coli debeat, hinc tanta res erat poſſe ſervire Jehovæ; erat quippe אלהים קדשים הוא Deus *Sancti ille.* Quinimo אל קנא *Deus vindex* idem iſtic valet quod אלהים קדשים nimirum peccata punire pariter & remittere, & ſerviri, obediri, ac glorificari à peccatore haud poſſet Deus, niſi eſſet אלהים קדשים *Deus*, non Sanctus tantum, ſed *Sancti*.

CCCLXXXI. Ipſam ſignate Trinitatem deinceps multis evincunt Coccejus, Burmannus, Eſſenius.

CCCLXXXII. Quin imo & in ipſis priſcis Judæorum ſcriptis manifeſta hujus veritatis veſtigia jam dudum indagarunt Viri eruditi. Hæc ex *porta Juſtitiæ* producit Joſephus de Voiſin de Trinitate §. VIII. *Scriptum eſt* Deut: VI. 4. Deus, Deus noſter, Deus unus eſt. *Quod eſt myſterium unitatis nominis Tetragrammati hac ratione. Dictio prima*, Deus, *refertur ad Literam primam nominis divini*, Jod, *qua complectitur myſterium* Coronæ *ſuperioris*, *&* Sapientiæ *ſecundum myſterium apicis Literæ*, Jod, *& ipſius jod.* Tó Deus noſter, *deſignat* Intelligentiam, *quod eſt myſterium* He *prioris nominis* Sancti. Tó Deus *deſignat* decorem, *quod eſt myſterium* Vau *Literæ tertiæ nominis divini.* Addit ex Zohar אבא היא חכמה *pater eſt ſapientia.* ואו אתקדי בן *Vau vocatur Filius.* רוח אלהיא בינה *Spiritus Dei eſt Intelligentia.* de loco Deut: VI. 4. diſſerit egregiè Biſterf: c. Crell: p. 107. Sabbathi die quod tria celebrent convivia, huc reſpicit, in Libro jam allegato *Quum quis tria celebrat convivia die Sabbati, perinde eſt acſi unitatem Dei benedicti curaret NB ſecundum Myſterium* Zach: XIV. 9. Deus unus, & nomen ejus unum, Deus cujus nomen eſt בשלשה ספרים *in tribus numerationibus* ex Jetzira Cap. I. מן השלשה יסד מעונו וכלם תלוים ועומדי מבחד *ex tribus fundavit locum ſuum* (NB *locus quotieſcumque de Deo occurrit,*

rit, profectò intelligitur gradus eſſentia Dei benedicti. Maimon. More Nebhochim part: 1. Cap. 8,) *quæ quidem tria pendent & ſtant in unitate*. Hæc tria Hebræi vocant in lib. Jetzira ספרים *numerationes* הויות *hypoſtaſes & in* libro portæ Juſtitiæ פנים הפנימים *perſonas & facies intrinſecas*. Hinc Judæi in die Tabernaculorum. *Deus qui ſanctificaris tribus benedictionibus*. Notandum autem quod Emanationem quoque ſignificet Sanctificatio. Sic in Libro Portæ Juſtitiæ, *Scito Sanctificationem eſſe myſterium, quo deſignatur* NB. *proceſſio Emanationum è CORONA*. (hæc eſt Pater ut antehac notavimus) *quod eſt Myſterium Jeſaiæ Capite Sexto, Sanctus, Sanctus, Sanctus*. *S. S. Trinitas probatur.*

CCCLXXXIII. Æternam autem Patrique coeſſentialem Filii & Spiritus Sancti Deitatem, pluribus argumentorum claſſibus, quatuor imprimis, iidem, juxta cum aliis locorum communium, ut vocant, Scriptoribus, luculentiſſimè evicerunt. Quæ, ne prorſus actum agamus, hic non repetemus.

CCCLXXXIV. Myſterii autem hujus veritate ex Sacris literis abundè evicta, ex ordine, quem delineavimus §. cccxxxiii. de OEconomia illius S. S. Trinitatis nunc dicendum eſt.

CCCLXXXV. OEconomiam vocamus, qua, licet omnia, quæ ſunt & erunt, non ſint aut futura ſint, niſi vi ac juſſu illius voluntatis, quæ, ut ipſa eſſentia, Patri, Filio & Sp. Sancto communis eſt, qua, inquam, nonnulla peculiari ratione Patri, alia Filio, Sp. Sancto alia vindicantur. *OEconomia S. S. Trinitatis.*

CCCLXXXVI. Ea autem omnia quæ hac de re in Scripturis reperiuntur, ita ſunt accipienda, ut ne quicquam præjudicent divinæ Eſſentiæ unitati.

CCCLXXXVII. Fundamenti loco hoc ſit. Omnia uti ſunt, *ex Deo*, ita pariter eſſe debere *ad Deum* & gloriam ejus; adeoque, aut Deum ipſum id nobis fieri, de quo nobis impenſiſſimè gratulamur, eique gratias ſummas agimus & tribuimus gloriam; aut, nos aliquid tribuere *non Jehovæ*, quod nobis ſummum ſit, adeoque Deo ſoli erat adſcribendum. Quod quid aliud eſt, quam in homine aut

 cre-

OEconomia S. S. Trinitatis. creatura gloriari 1 Cor: I. 31. Jer: IX. 23, 24. eamque Deum facere, ſibique benedicere in *re facta* Jeſ: LXV. 16. Neque res ulla facta dependens, Deo minor, gloriam in ſe transferre poteſt, ullius realitatis, ullius effectus; multo minus illius, qui ita illuſtris eſt, ut eſt, miſeri mortuique hominis & abjectiſſimi eſſe ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem, redemptionem, gloriam.

CCCLXXXVIII. Hinc Deus, niſi talis ſit, ut id omne ipſe per ſe eſſe poſſit peccatori, actum de noſtra ſalute erit, Deoque omniſufficientiæ non conſtabit gloria.

CCCLXXXIX. Neque Deus ipſe juſtitia noſtra eſſe poteſt, niſi ſit in eo voluntas, quâ, judicis inſtar, nos juſtificare velit. Prætereaque conſtet iſti voluntati integritas ea & juſtitia, quâ ſibi debet luculentiſſimum intaminatæ Sanctitatis teſtimonium: adeoque niſi ſit in ipſo voluntas, qua velit ipſe fieri *juſtitia*, ut factus dicitur Jer: XXIII. 6. 1 Cor: I. 30. addo igitur: voluntas id faciendi, quod ad noſtri pariter ac Dei, peccatorem juſtificantis, juſtificationem requiritur, id eſt, quo facto, Deus juſte agat tum quoque cum nos impios juſtificat.

CCCXC. Hæc voluntas fundamentum eſt denominationum Sponſoris, Sacerdotis, Mediatoris, Redemtoris, Vindicis, Advocati & ſimilium.

CCCXCI. Nec Filius exequi eam voluntatem ita potuit, niſi volente id pariter judice Patre, quo volente mitti potuit, & carnem induere, & legi obedire, & fieri ἔνδειξις τῆς δικαιοσύνης, & ipſa juſtitia.

CCCXCII. Habemus igitur Deum *mittentem judicem*, habemus Deum *miſſum*: in *quo myſterio* Patris & Filii, ex ſententiâ Apoſtoli, *omnes theſauri ſapientiæ & cognitionis ſunt reconditi* Col: II. 3.

CCCXCIII. Adeoque cum Filius venerit in mundum, volente id Patre, *Miſſus* appellatur, & nuncius, ſeu *Apoſtolus*. Suâ voluntate ſibi fecit corpus, *templum Jehovæ* Zach: VI. 12. ſed cum & volente Patre id factum ſit, Pater concinnaſſe dicitur Filio corpus.

CCCXCIV.

Digitized by Google

OEconomia S.S. Trinitatis.

CCCXCIV. Hinc illa, quæ miſſo & redemtori conveniunt, de Filio dicta accipimus, ſic *Jehovah*, id eſt, ſuturo nobis à Patre omnia. Vindex nimirum Iſraelis, juſtitia, rupes ſalutis, Deus ſtans in medio Deorum, de quo ad oppida Judæ, *ecce Deus veſter*, Angelus Jehovæ, Teſtamenti Aſſertor, Facies, & ſimilia proprie de Filio intelligenda non dubitamus.

CCCXCV. Sic creationis opus ſimpliciter conſideratum, ordine primùm Patri; Mat: XI. 25. ut inſerviens autem executioni Teſtamenti, Filio tribuitur Hebr: I. 2.

CCCXCVI. Peculiari quoque ratione Pater *Dominus* dicitur *cœli & terræ*, non tantum, quod ſua excellentia dignus ſit dominio, verum etiam quod ea creaverit; hoc autem opus Filio & Sp. S. pariter adſcribitur Hebr: I. 6. Jeſ: XII. 26. Gen: I. 4. Pſ: XXXIII. 6. ſigillatim tamen Pater, *primus* cum ſit ordine ſubſiſtendi atque operandi, illud ſibi peculiari ratione vindicat, quippe quo primum facta ſunt omnia, quæ præter ipſum exiſtunt. Similiter Pater *Deus* appellatur, Filius autem *Filius Dei* & Spiritus *Spiritus* Dei 1 Cor: VIII. 6. XII. 4, 5, 6. Joh: I. 18. imo Pater μόνος ἀληθινὸς θεὸς Joh: XVII. 3. 1 Tim: VI. 15, 16. Pater dicitur *propoſitum ſeculorum feciſſe in Filio* Eph: III. 11. Filio *mandatum dediſſe* Joh: X. 18. eum *docuiſſe quid loqueretur* Joh: VIII. 28.

CCCXCVII. Sic Pater dicitur *Deus Filii*. Jeſ: XLIX. 4. Joh: XX. 17. *Teſtator* ratione Filii Luc: XXII. 29. licet Filius ratione noſtri etiam *Teſtator* ſit Hebr: IX. 16. Luc: XXII. 29. Coheredes Chriſti dicuntur ipſi *dati* à Patre Joh: VI. 37. *mandatum* quoque Filio datum legimus peculiare Jeſ: LIII. 6. Filio merces datur à Patre, ab eodem quoque juſtificatur Jeſ: XLIX. 4. Traditus eſt à Patre Joh: III. 16. Act: II. 23. Pater *fecit eum peccatum* Rom: VIII. 3. 2 Cor: V. 19, 21. *Deus in Chriſto ſibi mundum reconciliavit.* Patri adſcribitur ſigillatim Voluntas Damnandi *peccatum*, quod & *damnavit in carne* Chriſti Rom: VIII. 3. Sic Patris peculiari ratione eſt, juſtificare peccatorem; ut Filii & Sp. Sancti intercedere, advocatum agere.

Digitized by Google

Oeconomia S. S. Trinitatis. Filius *poſtulat hereditatem*, ut jure ſibi & merito ſuo debitam Pſ: II. 8.

CCCXCVIII. Pater Filium *excitavit ex mortuis, deditque ei poteſtatem omnem* Mat: XXVIII. 18. ſignatè *judicium* Joh: V. 22, 27. Pſ: XXXII. I. Ezech: XXI. 10. *Reſumſit* tamen animam, ſeu *vitam* Filius. Pater *dat* Filio *hereditatem* Pſ: II. 8. Joh: XVII. 6. *Filius nihil poteſt facere ex ſeſe niſi quod viderit Patrem facientem*, Joh: V. 19. cum 30. XII. 49.

CCCXCIX. Spiritus Sanctus pariter uti eſt, ſic etiam operatur: eſt autem à Patre & Filio, proinde, ut Filius nihil poteſt velle, niſi quod Pater vult, ita Sp. S. nihil poteſt velle aut agere, niſi quod videt Patrem & Filium agere. Hinc Joh: XVI. 13. dicitur, *Nihil loqui à ſemetipſo; ſed, ut audiverit: & ex eo quod eſt Filii, accipere & renunciare.* 14. addito: *Quæcunque habet Pater, mea ſunt; ideo dixi quod ex meo ſit capturus. Principium viæ Jehovæ*, qua egreditur, eſt *Sapientia* Prov: VIII. 22. Ergo & Sp. S. ſua ex Filio habet & depromit.

CCCC. *Spiritus Dei incubavit aquis* Gen: I. 2. eas fœcundans. Id dicitur, ut ſciamus, eum, qui, nobis per Chriſtum impetratus, à Patre dono datur, eſſe creatorem omnium, quique cœlum & terram homini paravit. Adeoque totam rerum univerſitatem eſſe opus & effectum φροντίσματος *ſtudii* quod pii ſentiunt in precibus ſuis, Rom: VIII. 26, 27. Pſ: XXXIII. 6. Job: XXVI. 13. XXXIII. 4. unum hominem cum una conjuge condenti Deo *ſuperfuit Spiritus* Mal: II. 15. unde & omnibus adeſt Pſ: CXXXIX. 7. omniſque ſcientia aliæque mentis dotes ipſi tribuuntur Exod: XXVIII. 3. XXXI. 3. XXXV. 31. Deut: XXXIV. 9.

CCCCI. Et uti eſt à P. & F. ita & in œconomia mittitur à P. & F. & donatur, Jeſ: XLVIII. 16. Joh: III. 34. XIV. 16, 17, 26. imprimis quando mittitur ut Sp. Adoptionis Gal: IV. 5, 6. qui eſt *Sp. promiſſionis* III. 14. *Gratiæ & ſupplicationis* Zach: XII. 10. Ut ſub V. T. *Sp. ſervitutis ad metum* Rom: VIII. 15. Hebr: II. 15. Sic nunc ille

per

per quem *γινόμεθα τέκνα θεοῦ nos gerimus pro filiis apud* OEcono-
Deum, Joh: I. 12. Rom: VIII. 15. Judæi non ſolum ſed mia S. S.
& gentes. hinc *effuſus in omnem carnem* Jeſ: XLIV. 3. Joel: Trinitatis.
III. I. vel II. 28. quod antequam fieret, dicitur, *nec-dum fuiße Spiritum Sanctum* Joh: VII. 39. Hinc in futurum promittitur Ezech: XXXVI. 27. XXXVII. 14. XXXIX. 29. comes & cauſa illius *circumciſionis cordis*, Deut: XXX. 6. Datus olim, ſed *ex menſura* Joh: III. 34.

CCCCII. Spiritus *olim locutus eſt* 1 Petr: I. 11. Hag: II. 6. Zach: VII. 12. Et prophetæ illi ut miſſi pariter ab Angelo Fœderis locuti ſunt. Sic ipſa rupes Iſrael Jeſ: XXVIII. 16. *Spiritus Jehovæ locutus eſt de me.* 2 Sam: XXIII. 3. *Spiritus eſt*, qui in prophetis erat, *qui teſtatur*, *quod Spiritus*, qui loquitur in Euangelio, *ſit veritas*, & vice verſa, 1 Joh: V. 6.

CCCCIII. Ipſi Sanctificatio tribuitur, quippe quæ fiat ſecundum voluntatem teſtamentum facientis, & Filii, ſuo jure poſtulantis. Adeoque ut ſubſiſtit, ſic & operatur à Patre & Filio. Ipſe *Paracletus* eſt & *intercedit* pro nobis, Joh: XVI. 7. Rom: VIII. 26. *Arrhabo*, obſes divinæ gratiæ, *ſigillum*, quo notati, à Deo pro ſuis agnoſcimur. Eph: IV. 30. 2 Cor: I. 22. Eph: I. 13, 14. Per *illum* baptizamur *in unum corpus*, quod ornat πρὸς τὸ συμφέρον, 1 Cor: XII. 7. *ut vult* II. Ipſo effuſo Chriſtus unctus eſt Pſ: XLV. 8. h. e. demonſtratus *Dominus & Chriſtus*. Act: II. 35, 36. De tali unctione loquitur Chriſtus Jeſ. LXI. I. Act: II. 22. Spiritus quippe Dei, eſt Filii Spiritus Joh: XVI. 26. Hunc meruit, atque ita *accepit* à Patre, ac jure ſumſit. Act: II. 33.

CCCCIV. Spiritus porro *triſtitia* afficitur Eph: IV. 30. quando grata atque læta operatur, *bonus* Pſ: CXLIII. 10. Neh: IX. 20. quando triſtia & moleſta, *Spiritus malus* à Deo, dicitur 1 Sam: XVI. 14, 15. Talis *Spiritus ſoporis*, id eſt, Spiritus, juſto Dei judicio, excœcans, obdurans, ſoporem inducens, eidem loquenti in verbo & operanti in ſuis reſiſtunt qui inobedientes & operi ipſius in aliis injurii ſunt. Act:

Digitized by Google

OEconomia S.S. Trinitatis. Act: VII. 51. Pſ: CVI. 33. In ipſum peccatur, quando, poſt agnitionem veritatis, ultro blaſphematur: ut fieri ſolet ab apoſtatis, ſæpe etiam à detectis hypocritis. Hebr: VI. 6.

CCCCV. Illi ut Sanctificatori glorificando devovemur, quando in ipſius nomine baptizamur. Mat: XXVIII. 19. Prolixius hæc tractata qui deſiderat, is adeat Coccejum in Summa Theol. Cap XIII. cui hæc cogitata in hunc ordinem redacta debemus.

CCCCVI. Utrum autem exerte adorandus dicatur is, cui glorificando nos ſolenni ritu devotos agnoſcimus, fruſtra ſciſcitantur Remonſtrantes. Rarius ut objectum adorationis occurrere in ſacris, haud mirum eſt, cum in ſanctis & pro ſanctis oret, adeoque ab eorum quaſi ſtans partibus paracletum agat apud Patrem, nobis dictans preces Deo Patri in Filio proponendas Joh: XIV. 16, 26. XV. 26. XVI. 7. 13. Rom: VIII. 15, 26. Gal: IV. 6. Sic & communionem habere dicimur cum Patre & Filio, cum Spiritus Sanctus ille ſit, qui nos cum Patre & Filio jungat. Ipſe gluten potius & vinculum beatæ illius amicitiæ, quam pars altera. Pariter in Patre nos eſſe dicimur & Filio potius quam in Sp. Sancto, cum hic in nobis ſit & nos beet intima illa cum Patre & Filio communione, 1 Joh: II. 20, 27. Apoſtoli quoque gratiam & pacem à Patre & Filio ſæpius precantur quam à Spiritu Sancto, quoniam Sp. S. ipſe tum vovetur credentibus & proxima, ut ita loquar, in ipſis cauſa eſt & pacis & gratiæ, quanquam & ab ipſo plus ſemel eas flagitent 2 Cor: XIII. 13. Apoc: I. 4. Septem autem memorantur Spiritus, qui commode hic denotant eundem Spiritum, ſeptem Novi Teſtamenti temporibus ſeu periodis, efficaci modo operaturum. Neque enim ſub ullo ſeptem tubiciniorum, aut ſigillorum, penitus deſtituturus erat Eccleſiam.

CCCCVII. Ea quæ jam diximus, œconomiæ quidem ratio exigit: ubi autem quis cogitaverit, non minus divinum & ſolius Dei eſſe, corda ſcrutari non ſolum, verum & in intimo cordis receſſu eas cogitationes excitare, quas preces

&

& gemitus vocat Apoſtolus inenarrabiles. Rom: VIII. 26. quam invocari: imo tantum non primùm & proximè invocari, quem, ut proximè ac propriè nos ad precandum excitantem, precesque nobis in abdito cordis dictantem, conſideramus, videbitur nihil in hiſce eſſe, quod æternæ Deitati Spiritus Sancti præjudicium faciat. *OEconomia S. S. Trinitate.*

CCCCVIII. Sic arrhabonem eſſe & proximam gratiæ omnis & pacis & gaudii & exultationis, univerſæ denique ſanctificationis cauſam, non minus ſane ἀξίωμα dicit, quam eſſe eum à quo iſta ceteroquin paſſim precamur.

CCCCIX. Ex ordine §. CCCXXXIII. delineato, ſequitur ut de utilitate ea, quæ nobis ex hujus myſterii cognitione & fide provenit, agamus. Quo labore ſuperſedere poſſem, cum omnis illa, quam, hoc opere concinno, Theologia, palam faciat, nihil de Deo recte percipere eum, qui, præter, de Conſilio gratiæ dogma, non pariter id de quo jam diſſerimus myſterium admittat. Luculentiſſimæ præterea & utilitatis eſt & neceſſitatis, id, quod univerſæ Sacræ Scripturæ clavis eſt. Nec conſilii Dei, nec ullius partis executionis, uno verbo, ſalutis noſtræ ratio ea concipi poteſt, quæ Deo digna ſit, aut conſcientiæ noſtræ ita faciat ſatis, ut ulla ratione, modo ſe probe excutiat, acquieſcere & ſecura eſſe poſſit, niſi cognito atque agnito iſtoc myſterio. Sanè quod univerſæ Scripturæ unice ſalutarem adfundit lucem, adeo ut ne ullum quidem nomen Dei probe quis perceperit, niſi admiſſa iſta veritate, id procul dubio utilitatis eſt & neceſſitatis pariter infinitæ atque abſolutæ. *Utilitas Doctrinæ de S. S. Trinitate.*

CCCCX. Porro quid neceſſarium magis, quàm noviſſe, eum, cui, inde ab ineunte ætate, conſecrati devotique ſumus? *Patri* enim *non tantum, ſed & Filio, & Spiritui ſancto* per baptiſmum ſumus dediti. Vel an abſque damno ignorari queat cujus ſimus: quem agnoſcendum, colendumque, ut gratiæ & ſalutis fontem, profeſſi ſumus? Imprimis cum exertè aſſerat Chriſtus Dominus, eum, *qui Filium non honorat, itidem uti Patrem, eundem neque Patrem honorare. Quiſquis*

Digitized by Google

negat Filium, ait Johannes, *is neque Patrem habet* Joh: v. 23. 1 Joh: II. 23.

Utilitas & Neceſſitas Doctrinæ de Trinitate.

CCCCXI. Quod Spiritum attinet; illumne, quem arrhabonem habent credentes, & paracletum, cujus φρόνημα in ipſis, qui in ipſorum cordibus ἐντυγχάνει, qui ipſos regenerat, conſolatur, confirmat, illumne inquam uno ignorabunt? vel an ipſa ratio permittit, ut beneficia nactus de benefactore & redhoſtimento omni, modeſta ſaltem agnitione, nunquam ſim ſollicitus? An tuto non aſſequemur ſenſum dicti, quo omnia vota Chriſtiani claudimus, *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, dilectio Patris, & communio Spiritus ſancti. Amen.* 2 Cor: XIII. 13.

Trinitas olim cognita.

CCCCXII. Neque hæc ſolius Novi Teſtamenti ſunt. Quinimo, ne Creatoris quidem notio alia olim ſuggeſta fuit, quàm triunius Dei. Gen: I. I. Jeſ: LIV. 5. Eccleſ: XII. I. Angelus ille, uti dux ipſorum, ſic & venerationis & timoris atque adeo adorationis & fidei, objectum fuit, non minus, quàm genuinum & verum ipſius divini nominis ſubjectum. Exod: XXIII. 20. 21. Neque alium in Bezaliele & Aholiabo, ea, quæ Chriſti & Eccleſiæ, ſalutis denique æternæ erant, artificioſe delineantibus, operantem; aut loquentem in prophetis agnoſcere debuere, quam Spiritum Dei, mittendum aliquando peculiari ratione cum Filio. Jeſ: XLVIII. 16. Obruit me dicendorum in hanc rem copia. Pauca ſufficient.

CCCCXIII. Hic אל & יהוה vocatur Gen: XVI. 7, 9, 10, 11, 13. Hic benedixit Jacobo, cum eo luctato, Gen: XXXII. 24. cum Hoſ: XII. 5. eo viſo dicit, *Vidi Deum facie ad faciem*, & addit, *ſalva facta eſt anima mea*. Quid manifeſtius? Hic talia promiſerat Jacobo abeunti in Meſopotamiam. Gen: XXVIII. 15, XXXI. 11, 12, 13. *Erat in columna conſtitit que a tergo Iſraelitarum*, Exod: XIV. 19. Num: XXII. 22. Joſ: V. 13, 14.

CCCCXIV. Hunc ſalutis ſcaturiginem Jacobus Patriarcha invocavit Gen: XLVIII. 16. hic auctoritatem ſuam & majeſtatem Moſi figuificavit in rubo Exod: III. 2. Act: VII.

Digitized by Google

VII. 30. cum Hebr: XI. 16. Hunc typi delinearunt, hujus, ut corporis, tunc umbræ ubique Iſraeli obverſabantur. Ipſi illius erant populus, ipſe eos ex Ægypto eduxit & allocutus eſt in deſertis Exod: XX. 1. ſeqq. cum Act: VII. 38. Ipſe bajulavit Iſraelem Jeſ: LXIII. 9. & deſideratus eſt a Judæis ut האדון ille Dominus מלאך הברית Mal: III. 1. Interceſſit pro Iſraele Zach: I. 12. Abſque hujus ductu ſalutem ſperare ne Moſes quidem poterat Exod: XXXIII. 15. 16. Hanc rupem Iſraelis David profitetur. 2 Sam: XXIII. 3. Taceo infinita alia. Niſi aut utile haud fuerit, aut non neceſſarium credenti hæc intelligere, quæ toties inculcantur, & iis additis. *Trinitas olim cognita.*

CCCCXV. Sed loco noviſſimè allegato præter patrem & Filium, Spiritûs quoque mentio eſt, ut loquuti in Davide. Ejuſdem, cui univerſi fœtus tribuitur Gen: I. 2. Per hunc Moſes & omnes prophetæ acti ſunt 1 Petr: I. 10. 11. 2 Petr: I. 21. Hunc triſtitia non afficiendum ex Jeſ: LXIII. 10. noverant.

CCCCXVI. Ut autem promiſſis §. CCCXXXIII. factis plene fiat ſatis, diſquirendum tandem videtur, an homini ex naturali ratione τὸ ὅτι hujus Trinitatis innoteſcere queat. Superat humanum captum, tum quoque quando jam innotuit hoc myſterium: capere enim infinitum, multo minus maxime admirandam infiniti perfectionem mens finita non poteſt. Quemadmodum vero indagare ratio & detegere multa poteſt, quorum adæquatum conceptum nunquam adſequitur; ſic an ſe res hæc ita habeat nec ne, videndum eſt: nim: an, licet indolem hujus myſterii omnem prorſus non aſſequatur naturalis Ratio, an, inquam, ea, ſive ideas ſuas, ſive axiomata ſibi à natura cognita excutiens, ſive opera Dei, omnibus manifeſta, conſiderans, eò pervenire non poſſit, ut ſolide concludat, dari iſtiuſmodi in Deo Trinitatem. *HOMO INTEGER an ſciverit Deum eſſe Triunum.*

CCCCXVII. Primo integrum hominem examinemus, in quo, ſi prorſus non fuerit ante lapſum hæc cognitio, nunc naturali eam medio haberi poſſe non videtur.

An homo integer ſciverit Deum Triunum.

CCCCXVIII. Dubitari autem vix poteſt, quin Protoplaſtis ante lapſum hoc dogma haud fuerit incognitum rectitudo enim & integritas hominis, quæ, Deo factore digna ſit; & hominis naturæ, ut jure recta audiat, conveniat, haud patitur, ut ſumma ipſi lateat maximeque admiranda Dei perfectio. Imprimis cum ipſa mentis dependenter cogitantis rectitudo in eo ſita ſit, ut, pro modulo ſuo, conceptus habeat, enti perfectiſſimo, ut tali, convenientiſſimos. Quos Adam utique non habuerit, cum triunus ſit Deus, ſi prorſus hoc neſciverit myſterium.

CCCCXIX. Adami vita quoque initium erat vitæ beatæ, illam autem, non cognito hoc myſterio, fingere, inſigni abſurditate non caret. Neque alia eſſe poteſt atque alia creaturæ rationalis beatitas, ſummam rei ſi ſpectes. Alia nunc quidem ſcienda ſunt, præter ea, quæ Adamo innotuere, fateor; verum quæ non ipſum Deum, non ipſam Dei naturam, non id quod eſſentiale Deo eſt, quale ſit triunum eſſe, ſed vias, ſed molitiones, ſed perfectionum quarundam peculiarem manifeſtationem ſpectent: Rectus homo univerſum gratiæ conſilium, ſarta atque incolumi rectitudine ſua, ignorare poterat, trinitatem non poterat; hæc enim naturalis Deo perfectio eſt.

CCCCXX. Quin nec verum Deum cognoviſſet nec verè. Non verum: quia is triunus eſt: non vere, quia omni ratione unum cogitaſſet, qui certa ratione trinus erat.

CCCCXXI. Neque ad hanc aut illam Dei œconomiam reſtringenda eſt hujus cognitionis neceſſitas. Deum utre ipſa læſæ crimen majeſtatis vindicantem, aut peccatori gratioſum cognoſcere, ad certam quidem œconomiam pertinet, fateor; poterat enim, Dei naturam ſi reſpexeris, id omne non eveniſſe, attamen triunus non eſſe, per ipſam ſui naturam non potuit.

CCCCXXII. Quid ſi ullam Deo naturalem perfectionem, utpote aſeitatem, ſimplicitatem, omniſufficientiam, bonitatem, ſanctitatem aut non ſciviſſe aut ſequius concepiſſe dixerim, nonne id rectitudini atque integritati di-

Digitized by Google

diviņæ imaginis obſcuerit? At non minus, ex noſtra ſenten- *An homo*
tia, Deo naturale eſt, eſſe triunum, quam eſſe unum, *integer*
verum, bonum, ſanctum, omniſufficientem. καὶ οὔτε μὴ *ſciverit*
θέλων ἐγέννησε τὸν ἀϊδίως ὄντα γεγεννημένον ἐξ αὐτοῦ ἅγιον Λό- *Deum Tri-*
γον, καὶ Θεόν, ἀλλ' ἐν τῇ ὑπερβαλικῇ καὶ ἀφράστῳ αὐτοῦ φύσει. *unum.*
Et neque volens neque non valens genuit ſempiternè exiſtentem, ex ipſo genitum ſanctum verbum, ſed exſuperata & ineffabili ſui natura. Epiphan. Ancorat.

CCCCXXIII. Imaginem Dei: non viarum, non molitionum, ſed ipſius Dei, inquam, imaginem, quis conceperit, ſi Deus triunus ſit, ubi ignoretur trinitas?

CCCCXXIV. Nec emphaſi caret, quod, in creationis opere enarrando, tot veſtigia hujus veritatis apud Moſen legantur. Sic in ipſo capite libri *in principio* ברא אלהים *creavit Dii*, quod vocabulum plurale ita conſtructum quid velit antea probatum dedi. Verſu ſecundo memoratur רוח אלהים *Spiritus Dii* per appoſitionem, aut, Spiritus Dei; qui Deus eſt *Dii* i. e. trinus. Et ne dubium ſit, utrum hic de ipſo creatore ſermo ſit, verbum additur, opus ſignificans, a Deo unicè præſtandum; nimirum *fotus* univerſi. Hujus univerſitatis rerum omnium & forma & *gloria fotibus aucta eſt*, fotibus ſc: iſtius ſpiritus. Unde & non ſemel plurali vocabulo Creatorum mentio eſt in ſacris Eccl: XII. Jeſ. LIV. Signatè τῷ λόγῳ Filio Dei hoc opus in univerſum vindicatur Joh: I. Col. I. Heb: I. Jeſ: XL. 9. 12.

CCCCXXV. At quis credat non fuiſſe recto homini cognitum creatorem, qualem ſe in ipſo illoc opere conſiderandum dediſſe Moſes auctor eſt? Per quem omnia facta ſunt, eum ignoraverit; qui fotu ſuo omnia digeſſit & in ordinem redegit, eum non noverit homo rectus, univerſo operi colophon datus, ut eum celebraret & talem, qui & qualis iſtud opus patraverat.

CCCCXXVI. Notatu autem digniſſima eſt divina illa ſe mutuo quaſi ad opus excitantium Patris Filii & Spirit. S. ἐγκέλευσις Gen: I. ſeu adhortatio. Non enim alloquutio illa unius ad alios tantum hic nobis favet & trinitatem probat,

verum & anſam dat cogitandi, incognitos non fuiſſe homini integro P. F. & S. S. a quibus creatus eſt, ſolennem, ut ita loquar in modum. Sed quod potiſſimum in hiſce reſpicio, hoe eſt; quod Pater excitans F. & S. S. exerte velit ut homo fiat in imagine atque ſimilitudine illorum trium בצלמנו & כדמותנו *in Imagine NOSTRA, in ſimilitudine NOSTRA*. Ut eventum ſuum nacta non ſint Patris verba, niſi fuerit in homine, quo Deum trinum referret & unum. οὐ γὰρ εἶπε κατ' εἰκόνα ἐμὴν, ἢ κατ' εἰκόνα σὴν, ἀλλὰ τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, μίαν εἰκόνα ἐδήλωσε καὶ θεότητα. Epihan: Ancorat. Cap. XXXVIII.

An homo integer ſciverit Deum Trinum.

CCCCXXVII. Et dubitari vix poteſt quin, ſui imaginem molitus Pater, Filium εἰκόνα intuitus fuerit, eumque reſpexerit. Hinc in ſecunda quoque creatione ad Filii Dei ſimilitudinem nos erchi paſſim innuit S. S. quando non immerito trium perſonarum imaginem gerere dici poſſumus. Sane Pater Filium reſpiciens in homine, ſui; Filius ad quem reſpexit Pater pariter ſui; Sp. S. idem Deus, quando eam fovebat imaginem pariter ſui reperiebat imaginem, cum ipſe â Patre ſit & â Filio.

CCCCXXVIII. Quod prævaricatrici licet menti penitus forte exciderit, ad rectitudinem tamen ejus requiri, tanto molimine poſtliminio inſtaurata docet. De qua dubium non eſt, quin, ut integra ſit, trinitatis requirat cognitionem Joh: XVII. 3.

CCCCXXIX. Imo vero ſi Poireto credimus ipſa mentis natura talis eſt, ut, quemadmodum alia opera, ſic ipſa *quam maximè ſibi impreſſas habeat notas & imagines naturales (hoc eſt quæ ſunt in ipſa mentium natura) ex quibus etiam patet ſimile quid & correſpondens aliquod Trinum in Deo eſſe*. Hanc propoſitionem ſic demonſtrat. p. 233. 234. & 235.

CCCCXXX. Hæc propoſitio ſic poteſt demonſtra-
„ ri à priori, cogitantium rerum (corporeis prætermiſſis)
„ reſpectu. Omnium (etiam Dei) factorum ſeu operum, ma-
„ ximè verò præcipuorum, finis eſt, Amor Dei Spontaneus

„ (per

„(per Axiom. 1.) Ad quem amorem optime diſponimur per agnitionem S.S. Trinitatis, etiam quatenus illa eſt incomprehenſibilis (*per prop. præced. quod & infra, quia momentoſum eſt expreſſius demonſtrabitur.*) Ergo Deus opus condens ad finem amoris, ei impreſſit inclinationes & media ad hunc finem, nempe ſigna, notas & characteres S.S. Trinitatis ſuæ, vel ſui ipſius, quæ in reconditiſſimis ſuis, mens creata gereret, nec poſſet ſe ſuamque naturam ſpectare, quin Dei imaginem amabilem videret. Qui diceret Deum hæc media non impreſſiſſe, diceret Deum eatenus ſui amorem in mentibus delere vel negare: finis enim eatenus tollitur & negatur, quatenus tolluntur media ad illum. Sed hæc à poſteriori, per effectum & experientiam in cujuſvis mente ita patent & demonſtrantur. Cum mens & cogitatio noſtra in ſe reflectitur ut de ſe cogitet ſeque noſcat, tunc producit gignitque in ſe ideam, imaginem, repræſentationem, atque veritatem, ſive, cogitationem ſui ad ſe, conformem ſecum, quæ ejus productio intima, fructuſque ejus, imo & veluti filius vocari poſſit, naſcitur enim ex ipſa, eſtque ejuſdem, non autem differentis naturæ, quin illa ipſa eſt. Mens deinde ſe ipſam in illa ſui imagine intuens, ſpontaneo fertur amore erga ſui, ſuave imaginis perfectiones, cum gaudio & acquieſcentia quadam, ſi eas videat vel earundem perquiſitione, ut eas magis magiſque ſibi exponat, explicet, iis potiatur, ſentiat earum fruitionem, delectationem, expanſionem, effluxum & refluxum ad ſe. Atque hæc tria. I. Cogitatio, vita, ſive mens ipſa; II. Ejus ſimilitudo, idea, imago, veritas, intima productio, & veluti filius internus; III. Denique acquieſcentia, lætitia, fruitio ſui cum gaudio, ſui communicatio intimaque expanſio, quamquam tria ſunt, una tamen numero mens, una natura atque eſſentia numerica eſt. Quas conſiderationes ad Deum cum transfero, ut modo ſimili de illo mediter Eum agnoſco cogitationem, Mentem, Ens a ſe, ſibi ſufficientiſſimum in ſua natura & regimine, Ensque ſe ipſum docens, hoc eſt, juſtum æquum li-

An homo integer ſciverit Deum Trinum

„ber-

An homo integer ſciverit Deum Trinunum.

„ berum. Agnoſco & illum potuiſſe quidem de eo quod „ is ipſemet non eſt, nunquam cogitare; at non ſic de ſe, „ quem nunquam non potuit non cogitare & intelligere: qua„ re ab æterno in ſe excitavit, produxitque ſive genuit ſui „ ipſius Repræſentationem, ſui Ideam, Imaginem, formam, „ Similitudinem, Characterem, Splendorem, Veritatem lu„ cidam (conformitatem ſui ſecum,) Lucem veram, (in„ telligentiam ſui ſibi conformem) Productionem, Filium, „ natum ex ſui ad ſe conſtantiſſima & æterna reflexione, aut „ ex ſui de ſe ipſo (humano more loquendo imprægnatio„ ne, repræſentantem perfectiſſime Deum, ejuſque infinitas „ virtutes, adeoque qui & ipſe Deus ſit, & Ens perfectiſſi„ mum. Denique concipio ex perfectiſſima hacce productio„ ne procedere aliquod Tertium, Amoris nempe plenitudi„ nem erga Deum ſic ſibi repræſentatum, Acquieſcentiam, Læ„ titiam, Voluptatem, Adſpirationem (ſive Spiritum) ad „ hanc ſui imaginem Deſiderium ſe ſecum magis magiſque „ (ut ſic loquar) communicandi, ſecum commercium ſe ip„ ſo dignum habendi, hoc eſt, concipio inde principium „ Bonitatis, Charitatis, Sanctitatis, divini de Deo ipſo „ ſcrutinii (quomodo *Spiritus Dei profunditates Dei ſcrutari* „ *dicitur.* 1. Cor: 11. 10.) Principium quo Deus ſe ſibi ipſi „ communicat, exponit, ſe ſe erga ſe exponendo ſibi gloriæ „ profunditates majeſtaticas regit, ſuique experimentum in ſe „ capit & ſentit; principium quod, Spiritus Sapientiæ, intelli„ gentiæ, omnipotentiæque dicitur, quod & aliis multis no„ minibus deſignari poteſt; ſed quibuſcunq; demum id fiat, ip„ ſe tamen Deus eſt eſſentiâ: non enim hæcce, quæ tertii hujus „ reſpectu diximus poſſidet divinitas a re quæ a Deo diverſa „ eſſet. quippe quod abſurditatis & impietatis eſſe extremæ.

CCCCXXXI. Hæc autem demonſtratio (univerſam enim noſtram non facimus, minus probamus phraſes omnes ipſi uſurpatas) ſi obtineat, non prorſus nobis excidit omne Trinitatis veſtigium; difficillimè licet, modo ne nulla prorſus ratione, niſi occaſione revelationis, denuo reſuſcitandum mentique repræſentandum. Quod nos quidem verũ exiſtimamus,

CCCCXXXII.

Digitized by Google

CCCCXXXII. Siſti autem menti a S. S. in Scriptura loquente iſtam cogitationem antea demonſtravimus, uti in iis quæ jam abſolvimus paſſim notatum eſt. *An homo integer ſciverit Deum Triunum.*

CCCCXXXIII. At quis ſibi perſuadeat, ita diverſam eſſe Dei perceptionem, quæ ad integritatem inſtauratæ requiritur imaginis, cum ea, quæ in mente fuerat integra. Toto profecto cœlo differunt, Deum ut triunum noviſſe, & ſecus; inſtaurari ſaltem & renovari dici non meremur ad imaginem illius qui creavit nos Eph: IV. 24. niſi & ante eam habuerimus, atque ita poſtliminio nanciſcamur priori ſimilem. Illa autem cum in recta triunius Dei perceptione atque amore unice ſita ſit, fieri non poteſt, ut iſta perceptio atque amor, a priore abfuerint.

CCCCXXXIV. Imo vero qualem ſe in nova creatione probat, talem & in prima agnoſci debuiſſe vel ex eo palam eſt, quod prima creatio creaturæ novæ fuerit figura & quaſi delineatio. Deo volente, alibi id pluribus confirmabitur.

CCCCXXXV. Arbor vitæ, quem ſignate effigiaverit, nemini poteſt eſſe dubium, modo inſpexerit Apoc: II. 7. XXII. 2. 14. Sub redemtoris quidem idea, aut liberatoris concipi tunc Filius non potuit, fateor, ſed quid ni ut fontem vitæ, ut in quo vita Joh: I. 4. ut per quem & in quo Pater omnia operetur eum agnoverit Adamus? Aliquid ſaltem ſignificaſſe certum eſt, & id quidem in cujus communione vivitur pariter certum videtur.

CCCCXXXVI. Porro quid de Angelis dicemus, illine tunc demum hoc myſterium didicerint, poſtquam gratiæ œconomia, patrato peccato, initium habuit? Sane excogitari nihil poteſt quapropter Deus ipſis, ſi triunus ſit, ut talis non innotuerit.

CCCCXXXVII. Imprimis, cum, ſi Deus triunus ſit, neceſſario triunus ſit ab æterno, & naturale ipſi ſit triunum eſſe: adeoque & homines recti, & angeli ignoraſſent in ſtatu recto id, quod Deo & naturale & eſſentiale eſt prorſus abſolute.

Digitized by Google

An homo integer ſciverit Deum Triunum.

CCCCXXXVIII. Addo ſignatè Filio Dei vindicari creationem rerum omnium. *Perſpicuum eſt*, Epiphanius Hæreſi XLIV. §. IV. *hunc ipſum hominis mundique conditorem eſſe, quem ita Pater alloquitur* Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. *Atque hoc ex uno opere manifeſtus erit artifex, neque alius intelligetur tum fuiſſe qui hominem creaverit; .. Cui quidem rei B. Joh. in Euangelio ſuo ſuffragatur his verbis;* omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Ut Adamus ignoraverit eum, qui peculiari ratione ſuus erat Creator; quod ſane per abſurdum videtur.

CCCCXXXIX. Facile ſubvertuntur quæ Amyraldus adverſus hanc noſtram ſententiam diſſerit. Ad *Adami ſanctimoniam nihil feciſſe hanc cognitionem*, id eſt quod pernegamus; ſanctimonia enim non eſt, quæ Deum ignorat, quæ ignorat id quod in Deo maximè agnoſcendum & imprimis celebrandum eſt. Id in cujus gloriam cuncta facta ſunt ab אלהים *factoribus, creatoribus*. Multum utique homini recto ſitum in eo fuit, ut talem cognoſceret Deum, qualem ſe, creando omnia, potiſſimum mentem rectam, voluit revelare. Nec parum id ad intellectus fecit perfectionem, ut ne ignoraret id, quod Deo ita abſolute naturale eſt.

CCCCXL. Neque nos urget quod hic reponit Amyraldus Diſſertat. c. Curcell. p. 162. *OEconomia Trinitatis quatenus ad opera externa ſpectat, potiſſimum verſatur in procuratione ſalutis generis humani.* Potiſſimum in eo verſari, ſi tantundem ſit, ac, in hoc rerum ſtatu potiſſimum ex eo nobis innoteſcere, neutiquam negabo; modo & in opere creationis, licet non *potiſſimum*, verſari non neget. Ipſa creatio prima alterius typus quaſi & figura fuit, adeo ut & res creatæ, & convenientiſſimus in quem redactæ ſunt ordinem, & ipſa temporis, quo factæ & concinnatæ ſunt, ratio, delineatio ſint operis ſecundæ & novæ creationis; in quo cum *potiſſimum OEconomia Trinitatis* verſetur, dubium non eſt quin & in priore haud penitus fuerit non perſpecta. Scriptura ſaltem

non

Digitized by Google

non minus, quando de prima, quam quando de ſecunda creatione agit, hoc myſterium innuit, docet, inculcat. Quin potiſſima, quibus Judæos convicturus de ſua divinitate Meſſias erat, argumenta, primæ à creationis opere ipſe repetit, imprimis apud Jeſaiam XLI. & ſeq. Adde Joh: 1. Col: 1. Hebr: 1. 3. *An homo integer ſciverit Deum Trinunum.*

CCCCXLI. Amyraldus: *cum ſtatus Adami eſſet mere naturalis, mirum videri non debet, ſi felicitas, ejus modum naturæ non exceſſerit.* At is erat Adami ſtatus, ut rectus, adeoque Deum rectè cognoſcere atque amare, illiusque ſtabilem atque æternam communionem quærere aptus eſſet. Non excedit autem iſtiuſmodi ſtatus modum, ſi cognoſcat Deum talem, qualis revera erat? Longè aliter Biſterfeldius. *Integra humana ratio non ſolum poterat cognoſcere Myſterium Trinitatis, verùm etiam maximè debebat, hoc enim erat primum & naturaliſſimum ejus objectum.*

CCCCXLII. Poſt peccatum nihilominus ita prorſus deleta ex mente noſtra hujus myſterii cognitio videtur, ut, poſtquam Deus verbo eam ſuo ita manifeſtam fecit, difficulter tamen perſuaderi poſſit homini corrupto.

CCCCXLIII. Unde & qui plurima de Deo dixere & ſcripſere in gentibus, ἀθέοις tamen merito à ſacris Scriptoribus accenſentur. Atheus enim jure is audit, qui, licet entis ſummè perfecti & exiſtentiam agnoſcat, & multas alias virtutes, in animum tamen inducere hactenus non potuit, aut non voluit, ut id crederet, quod maximæ in Deo perfectionis eſt; & ſine quo cognoſci ita nequeat, ut peccator ſe ei committere audeat aut tuto poſſit.

CCCCXLIV. Sunt qui exiſtimant ſcintillas priſtinæ lucis hac quoque in parte reperiri adhuc poſſe in gentibus. Verum ut quod res eſt dicamus, aut ficta putamus & auctoribus, quorum nomina obtenduntur, adficta; aut, ſi quæ ita olim a priſcis illis ſcripta revera ſint, ut hodie citantur, ea vel a Moſe & Judæis hauſta, vel ab ipſis ſcriptoribus non intellecta, eoque, quo nunc capiuntur, ſenſu, neutiquam probata vix dubitamus. Talia ſunt quæ ex Si-

 bylli-

Digitized by Google

An homo integer ſciverit Deum Triunum.

byllinis foliis primum, dein ex Hermete Triſmegiſto, Zoroaſtre, Pythagoreis, Orpheo, Platone, Proclo, aliis, congeſſere tum ipſe Auguſtinus, tum ei cognominis Steuchus Eugubinus in Perenni philoſophia, porro Mornæus & Grotius de Verit. Relig. Chriſt. Petavius L. 1. de Trin. aliique. Taceo quæ ex Poſtelli Coſmographia Cap. xx. notat Rupertus in Notis ab beſoldum p. 10. At Ludovici Vivis placet ſententia. *Ne nobis quidem, quibus eſt myſterium Regni apertum, illuxit niſi radius quidam perexiguus illius immenſæ lucis: Philoſophi vero priſci, ſi quid dixerunt quod ad hanc rem faceret, tam obſcurum id fuit, ut locutos potius eos quam intellexiſſe exiſtimandum ſit.* in Auguſtin: de C. D. x. 13.

CCCCXLV. Licet haud inficier, cum in Adamo fuerit hujus myſterii cognitio, etiamſi menti noſtræ jam prorſus excidiſſe videatur, iſtiuſmodi notiones, tum ex idea nobis innata, tum ex contemplatione eorum, quæ Deus de ſe cognoſcenda omnibus expoſuit, elici poſſe, quæ myſterium iſtud, poſtquam ex ulteriori illa, quam in ſacro codice habemus, revelatione, jam innotuit, homini ſcripturam nondum veneranti, licet non prorſus perſuadere, probabile tamen reddere queant, & ab omni incredibilitate atque abſurditate liberare. Confer ſis hujus Capitis §. CCCLXXV.

CCCCXLVI. Argumenta, quibus de myſterii hujus veritate convincere conantur Viri Docti eos quoque, qui S. S. divinitatem non agnoſcunt, quin vel eo ſpernunt, quod trinitatem iſtam docere deprehendant, poſt Raymundum de Sabunde accurate congeſſere Biſterfeldius, Claubergius & Poiretus.

CCCCXLVII. *Quicquid eſt*, ſic Claubergius, *ei, quamdiu eſt, competit aliqua productio, ſive activa ſive paſſiva; quâ aut producat, aut producta ſit. Deus ab æterno eſt. E. Deo ab æterno competit aliqua productio. Hæc non eſt primo vel merè paſſiva; ſed activa & perfectiſſima, quia Deus perfectiſſime eſt. Perfectiſſima non erit, ſi productum deficiat vel tantillum à perfectione producentis.* Quemadmodum Pater habet vitam in ſe ipſo ſic dedit & Filio

Filio vitam habere in ſe ipſo. *Ioh:* v. Nec poteſt qui acceperit, ei, qui dedit eſſe inæqualis, quin & hoc accepit, ut eſſet æqualis. *Auguſtinus L.* III. *& Maxim. Cap.* 14. *Huc reſpicit S. S.* Ego & Pater unum ſumus *Joh:* x. 30. Parem ſe faciens Deo *Joh:* v. 18. Non duxit rapinam æqualem eſſe cum Deo, *Phil:* II. 6. *An homo integer ſciverit Deum Triunum.*

CCCCXLVIII. Porro „ Omne bonum eſt ſui com„municativum, Deus ſumme bonus. E. ſummè ſui commu„nicativus. Talis autem non erit, niſi totam alteri det eſſen„tiam, quæ cum ſit ipſiſſima divinitas, inamiſſibilis atque „individua, communicari quidem, ſed alienari non poteſt.

CCCCXLIX. „ Tertium argumentum petit a Natura „mentis intelligentis & volentis. Quod nullius boni ſine ſocio „jucunda ſit poſſeſſio, adeoque vita Dei Beatiſſima ſocieta„tem exigat, nec ſapiens unquam ſolus eſſe queat; *item* „quod Mens perfectè intelligens ac diligens ſine diſtincta „objecti intellecti ac dilecti imagine eſſe non poſſit, neque „Actus ſine termino, aut Vita ſine actu.

CCCCL. Plura non addo, neque ea vindicabo quæ propoſui, cum unicè ex S. Scriptura haurienda videatur Myſterii hujus cognitio. Satis jam ſuperque ejus veritatem utilitatem & neceſſitatem vidimus. Tranſimus ad contemplationem Viarum iſtius Triunius Dei.

Digitized by Google

Cap. IV.

DE
VIIS DEI.

Ordinis Ratio.

I. TRiunius DEI VIAS jam legemus, ulteriorem adhuc Dei cognitionem ſectantes, quam hactenus ex Gloriæ, Nominum, Eſſentiæ & Perfectionum explicatione hauſimus. Nec parum tamen in ſequentibus juvabit, talem jam noſſe, quali illæ, quas inveſtigabimus, *Viæ* conveniunt; Uti deinceps magnum fidei fulcrum erit, ubi tales quoque eſſe iſtas *Vias* viderimus, ut Deo jam ita cognito quam optimè conveniant, eumque quam glorioſiſſimè celebrent.

II. Diximus Cap: III. §. LXXIV conſiderandum eſſe Deum, unicum illud Theologiæ noſtræ objectum, cujus Gloria, Nomen, & Eſſentia jam innotuerat, primo abſolutè, abſque conceptu relationis, qua aut ad ſe ipſe referatur, aut ad alia.

III. Abſolutè Deum conſideravimus, contemplantes Scenographias Capite Primo Gloriam, Capite Secundo Nomen, Capite Tertio Eſſentiam & perfectiones, Quarum maximè admiranda erat Sacro Sancta illa in Deo Triunitas.

IV. Atque ita Cap. III. a §. LXXV. ad §. CCXCVIII. Deum jam vidimus ut relationem habentem ad ſe: nunc eundem Glorioſum, tot Nominibus Inſignem, Triunum Deum contuebimur, uti relationem aliquam habere voluit ad res alias præter ſe, non extantes autem aut factas, præterquam entis infinite perfecti juſſu nutuque ut §. XI. videbimus, & §. LXXVI. Cap. præced. jam notatum fuit.

V. Nutum autem illum conſiderabimus duplici ratione: primo ſimpliciter quemadmodum fuit ab æterno, ſicque nobis obverſabitur ut decretum ſeu conſilium Dei: deinde una

Digitized by Google

una cum effectis, quo referemus univerſam executionem divini illius conſilii. Quod conſilium una cum executione dicitur viæ Dei & molimina &c.

VI. *Viarum* Dei mentio eſt Deut: xxxii. 4. 2 Sam: xxii. 31. Job: xxvi. 14. xl. 14. Pſ: cxix. 151. Jer: ii. 13. Hoſ: xiv. 10. Apoc. xv. 3. *Via Dei,*

VII. Id quo quis aut aliquid tendit ad certum finem, via dicitur, ſive motu id, ſive mentis cogitatione fiat, ſeu conſilio, atque illius executione. Græci lxx. דרכי המלכים vias Regum πράξεις τῶν βασιλέων vertunt ſeu, res geſtas, id eſt, conſilia regum eorumque executiones 2 Paral. xiii. 22. xxvii. 7. Nonnunquam, ut Ezech: xl. 6. 22. 25. xliii. 1, 4. pro דרך habent adverbium πρὸς *ad*, quippe via tenditur *ad* locum aliquem, ſic conſilii omnis ſcopus eſt aliquis, quo collimat tenditque qui exequi conſilium ſuum ſatagit. Imo & ſubinde pro unico vocabulo דרך habent βλέπων πρὸς *ſpectans ad* Ezech: xl. 20, 25, 46. 47. Ezech: xliii. 2. *Quid ſit.*

VIII. De *Viis* Dei in genere notamus, finem, ſeu exitum earum alium eſſe non poſſe, quam quem ipſe Deus ſibi propoſuerat. Excidere ſcopo ſuo impotentis eſt, aut aliquid non prævidentis, aut inconſiderati, aut imprudentis. Poſt diem autem noviſſimum demum eum in ſtatum redacta erunt omnia, in quo Deus voluit ut manerent in omni æternitate. Adeoque tum demum prorſus clarum omni ratione atque manifeſtum erit, quid ſibi ab omni æternitate Deus propoſuerit: tum demum penitus conſummata erit Viarum Dei cognitio. Ad eam perfectionem anhelant, properantque indies quotquot in viis Dei *ambulare* cum *juſtis* volupe eſt. Hoſ: xiv. 10. *Finis Viarum Dei.*

IX. Duabus igitur partibus abſolvetur noſtra de hoc argumento tractatio: prior de propoſito aget; altera de illius executione, quæ duplex nobis erit, prima ante, altera poſt diem noviſſimi judicii. Atque ita, ab æternitate ordientes, tempora perluſtrabimus, uſquedum denuo deſinamus in æternitate. Huc ſpectabunt, ad hæc capita revocabuntur

Digitized by Google

ea omnia, quæ ad noſtram Theologicen in univerſum porro pertinebant. Utriuſque in Sacra Scriptura ſigillatim mentio eſt. פועל & מעשה dicuntur Jeſ: v. 12. Quorum prius molitionem, alterum effectum illius atque executionem denotat. Non ſecus ac in humanis diſtinguuntur βουλὴ & πρᾶξις Luc: XXIII. 51. Sic *Sapientia*, id eſt, Filius Dei dicitur *initium viæ ejus* quam poſſedit קדם מפעליו *ante molitiones ſuas*. Filius prior decreto, in Filio enim fecit propoſitum.

Prima Viæ Dei pars eſt Propoſitum Dei.

X. Propoſitum Dei eſt ipſius volitio, conſiderata, ut decernens de omnibus, quæ, præter ſe, unquam erant extitura. Adeo ut, quæ fuere, ſunt, & erunt, nunquam futura fuerint, niſi vi divini illius, de quo agimus, propoſiti. Ut hinc rerum omnium non origo tantum, ſed & omnis earum ordo, circumſtantiæ denique omnes derivandæ ſint.

Nihil eſt niſi volente Deo.

XI. Nihil potuiſſe fieri, adeoque nihil eſſe aut fore citra Dei volitionem ex eo conſtat, quod nihil à ſe ſit præter Deum, nihil quod non ab ipſo dependeat, confer Cap. III. §. CXCVIII. Et ſanè niſi omnia hinc derivemus, nihil hinc derivandum eſt. Eam enim deprehendimus rerum omnium connexionem, uniuſque ab alia dependentiam, ut, ſi vel tantillum huic volitioni ſubducas, ea, quæ ab illo ſubducto pendeant, aut cum eo nexum habent, pariter ſubducere neceſſario debeas. A re autem minima ſæpe maxima dependent; imo omnia aut ſibi invicem ſuccedunt, aut ſimul exiſtentia mediatam ad ſe, ſeu immediatam relationem habent. Id eſt; ad unum eundemque artificioſè concinnatum univerſitatis rerum exercitum pertinent. Adeoque minimum illud, ſi à volitione Dei non arceſſiveris, reliqua pariter aut à ſe erunt, aut ab alio: ſi à ſe, ergo totidem erunt independentia, quot res minimas à Dei conſilio exemeris; ſi ab alio, vel illud aliud dependenter aget, vel independenter, ſi poſterius, jam hæc res independens erit, quod abſurdum; ſi prius, habemus quod volumus.

Nihil eſſe poteſt niſi volente Deo.

XII. Nec quicquam evincet qui dixerit, futuro uno, virtute & vi iſtius futuri, alia facta eſſe. Illa enim alia à prio-

re

re ortum habebunt Deo aut volente, aut non volente, ſi prius, ſtat noſtra ſententia; ſi poſterius, tum & independens fingis id prius futurum, &, cum quæ futura ex eo profluunt nec numerum nec modum habeant, neceſſe erit, ut Deus tanquam otioſus ſpectator videat quid res à ſe factæ facturæ ſint nec ne. Quid jam de iis fiet, quæ, Deo non decernente, fient, anne ad communem ordinem pertinebunt, an cum iis quæ Deus decrevit jungentur, connectenturve, Deo id non decernente? certè idem, quod prius vidimus, abſurdum ſequetur, omnia nimirum divino tandem conſilio eſſe ſubducenda. Non enim poſſunt res decretæ accedere rebus decretis, niſi unam ſimul rerum univerſitatem conſtituant; hujus autem partem ſors reget, pars ex Dei conſilio gubernabitur: quo conceptu abſurdius quicquam excogitari non poteſt.

Omnia quæ ſunt, divino juſſu exiſtere.

XIII. Tandem ſi quis dicat Deum ſingulis rebus certum virtutis viriumque gradum decreviſſe, quem excedere haud queant, atque ita iis concreditam eſſe illam aut illam virtutis menſuram quam exerant: ſciſcitabor an non decreverit Deus ea, quæ ex re futura oritura erant, an vero prior alteram productura ſit independenter; an præterea Deus poſſit aliquem facere à ſe independentem, an ulla *realitas* fingi poſſit quæ non in univerſum à Deo dependeat? Abſurditatum ſyrma.

XIV. Accedit, quòd ſecundo momento, res non minus à Deo dependeat, quam primo. Nec neceſſarius nexus ſit, inter eſſe ſecundo & eſſe primo momento: aut magis ſuppetant enti facto & dependenti vires, quibus ex ſe ſit & a ſe ſecundo, quam quibus ſe ipſa exiſtere faceret primo momento. Licet igitur nonnulla ſint, quæ ab aliis rebus originem trahere dicantur, fieri tamen non potuit, ut ulla res cauſa ſit alterius cauſalitatemque ſuam exerceat, niſi volente Deo. Non enim minus eſt, alterius eſſe cauſſam, quam ſui ipſius, utrobique enim par requiritur realitas. Et qua ratione alii rei eſſe dabit, quod ſibi dare nec potuit primo, nec, ut maneret, ſecundo momento.

XV. Fuerit quoque ipſe Deus naturâ ſuâ ſufficiens ad res extra ſe producendas, fuerit talis, ut qui, ſuæ eſ-

Digitized by Google

Omnia quæ ſunt, divino nutu, exiſtere.

ſentiæ perfectione, ſe ipſum quaſi exprimere potuerit; fieri tamen haud potuit, ut illius omniſufficientiæ ſpecimen præter ſe exiſteret, niſi eam perfectionem, ut ita loquar, exerere voluerit. Et quis obſecro præter Deum aliquid fingat quod Deum referat, niſi ipſe ſua voluntate Deus?

XVI. Si quis autem dixerit, res omnes eſſe tales, quia Deus talis ſit, eo ſenſu, ut ſignificet, & res ipſas & rerum modificationes omnes profluere ex neceſſitate divinæ naturæ: quæ Spinoſæ blaſphemia eſt; regeram. 1. Nos jam pluribus demonſtraſſe tota ſua eſſentiâ & ſubſtantia Deum diverſum eſſe ab omni re extenſâ & dependenter cogitante. Aliæ autem res ſi ſint, & a Deo prorſus diverſæ, non poſſunt eſſe de eſſentia & ſubſtantia Dei. Quicquid autem non eſt ipſa ſubſtantia Dei aut pars quaſi ejus, illud aut ex ſe eſt, aut vi juſſionis & volitionis, adeoque vi propoſiti ſeu decreti divini. 2. Omnia Deo deberent eſſe coæterna, quicquid enim eſt de eſſentia Dei illud æternum eſt. Rerum autem univerſitatem ab æterno nec eſſe, nec eſſe potuiſſe, & ex ratione, & ex S. Scriptura Capite Sequente accurate adverſus Spinoſam evincemus. 3. Ipſa quoque natura Dei ut ens perfectiſſimum concipi poteſt, non conceptis rebus aliis, aut extenſis aut dependenter cogitantibus. 4. Imo vero nulla ratione pertinet ad conceptum Dei, ad cogitationem de Deo, ut ipſum cogitemus tanquam ex cujus eſſentia reliqua emanent.

XVII. Certum igitur eſt, cum à Deo ſint omnia, nihilque niſi prudenter & ſapienter ab ipſo factum ſit, fuiſſe penes illum de ſui communicatione atque expreſſione propoſitum. Niſi inſcium egiſſe dixeris ens ſapientia non minus quam aliis perfectionibus perfectiſſimè præditum.

XVIII. Peccatum, uti Deum non refert aut exprimit, ſic & proprie neque eſſentiam habet, neque exiſtentiam, adeoque *rebus* futuris, addo igitur decretis accenſeri proprie non potuit.

XIX. Prædicta quidem legimus peccata, plus ſemel, adeoque & præcognita ſunt Deo & præviſa; verum non in ſe,

Digitized by Google

ſe, cum ne quidem objectum cognitionis aut prævisionis, accuratè loquendo, propriè eſſe poſſint.

Peccatum Deo non adſcribendum.

XX. Decrevit Deus res, rerumque modos, & gradus. Legem præſcripſit, qua creaturæ cogitanti innoteſcit, quid ſui officii eſſe ſummus voluerit Legiſlator. Id eſt, qualis rei creatæ conveniat ſui, ut & cogitationum actionumque ſuarum, relatio ad Deum.

XXI. Deus autem ſingulis decrevit convenientiæ cum iſta norma & modum & gradum: qui ubi talis non eſt, tantuſque, ut normæ exactè reſpondeat, defectum dicimus & *ἀνομίαν*, quæ ipſa peccati natura eſt. 1 Joh: III. 4. Deflectit enim à lege ſibi præſcripta & officii norma data.

XXII. Adeoque peccati auctor Deus non tantum non eſt, verum nec eſſe poteſt. propriè auctorem non habet. Quin imo ne creaturam quidem, ſiquidem, *defector* potius, cum peccare dicitur, creatura ſit, quam auctor. Fiunt igitur vi divini propoſiti omnia quæ fiunt, tum res ipſæ, tum cogitantium actiones, tum extenſorum motus, fiunt inquam dependenter à Deo, adeoque vi conſilii divini. Fiunt ſic tandem & res & rerum actiones, illæ etiam quibus deeſt debita ad Deum relatio. Defectus propriè non fit aut exiſtit, eſt enim *negatio* debitæ ad Deum relationis. Hæc autem negatio, cum neget de creatura ſub lege id, quod in illa creatura lex requirebat, privatio eſt, id eſt, abſentia ejus quod adeſſe debebat. Adeoque peccatum & *ἀνομία*. Privatio & peccatum eſt, deeſt enim id, quod vi legis debebat adeſſe.

XXIII. Omnia præſciviſſe Deum, contingentia quoque jam cap. III. §. CLVI. & ſeq: multis probavimus. Præſcire autem nihil & prævidere potuit Deus tanquam non a ſe dependenter futurum atque adeo non volitum. Quin, cum res maximæ, quod iſtic loci notavimus, ſæpe à minimis, ſeu ut cauſis ſecundis, ſeu ut occaſionibus dependeant, fieri non poteſt, ut vel minima non penitus a Deo dependeant niſi & maxima ipſi ſubducantur. Unde & res minimæ cum fiunt haud minus Deo adſcribuntur quam

Digitized by Google

maximæ. Poſſunt res minimæ rationem habere pœnæ & præmii, quæ ſanè diſtribui niſi a Deo, ut judice conſiderato, nemo ſanus negaverit. Verum id negotium ubi ad propoſiti hujus executionem venerimus abunde conſtabit.

Divini propoſiti Nomina.

XXIV. Hoc propoſitum, hæc volitio Dei commodè vocatur προορισμὸς *prædeſtinatio* ſeu *prædeterminatio*: βουλὴ *conſilium*: εὐδοκία *beneplacitum*: dici quoque poteſt διαθήκη αἰώνιος *teſtamentum æternum*. Primo quidem προορισμὸς *prædeterminatio* ex locis Act. IV. 28. I Cor: II. 7. Eph: I. 5. II. Rom: VIII. 29. ὁρισμὸς quoniam Deus & omnia terminavit & ſigillatim ſibi propoſuit; προορισμὸς quoniam illa deſtinatio facta eſt ante res ipſas, & ab omni æternitate Act: XV. 18. βουλὴ Eph: I. II. Act: IV. 28. XIII. 36. XX. 27. Hebr: VI. 7. conſilium, quoniam factum eſt tanta cum circumſpectione & prudentia ut ab omni parte divinam, id eſt, infinitam prodat ſapientiam. ὡρισμένη βουλὴ *determinatum conſilium*. Act: II. 23. conſilium cui adſit χεὶρ Act: IV. 28. *manus*, vis qua efficiat quod decrevit: εὐδοκία Matth: XI. 26. Eph: V. 9. Luc: X. 21. Nec abſonum eſt Patris Filii & Spiritus Sancti hic cogitare Oeconomiam: qua ſapientiſſimè eum in modum id conſilium ſapientiſſimus Deus condiderit, ut executio palam faceret non Dei tantum δύναμιν ἀΐδιον καὶ θειότητα, verum etiam ſummam illam Dei perfectionem, qua Triunus eſt. βουλὴν θελήματος voluntatis memorat Apoſtolus, non enim niſi libera ſua voluntate id condidit divina majeſtas. At idem Patri Filio & Spiritui Sancto eſt θέλημα, adeoque & Patris & Filii & Spiritus Sancti fuit condere illud Conſilium.

XXV. Hinc ſingulis id tribuitur, id eſt, & Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Et ubi initium executionis faciendum eſſet, ea reperitur ἐγκέλευσις ſeu mutua perſonarum inter ſe exhortatio, ex qua jam antea inter ſe, liceat ita loqui, conveniſſe & conſilium de iſtoc opere iniiſſe patet.

XXVI. Quin

Digitized by Google

XXVI. Quin exertè in Filio, ſuos elegiſſe dicitur Pater Eph: I. 4. Hoc certum eſt, quod omnis decreti divini executio Filio tribuatur. Per ipſum ſæcula condita, ille creator non minus veteris quam novæ creaturæ Heb: I. 2. 3. Jeſ XL. 12. 26. ſeq. Nihil factum eſt niſi à Filio & per ac propter Filium Joh: I. 3. Decreto autem reſpondet executio. Tale igitur etiam conditum eſt. Imo Sapientia Patris ὁ Λόγος eſt initium Viarum Dei Prov: VIII. 22.

XXVII. Pariter omnia tendunt ad Gloriam Patris in Filio manifeſtandam Confer Cap. I. §. 13. Et ſane cum jam ab omni æternitate Filius ſit *ἀπαύγασμα τῆς δόξης reſplendeſcentia gloriæ* Patris, alius Viarum Dei finis & ſcopus eſſe non potuit, quam inſignis quædam ſui in Filio ſuo glorificatio. Præ omnibus eam perfectionem maximè conſpiciendam præbens, quæ in ipſo maxime admiranda & ſtupenda eſt, nimirum qua Trinus non minus quam unus eſt.

XXVIII. Sponte eo ferri videmur ut univerſum Dei conſilium ſub notione Teſtamenti conſideremus. Non quidem omnia hic locum habent quæ in Teſtamento ceteroquin reperiuntur, ſed facillima in ſequentibus methodo nos uſuros, ſi hoc modo concipiamus, multæ rationes probant. *Propoſitum Dei ſub notitione Teſtamenti commodè concipi.*

XXIX. Teſtamentum non inepta prorſus alluſione Imperatori tantundem eſt, ac, *teſtatio mentis*. Eſt *juſta voluntatis noſtræ ſententia, de eo quod poſt mortem ſuam fieri quis velit*. Juxta quam definitionem Deo teſtamentum adſcribi non poſſe videtur.

XXX. Eſt tamen hic voluntas Dei; eſt voluntas, non minus, quam mortui teſtatoris, rata, & irrevocabilis: eſt voluntas rata, qua heres indicatur, & diſponitur de bono, quod habiturum eſt rationem hereditatis: robur & fundamentum hujus voluntatis omne eſt in morte teſtatoris. Nimirum mors Filii Dei omnium moliminum Dei baſis eſt. Quæ ſi non eſſet, tale conſilum inire Deus non potuiſſet.

Digitized by Google

Propoſitum Dei commode ſub Teſtamenti notione accipimus.

XXXI. Atque haud immerito iſtud Dei conſilium nobis ſub notione Teſtamenti obverſatur. Imprimis cum Chriſtus Dominus *heres* Hebr: I. 2. dicatur; & regnum, quod ipſi obtingit, *hereditas*; & ſanguis, *ſanguis teſtamenti*. Hebr: XIII. 20. & credentes *coheredes*: Rom: VIII. 17. & mors ipſius mors *teſtatoris*: *nam ubi teſtamentum eſt, neceſſe eſt ut interveniat mors teſtatoris*, Hebr: IX: 16. 17. *Nam teſtamentum in mortuis firmum eſt: cum nihil poſſit quando vivit teſtator:* de humanis Teſtamentis loquitur, quoniam ante mortem revocari voluntas poteſt, hinc in morte demum Teſtamentum firmum ratumque eſt. Quod quidem non ita prorſus hic obtinet, cum, licet in morte Filii Dei, qui unus cum Patre eſt, quaſi fundetur, vi tamen divinæ immutabilitatis jam ſtabile fuerit & irrevocabile ab æterno. Quin imo *teſtamentum æternum* memorat idem Apoſtolus XIII. 20.

Omne Dei Conſilium quare ſub Notione Teſtamenti concipiamus

XXXII. Rationes tamen quæ ſub notione Teſtamenti Divinum omne Conſilium concipiendum eſſe docent, non leves ſunt. Primo quidem id certum eſt, quod vocabulum ברית & διαθήκη plus ſemel occurrant, ubi, aut alia, quam teſtamenti notione accipi haud poſſunt, aut ſaltem eam manifeſtiſſime includunt. Sic Zacharias, Judæos alloquens, dicit, *in ſanguine* בריתך *teſtamenti tui* Zach: IX. 11. Licet enim fœdus hic transferendum putes, tale tamen fœdus eſt, quod ſanguine erat confirmandum. Nec alio ſanguine, quam qui Teſtatoris erat, *ſuper* cujus *ſacrificio fœdus* cum Deo ſecandum Aſaph auctor eſt Pſ: L. 5. Nimirum peccator, Deo fœdus offerente ſuper ſacrificio Chriſti, in fœdus illud concedit per adſtipulationem, ex animo virtutem illius ſanguinis fœderalis ultro agnoſcens; qui alius eſſe non poteſt, quam, aut ipſe ſanguis Chriſti, aut illius typus, ſanguis victimarum legalium. Uterque autem cum ad *teſtamentum* confirmandum fuſus ſit, tanquam ſanguis *teſtatoris* habendus eſt: Apoſtolus id docet Hebr: IX. 15-20. utrobique hæc obtinet ratio, ſive ſanguinem reſpiciamus quem Moſes, ſive illum quem Chriſtus adſperſit: nim. *teſtamentum ratum eſſe in mortuis*. verſu 17.

Ut

Digitized by Google

Ut notionem teſtamenti hic non agnoſcere, ſit Paulo contradicere. Eandem nobis ſuggerit Chriſtus Dominus. *hic enim eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti* Matth. XXVI. 28. quo loco ſi quis præfracte contendat pro N. T. vertendum eſſe *Novum Fœdus*, is ſaltem negare non poterit, Fœdus non fieri, niſi *ſuper ſacrificio*, adeoque ſanguinis fuſione Pſ: L. 4. præterea propoſiti Dei executionem omnem ex morte Chriſti repetendam eſſe, adeo ut, niſi ab æterno in ſe ſponſionem ſuſcepiſſet Filius, cujus vi ſponſionis, *anima* danda erat *redemtionis pretium* Jes: LIII. 10. & in tempore ſanguinem fundens factus eſſet ἔνδειξις τῆς δικαιοσύνης, Dei ſane viis juſtitia non conſtaret aut rectitudo; *decuit* enim ipſum ut ita ageret. Eſt igitur ſanguis Chriſti fuſus inſtar ratificationis, qua propoſiti Dei executio ejusque ratio omnis juſtificatur; & rata habetur. Hoc ſanguine fuſo omne gratiæ propoſitum ſe habuit Teſtamenti inſtar, quo, per mortem Teſtatoris confirmato, fieri non poteſt, ut propoſitum ſuum aut mutet Teſtator aut revocet. Non quod antea revocari potuerit; ſed quod certa quadam analogia Dei conſilium non ſecus ac Teſtamentum morte confirmetur.

Propoſitum Dei quare ut Teſtamentum concipiamus.

XXXIII. Huc accedit, quod ea omnia, quæ Chriſtus obtinuit & mortuus atque ad dextram Patris collocatus, jure jam poſtulare poterat a Patre, ipſi Chriſto ſub notione *hereditatis* promittantur Pſ: II. 8. poſtula a me & dabo gentes נחלתך *hereditatem* tuam. Sic *deferebatur* ipſi *hereditas* quam, per Euangelii prædicationem, *conſequi* poterat. L. 131. D. de Verb. ſignif. Et quemadmodum ſorte dirimi ſolent, aut præveniri, de hereditate erciſcunda lites, ſignate funiculis: ita ſuaviter ad hanc rem Chriſtus Dominus Pſ: XVI. 6. *funiculi ceciderunt mihi in amanis, etiam pulchra hereditas mihi.* unde Filium alloquens eccleſia ipſi tribuit *hereditatem* Pſ: LXVIII. 10.

XXXIV. Filium ἔθηκε κληρονόμον πάντων Hebr: I. 2. Ipſi Phariſæi illam Chriſti excellentiam agnoſcebant οὗτός ἐστιν ὁ κληρονόμος Mat: XXI. 38. Ita autem ut habeat συγκληρονόμους.

Digitized by Google

Propoſitum Dei quare ut Teſtamentum concipiamus.

Rom: VIII. qui cum ipſo ſint κληρονόμοι Θεοῦ verſu 17. ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν Eph: I. III. Exſpectamus κληρονομίαν ἄφθαρτον 1 Petr. I. 4. ut κληρονόμοι Θεοῦ διὰ Χριστοῦ Gal. IV. 7. Filium autem heredem concipere, qui coheredes habeat, qui poſſim abſque notione Teſtamenti? Eſt heres, eſt hereditas, ſunt coheredes, eſt Teſtamentum, vi Teſtamenti igitur ille heres & coheredes adipiſcuntur hereditatem. Neque enim in hereditatis partem cum Filio venire quis poteſt, niſi vi Paternæ diſpoſitionis.

Hæc ſententia vindicata.

XXXV. Nec nos movet, ſi quis objiciat, Filium heredem non eſſe ex teſtamento, ſed ab inteſtato, quoniam Filius unigenitus; præterea, eundem non eſſe heredem poſſe ejuſdem boni, quod vi pacti ipſi competat: porro, cum ipſe Deus, adeoque teſtator ſit, eundem heredem eſſe non poſſe, & qui ſimiles ſunt iſtius furfuris inanes cavilli. Etenim in iis omnibus, quæ a rebus humanis vocabula & notiones ſeu metaphoricè ſeu aliàs transferuntur, id obſervandum eſt, ut propter infinitam Deum inter ac res divinas, & homines ac res humanas differitatem, terminos & notiones ab hominibus & rebus humanis non aliter transferamus, quam ſecundum certam quandam analogiam. Quod, niſi in Theologia ceſpitare & hallucinari paſſim velimus ante omnia obſervandum eſt. Neque minus, imo vero magis periculoſum eſt, notiones de rebus divinis, in nobis excitatas, aut excitandas, ad eas, quas de humanis habemus, penitus componere; quam rationis corruptæ dictamina normam fingere, ad quam inſtituenda ſit omnis Sacræ Scripturæ interpretatio.

XXXVI. Quin & multa vocabula, qui idiotiſmus eſt Spiritus Sancti, peculiari prorſus ſignificatione ſunt accipienda, non recepta ulli alii auctori. Occurrit jam vocabulum Κύριος toties totieſque in S. S. uſurpatum eo ſenſu, ut Deum denotet, reſpondeatque ſaltem nominibus Dei יהוה אדני ut antea notavimus. Notat autem doctiſſimus Pearſonius nullibi in profanis veterum Græcorum ſcriptis de Deo acceptum reperiri. Quinimo potius ſervum quam Deum & Dominum olim denotaſſe.

XXXVII.

XXXVII. Sufficit, ubi terminus quis, ſeu vocabulum aliquod à Spiritu Sancto adhibetur, ad rem quandam divinam ſignificandam, ſufficit, inquam, ſi analogia quædam ſit, inter rem ſignificatam, qualis in humanis reperitur, & eam, quæ, vocabulo inde deſumto, nobis in divinis ſignificatur: manente ſemper illo utrobique diſcrimine, quod ex Dei & hominis infinita differitate exſurgit. *Propoſitum Dei recte notione TESTAMENTI concipitur.*

XXXVIII. Quod, niſi probè obſervetur, millenis incauti erroribus implicabimur. Sic Sociniani veram ſolutionem veri lytri redemtionis exſibilant, eo quod non reperiant id, quod proprie ſolvitur; nec eum, qui ſolutum accipiat, eo ſaltem, quem tales notiones & vocabula illa, apud Juris conſultos uſurpata, excitare ſolent, ſenſu. Sic generatione ex Deo, & adoptione, & ſimul inito cum filio conjugio, eandem eccleſiam evadere filiam Dei, quis non, ſi Juris dictata ſequatur, abſonum dixerit? Adoptari enim ilico ac genita eſt, Filioque ſimul uxor dari, & nata eſſe atque adoptitia non poteſt. Plura addere ſuperſedeo. Ceteroquin de emtione, ſponſione, pacto, ſigillis, aliiſque prolixe foret dicendum.

XXXIX. Præterea qui dicit Filium heredem eſſe *ſuum* & proprium, neque neceſſe eſſe, ut Teſtamento vocetur, verum dicit, ſed quod huic negotio haud recte applicetur. Licet enim ab inteſtato Filius ſit heres, non poteſt tamen ita heres eſſe, ut habeat coheredes, niſi vi Teſtamenti Paterni. Habet autem coheredes. Notio igitur Teſtamenti negligi hic haud poteſt. Ubi enim Teſtamentum non eſt, ibi nec coheredes habet Filius.

XL. Porro præcipuum, quod adit bonum, ipſi peccatores ſunt. Horum autem ab inteſtato heres eſſe non poteſt, cum, non, niſi interveniente *conſilio pacis*, quod fuit inter Jehovah & Germen Jehovæ, non, niſi ſponſionem in ſe ſuſcipiente Filio, fieri potuerit, ut eorum heres dici poſſet.

XLI. Erat quidem, vi æternæ Filiationis, unicè idoneus, qui iſtam adiret, ſibique vindicaret alienatam & Dia-

Digitized by Google

TESTAMENTI notione Propoſitum Dei recte concipitur.

bolo mancipatam, peccatorum hereditatem. Non heres tamen, niſi vi divini conſilii, illud bonum Filio decernentis. Bonum, imprimis tum temporis, jure alterius futurum, cum adeundum foret. Adeoque non adeundum, niſi abolito eo, qui dicitur τὸ κράτος τοῦ θανάτου ἔχων. Addo, bonum irrevocabili animi propoſito, ſub notione hereditatis, alicui decernere, nec, niſi interveniente, id una decernentis, morte, ſanè non minus analogicè notione Teſtamenti conditi venire, quam in divinis ulla res alia, vocabulo, Juriſconſultis deinceps uſitato, exprimi poteſt.

XLII. Nec ſollicitos nos habet, quod ipſe Teſtator ſit & Teſtamenti conditor, ejuſdem, cujus vi, heres eſt: Teſtator enim eſt, ratione potiſſimum coheredum, & heres ratione Patris. Præterea voluntas Patris, quâ teſtamentum illud conditum, decretumque de iſtac hereditate eſt, pariter eſt voluntas Filii & Spiritus Sancti: atque ita ſecundum admirandam S. Sanctæ Trinitatis œconomiam & Teſtator eſſe & heres potuit. Non minus ac miſſus & mittens.

XLIII. Necdum tibi ſatisfactum? *Potiſſima tamen* inquis *illius denominationis ratio Teſtatoris mors eſt, eam Apoſtolus ſuggerit*; At ea non reperitur in diſpoſitione Dei patris de danda Filio hereditate, cum, non mortuus Teſtator, ſed Pater conſiderari debet ut diſponens, & Filius ut de cujus diſpoſitum hereditate ſit. Lubens largior te jam eviciſſe principem illam rationem, cum hic in modum non obtinere quo inter homines. Manet tamen plus quam ſufficiens hujus denominationis fundamentum. Hinc ipſe Chriſtus ſuam diſpoſitionem *nobis*, & Patris *ſibi* decernentem hereditatem eodem verbo διατίθεμαι exprimit Luc. XXII. 29. Quinimo & mortuus, eſt is, qui idem Deus eſt cum patre.

XLIV. Omnem autem difficultatem tollere videtur, quod ipſe Deus iſtiuſmodi etiam propoſiti ſui, liceat ita loqui, partes; ſeu potius Conſilium ſuum conſideratum cum relatione ad ea, in quibus nec hereditatis nec mortis ratio locum habet, adeoque minor adhuc analogia eſt,

eſt, quod inquam Deus iſtiuſmodi diſpoſitionem nomine Teſtamenti exprimat. Moſi id flagitanti, ſe aliquid præſtiturum Deus pollicetur, *ecce ego ſeco* ברית, *coram populo tuo faciam mirabilia* Exod. xxxiv. 10. Sic Deus diſpoſitionem ſuam de die & de nocte, vocabulo exprimit quod Apoſtoli vertunt διαθήκην Jer. xxxiii. 20. 21.

TESTAMENTI notione Propoſitum Dei recte concipitur.

XLV. Si dicas fœdus hic verti Hebræum vocabulum debere, rogabo annon longe minor analogia inter hanc diſpoſitionem & Fœdus ſit, quam inter Dei Conſilium & Teſtamentum. Sic & meræ promiſſiones ut gratioſi propoſiti declarationes eadem notione reperies acceptas, loco Jeremiæ nunc allegato. In uno major in alio minor ſit rerum divinarum cum humanis analogia, hic ſaltem ſufficiens reperitur, qua iſtæc fundetur denominatio: ut, jam annos aliquot, Theologiam ex Scripturis unicè haurientibus, fruſtra hac de re litem intentarint nonnulli fratres.

XLVI. Imo ſi quis nimis rigide & obſtinatè hic nos urgere ſatagat, is cogitet eodem fundamento ne quidem Conſilii aut propoſiti, aut prædeſtinationis, aut Decreti fore admittenda vocabula; neque enim, quæ præcipuum harum denominationum in rebus humanis fundamentum ſunt, in Deo & rebus divinis reperiuntur. Neque enim deliberat Deus aut deliberavit unquam, quod tamen vulgo eſt Conſilium capientis; reliqua prudens Lector ipſe expendat.

XLVII. Nobis indicata aliquoties analogia ſufficit; alii abundent ſuo ſenſu. Plura vocabula ſunt, & à Deo nobis ſuggeſta quibus id Conſilium exprimi poteſt. Pro ſuo quiſque ſcopo eo utatur, quod commodiſſimum videbitur, per nos licet; Non amamus inanes λογομαχίας.

XLVIII. *Omne* autem Dei Conſilium, adeoque quatenus *cunctarum* rerum origo eſt, omniumque ordinem & finem conſtituit, hac notione non ſecus concipio, ac ſi quis Rex Sapientiſſimus non ſolum ex aſſe heredem ſcriberet Filium primo atque uni genitum, verum præterea de omnibus ſtatueret: adeoque & quid agendum, quoque modo omnia regenda in maximum Filii iſtius emolumentum, &

Digitized by Google

TESTAMENTI notione Propoſitum Dei recte concipitur.

ſummam gloriam. Sunt in regno res quoque inanimatæ, ſunt animalia omnis generis, homines denique, genere, moribus, ſorte diverſiſſimi. Hi muneribus admovendi & in honoris evehendi culmen, hi in carceres detrudendi æternos, magniſque malis mulctandi. Univerſum Filio regnum cedit, adeoque de iis ita diſponit obſequentiſſimus, & Sapientiſſimi ac fallere neſcii patris Filius, uti iſta patris flagitat diſpoſitio.

XLIX. Filius illud Conſilium approbat, idem juxta tenorem id ſuum exequendum in ſe ſuſcipit. Adſtipulante Spiritu Sancto, ſuas quoque, ignoſce de rebus maximis balbutienti, partes in hoc Conſilio habente, illiuſque in executione illuſtriſſima continuo ſpecimina exhibente.

L. Videt jam Lector, ſub notione Teſtamenti appoſite hic a nobis Dei conſilium concipi. Neque peculiare aliquod decretum, ſed omne Dei Conſilium hoc nomine inſignio. non enim in Deo eſt niſi unicum æternum atque immutabile conſilium, cujus executio ſit omne id, quod *de* rerum univerſitate & *in* ea factum ab initio eſt, & in æternum fiet. Nos quidem, pro noſtro concipiendi modulo, diverſos eventus ſigillatim conſiderantes, diverſa ſub notione Dei decretum exprimimus & concipimus: at, non ignorantes, unum ea omnia, idemque Dei conſilium eſſe. Sic idem conſilium conſideratum, ut diſponens, de ſui in hominibus per Chriſtum ſalvandis glorificatione, *decretum Electionis* appellari ſolet: *Reprobationis* autem, quando cum relatione ad eos qui pereunt idem intuemur. Alii id ad rerum creationem referentes *decretum* creationis, ad earum conſervationem & gubernationem, decretum *providentiæ*. Cui quidem methodo non contradicimus, manente tamen Conſilii & Decreti divini, in univerſum conſiderati, ea, quæ Deum decet, unitate & ſimplicitate.

LI. Quemadmodum igitur omne *conſilium* Dei unum eſt & una notione *προορισμοῦ* venire poteſt & *βουλῆς τοῦ θελήματος*, & *propoſiti*; nobis, Scriptura palam præeunte, vitio verti non poterit, ſi potiſſimum vocabulo utamur *Teſtamenti*.

LII. Eo omnia redeunt Dei propoſita, conſilia, molitiones,

nes, ut in Filio, æternum in ſuis glorioſo; Pater & Filius, Sacro Sancta adeo Trinitas æternum glorificetur. Huc tendere omnes Dei פעלים *molitiones*, *vias*, *conſilia*, nemo orthodoxus unquam negaverit. Gloriam Dei non niſi in Filio demum conſpicuam eſſe & fore in æternum Scenogr. Cap. I. §. XIII. fuſe demonſtravimus. Chriſto in carne apparente viſa eſt gloria Dei Joh: I. 14. glorificat Pater Filium Joh: VIII. 54. honore & gloria coronat eum Pſ: VIII. miraculorum ſcopus eſt gloria Chriſti Joh: II. 11. XI. 4. glorificatur autem in hereditate ſua vindicanda ornandaque; confer hujus Cap: §. XXIII. XXIV.

TESTAMENTI notione Propoſitum Dei recte concipitur.

LIV. Hunc in finem omnia cum fecerit faciatque Deus, huic cum omnia inſerviant; etiam inviti eo adigeremur, ut, *gloriam* Filii, ipſius *hereditatem dicentes*, *conſilium* de omnium rerum creatione & gubernatione, de omnibus, uno verbo; quæ, vi voluntatis Dei, fuere, ſunt, aut erunt, in hunc finem faciendis ac dirigendis, una notione complexuri, *Teſtamenti* nomine exprimamus.

Hujus notionis peculiaris utilitas.

LV. Tantum autem hæc notio nobis magis arridet, quanto majorem non tantum univerſæ Theologiæ, verum & ſingulis Theologices noſtræ partibus lucem adfundit. Alio prorſus in lumine poſita & penitus Chriſtianè is facta Dei omnia contemplabitur, quiſquis ea, ut executioni *Teſtamenti* inſervientia conſideraverit. Sanè magis Chriſtianè, (liceat uti iſta phraſi) is de creatione, de providentia, de aliis omnibus loquetur, qui ea, ut huc tendentia, Teſtamentique, quo Filius heres vocatus eſt, executioni inſervientia cogitaverit, quam qui, nexum mediorum cum fine ultimo negligens, cum gentilibus gentilem in modum multa de iis diſſeret.

LVI. Sic *Sapientia* demum erit, quam acquiret noſtræ Theologices ſtudioſus. Quippe cujus ratio in eo potiſſimum ſita eſt, ut rerum nexum & veritatum, pro noſtro modulo, perſpiciamus, omnemque cum prima veritate veritatem, cumque fine ultimo media connectere omnia diſcamus.

LVII. Sapientia autem, ſignate quam N. Teſtamenti eſſe

 Ich-

Nuchmi TESTAMENTI *peculiaris fructus*,

Ichnogr. §. CLXIII. vidimus. Sapientia cujus omnis analyſis erit in myſterium Patris & Filii, in quo omnis Sapientiæ pariter ac Cognitionis theſauros reconditos eſſe Apoſtolus auctor eſt Col: II. 2, 3. Sapientia denique, quam non aſſequimur, niſi quatenus omnes viarum Dei partes & ſingulas, ut ad hunc finem tendentes, accurate perceperimus.

LVIII. Omnia nobis adſenſum præbent, inanimata quoque, Ordinem rerum creatarum, res creatas omnes, humani generis ex uno ſanguine procreationem, omnis creaturæ ſub vanitate ſubjectionem, manente tamen eo, quo idonea ſint, hieroglyphicè ea, quam artificioſiſſime delineare, quæ Chriſtum, quæ omne opus gratiæ & redemtionis ſpectant hunc inquam ordinem & reliqua nunc recenſita paulo intenſius meditatum, & rerum contemplatum veram connexionem inter ſe, & cum fine noviſſimo, ſe eſſe aliud nihil, docebunt, quam totidem media, quæ, Filio Dei, hereditatem paranti, adeunti, vindicanti, & in omnem poſſeſſuro æternitatem, inſerviant, aliumque in finem nec facta nec eum in modum aptata eſſe. Et fruſtra forent, quæcunque Dei conſilio non ſervirent Act: XIII. 36.

LIX. Scimus, hac re perceptâ, gloriari nos poſſe cum Apoſtolo, quod Deus *gratiam ſuam in nobis abundare fecerit in omni* σοφίᾳ *ſapientia &* φρονήσει *prudentia, quando notum fecerit nobis arcanum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum ſuum quod propoſuerat in ſeſe, ad diſpenſationem plenitudinis temporum, in unam ſummam confundere omnia in Chriſto, tum, quæ in cœlis ſunt; tum, quæ in terris in ipſo: in quo etiam ſorte vocati ſumus ſecundum propoſitum ejus, qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, Eph: I. 8, 9, 10.

LX. Quin imo videmur hac methodo viam ſternere ad componendas magno numero controverſias: nec graviter nos erraturos putamus, ſi dixerimus, commodiſſimam methodum eſſe, qua faciat Deus, ut *nomen* ſuum aliquando evadat *unum* & ipſe evadat *unus* per univerſam terram. Quod ex animo vovemus. Utrum autem votis reſpondere poſſe even-

Digitized by Google

ventus videatur, agedum in ſequentibu s faciamus periculum: faciemus autem abſque omni periculo, cum in omni Scriptura, Spiritum prophetiæ, Chriſtum quærere, eoque reducere omnem Viarum Dei contemplationem, quo omnes Dei Viæ tendunt, periculoſum eſſe non poſſit.

LXI. TESTAMEMTUM igitur primo & deinceps illius EXECUTIONEM videbimus.

TESTAMENTUM Dei quid ſit.

LXII. TESTAMENTUM Dei nobis ſignificat, *univerſum Dei Conſilium, de omnibus rebus, earumque ordine, ita diſponens, ut cuncta inſerviant introductioni atque immiſſioni Filii Dei in Summa atque æterna gloria, imo omnium hereditatem. Deuſque Pater glorificetur in Filio per Spiritum Sanctum in omnem æternitatem.*

LXIII. En ſummam dicendorum, demonſtrandam, accuratiore eorum, quæ hæc deſcriptio continet, pertractatione. Antea quidem Ichnogr. §. CXLIII. hujus Conſilii mentionem fecimus, illud, hypotheſeos inſtar, ſupponentes, deinceps ejuſdem Conſilii non minus quam Myſterii S. S. Trinitatis indicia in omnibus notavimus. Nunc autem illius Conſilii ſeu Teſtamenti, quantum pote, rationem omnem ſuccincte exponemus.

Eſſe iſtiuſmodi Conſilium ſeu Teſtamentum Dei.

LXIV. Eſſe penes Deum & ab omni æternitate eſſe conſilium, quo apud ſe faciendorum delineaverit exemplar, omniumque futurorum conceperit ordinem ac ſeriem, ex præcedentibus clarum eſt, & res ipſa docet, & Scriptura paſſim teſtatur.

LXV. Hoc Conſilium convenienter Oeconomiæ Trinitatis conſideranti, primò occurret cogitatio de Deo Patre, ut qui Filio ſuo illam diſpoſitionem, penes ſe decretam, proponat, quemadmodum Fabro exemplar & delineationem Architectus. Fere ut Moſi accidiſſe legimus, exhibebat ipſi Deus typum & formam faciendi olim tabernaculi, ad quam ipſe, ut ſervus fidelis in tota domo, tabernaculum, ejuſque ſupellectilem omnem erat compoſiturus.

LXVI. Filius in ſe ſuſcipit executionem ejus omnem; cum imprimis partem; quæ ſui humiliationem, paſſio-

nem

Eſſe penes Deum iſtiuſmodi Conſilium ſeu Teſtamentum.

nem & obedientiam complectitur, tanquam baſin aliquam, cui univerſum opus eſſet inædificandum; addo, tanquam id, quo conſtat omnis iſtius molitionis divinæ æquitas, rectitudo, & decentia.

LXVII. Talis enim ille quem Deus conceperat, ordo erat, ut, Deo convenienter, executioni dari non potuerit, niſi interveniente morte & univerſa obedientia Filii Dei redemtoris.

LXVIII. Hæc in ſe ſuſcipiens, *Sponſionem* ſubivit, *Pactum* fecit *cum Patre*, *Hereditatem*, juxta *Teſtamenti* tenorem, aditurum ſe pollicitus.

LXIX. Executione autem omni ipſi demandata, penes ipſum eſt in hereditatis conſortium adſciſcere *coheredes*.

LXX. Qua ratione jam ipſe nobis ut *Teſtator* obverſatur.

LXXI. En ingentem ſelectiſſimorum Theologices noſtræ capitum numerum, quæ ſingula ut curatius excutiamus, longe ſunt digniſſima. Preſſius eadem denuo legemus veſtigia. Bene enim percepto hocce argumento, ea quæ ſequuntur, magis erunt clara & expeditu facilia.

LXXII. Conſilium iſtiuſmodi penes Deum eſſe, quo de omnibus diſpoſuit & æternum duraturum rerum ordinem decrevit, patet.

LXXIII. 1. Ex Sacra Scriptura. Quippe quæ Deo adſcribit *conſilium voluntatis ſecundum quod facit omnia* Eph: I. 11. βουλὴν ὡρισμένην *conſilium determinatum* Act: II. 23. ἀμετάθετον *immutabile & nulli tranſpoſitioni ſubjectum* Hebr: VI. 17. *Conſilium Jehova ſtabit, cogitationes ejus in generationem & generationem.* Pſ: XXXIII. 11. *dicens, Conſilium meum ſtabit, & omne meum beneplacitum faciam. Vocans ab oriente volucrem, à terra longinqua virum Conſilii mei. Simul locutus ſum, ſimul adducam illud; formavi, ſimul faciam illud.* Jeſ: XLVI. 10, 11. *Definito Conſilio deditus* dicitur Chriſtus Act: II. 23.

LXXIV. 2. Ex ratione: ducta; 1. à Dei omniſcientia falli neſcia & independente, de qua actum erit, niſi hoc Conſilium

Digitized by Google

agnoſcas. 2. à rerum omnium inter ſe connexione, quæ talis eſt, ut, aut caſu, Deoque non præſcio, omnia eveniant, aut de omnibus Conſilio ſtatuerit. 3. Accedit rerum omnium à Deo dependentia. Nihil fit aut fieri poteſt, niſi jubente id & vocante, & curante Deo. Fieri autem non poteſt, ut jubeat exiſtere id, de quo non apud ſe conſtituerit id exiſtiturum. 4. Adde divinam rerum omnium gubernationem & regimen ſapientiſſimum, quo ita eas moderatur, ut omnia fiant למענהו *ad reſponſum ſuum* Prov: XVI. 4. ut reſpondeant Dei propoſito, omniaque ſint reſponſum Dei, quo Deo vocanti reſpondeatur. *Omnia tractat ad reſponſum, etiam improbum ad diem mali.* Quemadmodum egregii alicujus artificis opus ideæ, quam ſibi ſapienter formaverat, ad amuſſim convenit & reſpondet, ſic *omnia*, etiam *improbus*, fiunt, & ita diriguntur, ut opus reſpondeat *Molitioni* פועל & *Conſilio Dei.* 5. Quin & exſtat divinæ Molitionis iſtiuſmodi delineatio, in ſcriptis imprimis Phopheticis, ut fieri non poſſit, quin ab æterno Mens illa æterna univerſitatis rerum, ordiniſque omnis conceptum apud ſe formaverit. Exitum ſi vultis, hic erit. *Veniet* aliquando Deus ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ καὶ θαυμασθῆναι ἐν πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν. *ut glorificetur in ſanctis ejus & admirabilis appareat in omnibus credentibus* 2 Theſſ. 1. 10. *ut notas faciat divitias gloriæ ipſius in vaſis miſericordiæ.* Rom. IX. 23. Eum in ſtatum cuncta aliquando redigentur, in quo nihil Chriſto refragari deinceps queat. Nihil impediat, quo minus executioni detur, pronuncianda, noviſſimo die, Chriſti judicis ſententia: ab hoc ſcopo aberrare Deus non poteſt. Præcedentia autem neceſſario cum illo fine nexum habent, quem ſi non firmum dicas & validum; fieri ſane poterit, ut fini ſuo Deus excidat: ſi firmum, neceſſe eſt, ut aut fatum fingas, omniaque ex Dei natura neceſſariò emanantia adſeveres, aut cuncta Conſilio agi, ſapientique nexu ad metam, Deo præfixam, placidè decurrere. Quorum cum primum ab omni vero alienum,

Eſſe penes Deum iſtiuſmodi Conſilium probatur.

Prov. 16. 4.

Eſſe penes Deum iſtiuſmodi Conſilium probatur.

& ſecundum plus jam ſemel confutatum ſit, in amplexum tertii validiſſime pertrahimur.

LXXV. Non ſane de conſummato illo regno, de rebus omnibus æternum Chriſto ſubjiciendis, aut mari Cryſtallino, aut nova Hieroſolyma in terris, tot ante ſæcula, ita vaticinari perſpicue potuiſſet, niſi de omnibus certo apud ſe ſtatuiſſet, quid futurum necne eſſet. 6. Hinc ubi quam accuratiſſime feriiſſe homines ſcopum putant; longiſſime aberraſſe ſe deinceps paſſim deprehendunt; votisque ſuis adverſos ſæpe rerum eventus videt & dolet, eluſa divinitus, humana prudentia. Cuncta tamen eo tendere, quo Deus voluit, eventus docet, & palam faciet ultima rerum cataſtrophe. 7. Cumque omnium rerum & eventuum tam manifeſta connexio eſt, accuratam ſanè Dei de omnibus, non agnoſcere diſpoſitionem non poſſumus. Cum gloria Dei & peccatoris ſalute omnium rerum concatenationem innuit Apoſtolus Rom. VIII. 28. XI. 33. 34. quarum inde pulchritudo, ordo, concinnitas. Conſilium autem illud Dei, eo ipſo, quod Dei ſit, non poterit non eſſe

Hoc Conſilium eſt 1. INDEPENDENS.

LXXVI. 1. Independens, adeo ut Deus de omnibus, ſibi quidem convenienter, ſed *pro arbitrio* diſpoſuerit; nihilque præter aut extra Deum ſit, de quo non pro lubitu Deus apud ſe ſtatuerit. Nihil quoque in hominis arbitrio eſt, quod, aut exſpectandum fuerit, aut prævidendum, ut Deus decernere hoc aut illud poſſet. Quod omnem Pelagianorum & Semipelagianorum errorem & unicum evertit. Etenim & ſic dependens foret Deus, & Creatura ſe independenter determinans. Deus mutabilis foret, utpote ad hos & illos ſe rerum eventus accommodans! Vaticinia denique de contingentibus incerta & vana.

2. Omni ratione PERFECTUM.

LXXVII. 2. Atque omni ratione perfectum, vel eo quod Dei ſit & in ipſo Deo.

3. SIMPLEX.

LXXVIII. 3. Simplex: Deus enim ipſe cum omni ratione talis ſit, non poteſt non tale etiam eſſe Conſilium, quod revera eſt ipſe Deus, conſideratus cum relatione ad res, de quibus apud ſe ſtatuit. Hinc neceſſe eſt, ut independen-

Digitized by Google

dependentia, infinita perfectio, ſimplicitas, quæ Deo ita eſſentialis eſt, in hocce quoque Conſilio, ſeu in Deo ut de omnibus ſtatuente ac decernente; agnoſcatur.

LXXIX. Simplex autem, cum ſit & perfectum, procul hinc amovemus & λογισμοὺς, & δευτέρας φροντίδας, μεταμέλειαν denique & deliberationes, quibus, pro prudentiæ modulo, res jungere & ſeparare apud animum homines, non ſine multiplici variatione, ſolemus, res tandem in eum concinnantes ordinem, qui ad finem propoſitum commodus videatur.

LXXX. Multæ quidem ſunt res decretæ, multiplex quoque rerum decretarum ſeries, & longe diverſa, ſimplici tamen mentis actu de omnibus conſtituit Deus omnipotens, ut jam monuimus. Hinc electio non eſt aliud decretum cum eo, quo aut de creatione rerum, aut de providentia, aut de vitæ humanæ termino quicquam ſtatuit; ſed unum illud atque idem divinæ mentis Conſilium, diverſo modo, pro diverſitate illius relationis, quâ ad res diverſas refertur, conſideratum. Adeoque ubi Sacra Scriptura *Conſilia* memorat. Jeſ: XXV. 1. & *Cogitationes* Jeſ: LV. 8. & *Molitiones* Prov. VIII. 12. Semper ad unum & ſimplex Dei Conſilium reducenda ea plura ſunt. Unde nec una volitio in Deo cauſa eſt alterius volitionis, licet res volita una ſit cauſa rei volitæ alterius, adeo ut uno volito concludere liceat, id quod ei connexum eſt pariter eſſe volitum; Nec a Deo primo finis intenditur, tum de mediis inſtituitur deliberatio, ſed uno ſimplici mentis actu ad ſui gloriam in filio omnia ſimul concepit, congeſſit, concinnavit, fiuntque ſuis ſingula temporibus, vi unius ejuſdemque æternæ volitionis Dei. Ut hic abſurde dicatur, quod ultimum eſt in executione, primum fuiſſe in intentione.

LXXXI. Eſt præterea. 4. *Æternum.* Æternitatem propoſito Dei ſeu decreto tribuimus Cap. III. §. CXCIX. Quæ recte accipi debet, ne de divina libertate quicquam detrahamus. De Dei volitione agentes, libertatem *4. ÆTERNUM.*

ei in univerſum competere probavi Cap: III. §. CLXXXVII. ea nimirum, qua ſponte vult, omnique ejus volitioni naturalis eſt ſpontaneitas, quam iſtic loci deſcripſimus. Hæc, ſive volentem Deum conſideremus ea, quæ ex ſua natura vult, neque poteſt non velle; ſive volentem ea, quæ, incolumi ſui perfectione, potuiſſet non velle, hæc inquam *ſpontaneitas* Dei volitioni ſemper propria eſt.

Quomodo concipienda decreti æternitas.

LXXXII. Longe alia tamen libertas tribuenda Deo eſt ab ea, quam ponimus quando Dei Volitionem conſideramus ut circa objecta libera verſantem §. CXCVIII. Hæc enim ita vult, ut potuerit non velle; quippe quæ nec ſint, nec futura fuerint, nec poſſibilia, niſi vi liberæ volitionis Dei, &, ſi naturam Dei ſpectes, prorſus indifferentis ad illa. Atque adeo vi decreti ſeu propoſiti.

LXXXIII. Eſt autem conceptus æternitatis, qui ex Dei independentia, omniſufficientia & aſeitate profluit, nihil revera aliud, quam exiſtendi, vi ſuæ omniſufficientiæ, perennitas perfectiſſima. Hanc, rerum poſſibilitati, nedum futuritioni adſcribere, nefas, planaque ad fatum Stoicum & Spinoſæ errores via eſt. Si enim æternum dicimus decretum, eadem ratione, qua jam Deum æternum diximus, actum de libertate illa erit, quam in volitione Dei, qua res vult præter ſe, antea agnovimus. Quod enim in Deo eſt, vi eſſentialis cujusdam perfectionis, id eo ſenſu liberum non eſt. Quippe quod incolumi natura Dei non eſſe haud poteſt.

LXXXIV. Quid igitur? aliamne hic æternitatem comminiſcemur? Scriptura æternum dicit Dei propoſitum plus ſemel. Et ante tempora ſecularia conceptum niſi eſſet, ipſa ſecula ab ipſo condita non eſſent. Ergo ita præcedit libertas, ut tamen æternum ſit propoſitum. Abyſſus! Nec pudet fateri, mentis accuſo anguſtiam, me, qua ratione libertas illa omnimoda, perfectiſſima, atque abſolutiſſima, cum æternitate, quæ initio careat, non minus quam fine, conciliari, ſimulque concipi queat, haud percipere. Conſtat libertas, æternitas certa eſt, nec ex ſacris tantum literis, ſed ex ratione ipſa. Ceterum volupe eſt αἰχμαλωτίζειν noſtrum νόημα εἰς

τὴν

Digitized by Google

ἐις ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ 2 Cor: x. 5. Satius erit, ut mentis agnoſcam imbecillitatem, quam ut, iniquus Deo, ſapere velim *ſupra id quid ſcriptum eſt*, non in Scriptura tantum ſed & in mente. Quin & *immutabilis*, & ſimplex non erit Deus, ſi decernere aliquando cœperit. Fueritque quo nondum cœperit. Fere ut de Filii generatione contra Arianos orthodoxi. Æternum igitur decretum eſt, & liberum. Concipio Deum æque perfectum, etiamſi nihil præter Deum aut factum fuiſſet unquam, aut decretum. Concipio igitur Deum antecedenter, ut Scholæ loquuntur, ad decretum. Concipio liberrime decernentem, concipio ut qui jam liberè decreverit.

LXXXV. Quomodo autem æternitatem concipiam, ubi præcedit abſoluta libertas? At præcedit, non tempore, ſed noſtro concipiendi modo; nec tantum, ſed & ipſâ naturâ rei. Præcedit igitur; non momentorum ſucceſſione, non durationis cujuſdam parte aut menſura, quæ nulla eſt. Prior eſt eſſentia, quam liberum decretum: non tamen ita prior eſſentia, ut vel tantillum decedat abſolutiſſimæ unius libertati, aut æternitati alterius. Docet Scriptura, docet ratio ipſa naturalis, abſque mutatione, abſque ullo ſimplicitatis damno, liberrime decreviſſe eum, qui potuiſſet, de objectis præter ſe exstituris, nihil & prorſus non decreviſſe.

LXXXVI. 5. Immutabile, & cui reſiſti, quodque eludi haud poſſit. Non a conditione ſuſpenſum, non indeterminatum. De quibus vide Burmanni Synopſin Lib. 1. Cap. XXXVII. *5. IMMUTABILE.*

LXXXVII. 6. Univerſale: id eſt de omnibus diſponens. Quod ex dictis abunde conſtat. Vide imprimis §. XLVIII. hujus Cap. *6. UNIVERSALE.*

LXXXVIII. Habemus itaque Teſtamentum Dei. Teſtamentum vero: non propoſitum tantum mentis, ut hactenus accipimus, ſed & illius propoſiti ſignificationem & ſolennem declarationem dicit; quin & tabulæ, quibus Teſtatoris ſeu propoſitum ſeu voluntas continetur, & Teſtamenti quoque nomine veniunt. Quapropter Sacrarum lite- *Teſtamentum præter mentis propoſitum illius quoque & declara-*

Digitized by Google

tionem dicit & tabulas.

literarum ; quæ nihil aliud ſunt, quam propoſiti divini revelatio, pars utraque Teſtamentum appellatur. Pars prior Vetus, Poſterior Novum. Quæ quidem vulgo recepta eſt ſcriptorum denominatio, non tamen Sacris Scriptoribus paſſim uſitata. Semel ſcripta, ante Chriſti adventum exarata, Paulus 2 Cor: III. 14. Vetus Teſtamentum appellat. Quod probè notandum, ne præjudicium formemus in materia de Teſtamentis, multa enim, in iis tabulis, quas V. T. appellamus, repèriuntur, quæ ad illud ſpectant, quod Sacris Scriptoribus *Novum* vulgo audit. Quemadmodum & in Novo multa occurrunt, ad id propriè pertinentia, quod Spiritus Sanctus Veteris nomine exprimit.

Quid ſit Vetus T: quid N. ex Sac. Script. unicè eruendum.

Communis T. conſideratio præmittitur.

LXXXIX. Ex ipſa igitur Scriptura Sacra eruendum eſt, quid V. propriè Teſtamentum ſit, quid Novum. Ne autem ſequiorem in ſenſum trahere quis ea poſſit, quæ dicturi ſumus, præmittimus, de hereditate æterna, omnium temporum credentibus communi nos litem non movere. Extra controverſiæ enim omnis aleam poſitum volumus, vi gratioſi propoſiti divini, credentes, non minus ante Moſen quam poſt Moſen; non minus ante quam poſt adventum D. noſtri Jeſu Chriſti, ex promiſſis divinitus factis, ſpem concepiſſe, fore, ut, ex hac tranſeuntes habeant vitam æternam.

Hujus Vita Æterna hereditas.

XC. Vitam illam obtinuere & obtinebunt omni tempore, quotquot in Filium ſpem unquam repoſuere aut reponent ſuam: ſive eum conſideraverint ut Sponſorem Teſtamenti ſive ut conſummatum Sacerdotem. Quorum illud ante, hoc poſt Chriſtum paſſum & glorificatum locum habet.

Hereditas eſt licet & vi pacti & contractus adeatur.

XCI. Liceat nobis hoc bonum hereditatem vocare æternam & communem: *Hereditatem*, quoniam obtingit iis, qui iſtoc bono beantur, vi conſilii, quod merito Teſtamentum diximus. Hinc iis, qui ad dextram ſtabunt, dicetur olim *κληρονομήσατε hereditario jure adite*, hereditatem, *adite paratum vobis à jacto mundi fundamento regnum*

Mat:

Mat: xxv. 34. Marc: x. 17. Luc: x. 25. xviii. 18. 1 Cor: xv. 50. Heb: 1. 14. Apoc: xxi. 7. Sic bonum illud, quod credentes invicem potiſſimum vovent, *Hereditas* vocatur Act: xx. 32. Eph: 1. 14. 18. 1 Pet: 1. 4. Col: 1. 12. bonum illud adituri κληρονόμοι Tit: iii. 7.

XCII. Adeunt quidem credentes hoc bonum vi fœderis, & contractus cum Deo initi, fateor. Deus enim pactum gratiæ paciſcens cum peccatore in Filio, ſeu Sponſore, ſeu conſummato Redemtore, peccatoribus dat ἐξουσίαν *poteſtatem* & jus ſe filios Dei, adeoque & heredes vocandi Joh: 1. 14. At iſtud pactum inſervit executioni divini Propoſiti ſeu Teſtamenti, hinc, quod ceteroquin ἀνάξιον videri poſſet, κληρονομία ἀνταπόδοσις vocatur *retributio* Col: iii. 24. neque mirum accidit Chriſto, quod legiſperitus ille, Luc: x. 24. Matt: xxii. 35. Marc. xii. 28. interroget, *magiſter quid faciens vitam æternam hereditabo? Et omnis qui deſeruerit domos aut fratres, aut ſorores &c. vitam æternam hereditabit.* Luc: x. 29. in noviſſimo die hæc Chriſti judicis ſententia erit; *hereditate paratum vobis regnum, eſurivi & dediſtis mihi comedere.*

XCIII. Ut, quod executioni inſervit, pactum, non prohibeat, quominus æterna *ſalus hereditas*, &, illam ſalutem adeuntes, *hereditatem adire* dici queant. *Si autem filii, & heredes ſumus. Heredes quidem Dei, Chriſti autem coheredes,* Rom: viii. 16.

XCIV. Quin & in Chriſto idem obtinet, ut, quam, vi pacti poſtulare jure gloriam poteſt, eam ipſi *gratis*, & *hereditatem* datam doceat S. pagina. Hebr: 1. 2. 4. Phil: ii. 9. Matt: xxi. 38. Marc: xii. 7. Luc: xx. 14. Hereditas igitur merito dicitur ea gloria, quam Chriſtus ut heres adiit; nec non ii, qui, ſeu ante ipſum per paſſiones conſummatum, ſeu deinceps ſpem ſuam in ipſo repoſuere, adeunt ut *coheredes*, ratione Chriſti, quippe *Primogeniti inter multos fratres.* Rom: viii. 29. *heredes* autem, ratione patris, Chriſtum, una cum omnibus myſtici corporis membris, ad hereditatem illam teſtamento vocantis.

XCV. Nec

Digitized by Google

Eſt Hereditas æterna. XCV. Nec hereditas tantum merito dicitur, verum & *æterna* hereditas; gloria enim & beatitas, quam jure hereditario adeunt tam Chriſtus quam ipſius coheredes, æternum poſſidetur. Hinc vita æterna dicitur. 1 Petr: I. 4. Luc: XII. 33. Hebr: X. 34. Apoc: III. 12. Luc: XVI. 9. 2 Cor: V. 1. Apoc: XXI. 4. 1 Cor: XV. 26. Apoc: XXII. 5. 2 Cor: IV. 17. Matt. XXV. 46. Joh: III. 16. VI. 27. Chriſtus æternum ſedere debet in throno Davidis, regnum ipſius durat in ſeculorum ſecula.

Omni tempori communis. XCVI. *Communis* quoque eſt & viro & feminæ, & nationi & tempori cuicunque, adeo ut, inde ab mundi exordio, uſque in illius noviſſima, quotquot credidere, creduntque aut crediturí ſunt in Filium Dei, ſeu Sponſorem ſeu conſummatum Sacerdotem, participes fuerint & ſint futuri hujuſce gloriæ: quod ſuo loco abundè ſatis confirmatum dabimus.

XCVII. Æternam Dei diſpoſitionem, ut de hac hereditate decernentem, merito teſtamentum vocamus, tum quod ea, qua de rebus omnibus ſtatuit, ſic merito nuncupari demonſtratum ſit, tum quod bonum hereditarium, voluntatem revocari neſciam, inque ſanguine Chriſti, heredis quidem, verum & alio reſpectu teſtatoris, ratam hic habeamus.

XCVIII. Videbimus autem deinceps Teſtamentum, a bonis, de quibus diſponit, nomina ſortiri. Liceat igitur, vitandæ confuſionis gratia, Voluntatem Dei, ut de hoc bono diſponentem, vocare COMMUNE *Teſtamentum*: vocabulo quidem ἀγράφῳ, ſed claro ſatis & rem ipſam & mentem noſtram diſtinctè exprimente, & ad exemplum eorum, quibus Spiritus Sanctus in hoc negotio utitur, formatum atque adhibitum. Si enim *Vetus* appellabitur *Teſtamentum* idem divinæ voluntatis propoſitum, quatenus de eo bono diſponit, quod veteraſcit? ſi Novum, quod decernit de bono, in Veterati locum ſuccedente, quid ni ejuſdem voluntatis diſpoſitionem, qua de bono omnibus COMMUNI ſtatuit, COMMUNE TESTAMENTUM dixerim?

XCIX. Æter-

Digitized by Google

XCIX. Æternum paſſim quidem appellatur, fateor, ſed decretum & propoſitum Dei ſi reſpicias, omne propoſitum, conſilium omne penitus in univerſum æternum eſt. Nec minus ab omni æternitate Iſraeli *Canaan*, iiſque, qui poſt Chriſtum victuri erant, *gentes*, quam omnibus & ſingulis, qui unquam crediturı erant, quin & ipſi Filio, *gloriam* æternam decrevit hereditatem. *Hinc potius Commune nuncupo, quam Æternum Teſtamentum*

C. Si autem non jam heredum vocationem ſeu nuncupationem, quæ ab æterno facta eſt, ſed hereditatis aditionem, ſeu quicquid ad Teſtamenti executionem propriè ſpectat, reſpexeris, jam nullum erit, quod, jure, æterni encomio ornaveris, cum omnis univerſi decreti executio in tempore fieri debuerit. Perennitatem vero poſſeſſionis, qua bono ſuo heredes ſunt fruituri, ſi obtendas, dicam, id, quod Novum dicitur, pari æternum dici & jure & ratione poſſe; cum, quæ priva Novi Teſtamenti bona ſunt, pariter & æterna ſint, & nunquam deſituræ poſſeſſionis. Quod tamen iidem Viri eruditi Æternum appellare non *conſuevere*.

CI. Hebr: XIII. 20. αἰώνιον lego διαθήκην. At non dubito hoc in loco teſtamentum denotari ante ſecula conditum, & quo de æternum poſſidendo bono Deus diſpoſuerit; bonum autem illud hic conſideratur oppoſitum bono Veteris Teſtamenti, perituro perenne. unde Capite IX. 15. occurrit κληρονομίας αἰωνίου. Perennitas enim rei, quin & longa duratio, quam Hebræi, vocabulo עולם & עולמים exprimunt, vertunt ὁ, αἰώνιος, ſic διαθήκη αἰώνιος vocatur promiſſio Dei indicans propoſitum diluvio non perdendi unquam orbis terrarum. Gen: IX. 16. Sic ὄνομα αἰώνιον Exod. III. 15. Sabbathum datum dicitur εἰς διαθήκην αἰώνιον Lev. XXIV. 8. ſic memoratur διαθήκη ἱερατείας αἰωνίου *Sacerdotii æterni*, id eſt, diu & ad finem præſtituti temporis duraturi Num: XXV. 13. Quo ſenſu putem Apoſtolum, imprimis, dicam quod ſentio, poſſidendi boni ratione, dicere αἰώνιον διαθήκην *teſtamentum æternum*. Ut non id, quod commune eſt, reſpiciat, ſed id, quod noviſſimi temporis eſt: *æternum* quidem, *Heb. 13. 20.*

non tamen omnibus commune, ſed proprium iis, qui ſub Novo Teſtamento viventes, *Chriſto* gaudent per paſſiones *conſummato*. De quo Novi T. bono atque hereditate, deinceps ſigillatim agemus. Non igitur illum locum accipimus, ut loquentem de æterno Teſtamento, quod, omni tempori *commune*, a Novo non minus, quam ab eo, quod Vetus dicitur, diverſum ſit, ſed de æterno Teſtamento, cujus vi æterna adeantur & nunquam peritura bona. At eo hic nomine indigemus, quo exprimamus conceptum diſpoſitionis divinæ, ut de æterna diſponentis hereditate, Chriſto, & omnibus, quo tandem cunque tempore, credituris poſſidenda.

CII. Commodius non occurrit quam id quod §. XCIII. propoſuimus. Eſt igitur Teſtamentum, quod *commune* dicimus, vocans Chriſtum, omnesque omnis temporis credentes, ad eandem hereditatem, quæ eſt æterna gloria, à Chriſto ut capite, & omnibus membris, ſingulis ſuo loco & modulo adeundam. Quod T. præcipua quaſi pars eſt conſilii, ſeu diſpoſitionis generalis de rebus omnibus, utpote iſti fini inſervituris.

CIII. Hujus enim teſtamenti executioni inſervit omne id quod fit in tempore, præ aliis autem ante legem *promiſſa*; ſub lege, *bona Veteris*; poſt legem ea, quæ ſigillatim *Novi Teſtamenti bona* appellantur.

CIV. Veritate iſtac de communi hereditate ita extra omnem controverſiam poſita, de orthodoxia ſecuri deinceps erunt, ſi qui forte hactenus ea minus rectè perceperint, quæ de Teſtamento Veteri & Novo dicenda deinceps erunt, aut a Clariſſimo Coccejo aliisque jam dicta. Homines qui aut odio aliisve affectibus abrepti, e re ſua eſſe judicant in ſequiorem torquere ſenſum fratrum ſententias, Deo committimus, qui eos ad meliorem revocabit mentem, aut confundet. Securi igitur ad reliqua pergimus.

Plura Teſtamenta S. S. memorat.

CV. Sacræ autem literæ cum non unius Teſtamenti mentionem faciant, prolixiori pertractationi nobis occaſionem præbent. Teſtamenta in plurali memorat Pau-

Digitized by Google

Paulus Rom: IX. 4. Eph. II. 12. Signatè duo Gal. IV. 24. quæ dicantur ἡ παλαιὰ 2 Cor: III. 14. *Vetus*, eadem quæ διαθήκη περιτομῆς Act. VII. 8. Teſtamentum circumciſionis, niſi quis hic malit vertere, fœdus circumciſionis, nimirum quod inſerviat executioni Teſtamenti Veteris, ut Hebr: VIII. 9. ἣν ἐποίησα τοῖς πατράσιν αὐτῶν ἐν ἡμέρᾳ ἐπιλαβομένου μου τῆς χειρὸς αὐτῶν, ἐξαγαγεῖν αὐτοὺς ἐκ γῆς Αἰγύπτου. *Teſtamentum quod feci patribus ipſorum, in die quo prehendi manum ipſorum ad educendum eos ex terrâ Ægypti.* Fecerat Teſtamentum, patribus Judæorum explicandum atque aperiendum, de bono illius Teſtamenti fœdus pepigerat, in illò fœdere non perſtitere, adeoque ſe iſti Teſtamento ſubduxere, hereditatem illam adire nolentes & repudiantes.

CVI. Eſt enim, quod hac occaſione, denuo monendum exiſtimo, ne nos deinceps moretur, relatio quædam peculiaris fœderis ad Teſtamentum, nimirum qua illud hujus executioni ſubſervit. In hereditatem, Teſtamento decretam, homo non immittitur, niſi adſtipulatus fœderi ſibi a Deo propoſito: adeo ut deinceps vi fœderis adeat idem, cujus Teſtamento vocatus heres erat. qua de re §. XCII. diximus. Quo probe notato, mirum haud erit, quod Sacri ſcriptores ita paſſim loquantur, ut ubi Fœdus, aut ubi non Fœdus ſed Teſtamentum intelligere debeamus, diſcerni non ſine difficultate poſſe videatur.

Relatio Fœderis ad Teſtamentum, & Teſtamenti ad Fœdus.

CVII. Quemadmodum videmus *Fœdus gratiæ* minus accurate a Viris nonnullis egregiis idem dici, quod *Teſtamentum*: cum tamen ratio Sacris Scriptoribus ita promiſcue illa vocabula uſurpandi haud fuerit, quod idem eſſent Fœdus & Teſtamentum, utpote quæ toto genere differunt, adeo ut ſingulis Teſtamentis ſubſerviant fœdera iis exequendis commoda: ſed longe alia, jam jam exponenda.

CVIII. At quæ viam ſternit notaſſe, quod quando Teſtamentum aliquod, liceat ſic loqui, ulterius aperitur, aut acceſſorium aliquod bonum dandum eſt heredibus, toties

Digitized by Google

fere aliud Fœdus dicatur, alius contractus, cujus vi Deus vult ut acceſſorium id bonum jure quoque petant & adeant heredes. Quanquam ut Teſtamentum idem manet, ſic & Fœdus, ſummam rei ſi reſpexeris: promiſcui igitur uſus illorum vocabulorum hæc ratio eſt, quod unum alteri; id eſt, Teſtamento fœdus ita connexum ſit, quemadmodum id, in quo potiſſima eſt executionis ratio, cum Teſtamento nexum habet. Eodem tendunt, idem utriuſque vi obtinet peccator. Hinc & Fœdus a Deo unquam initum rectè nemo intellexerit, niſi qui & Teſtamenti, cujus executioni inſervit, & boni, ad cujus poſſeſſionem illi fœderi adſtipulantes ſignate pertingunt, indolem probe conſideret.

CIX. Unde argumentorum noſtrorum virtuti nihil decedit, licet in nonnullis locis notio Fœderis potior videatur; cum aliud Fœdus, aliud quoque ſupponat Teſtamentum; quippe poſt lapſum, cum peccatore, ipſius bono, contrahi a Deo non poteſt, niſi ſuppoſito Teſtamento; cujus executioni inſerviat Fœdus, id eſt, contrahere Deus cum peccatore de dando aliquo bono non poteſt, niſi bonum id ſe daturum decreverit.

CX. Verum eſt ingens quæ hic occurrere nobis videtur difficultas: nimirum ſingulis Teſtamentis Dei, ſi totidem ſubſerviant fœdera, iis exequendis commoda; & quot peculiaria leguntur fœdera, totidem præſupponi Teſtamenta Dei debeant, non duo, præter *commune* Teſtamentum, ſed plura fore agnoſcenda ut fœdera, ſic & Teſtamenta. Hanc ut ſolvamus operæ fore pretium confidimus.

CXI. Plurifariam fœdus à Deo cum peccatore initum negari non poteſt: Ut antediluvianos prætercam, cum Noacho ſaltem fœdus iniit, deinceps cum Abrahamo, cum Jacobo; ad montem Horeb cum univerſo Iſraele, denuo in campeſtribus Moab: fœdus Novum, Meſſiæ temporibus contrahendum, non addam.

Nec tamen toties CXII. Nec tamen tot diverſa fœdera aut tot Teſtamenta nos comminiſci inde ſequitur. Quod luce meridiana clarius

appa-

apparet, ſi conſideraveris, ſuo loco nos agnituros *Commune* fœdus gratiæ in genere ſic dictum, quod abſque ſui, quod ad ſubſtantiam attinet, mutatione, idem manet omni eo tempore, quo Communis Teſtamenti durat executio, id eſt, inde à lapſu uſque ad finem ſeculorum & in omnem æternitatem.

aliud fingimus Teſtamentum quoties inſtauratum Fœdus legimus.

CXIII. Illa tantum ei acceſſere, quæ, ſuis temporibus exequenda duo Teſtamenta, certiores reddere credentes poterant.

CXIV. *Communis* Teſtamenti executioni inſervit *fœdus* quod *Gratiæ* merito appellatur: pariter omni tempori atque œconomiæ, ſummam rei ſi ſpectes, *commune*: ut nos eodem, ſubſtantiâ, interveniente fœdere, ea quæ nobis promiſſa ſunt, adipiſcamur, quo Patres ea, quæ Deus ipſis erat pollicitus. Cujus fœderis una fides, unica conditio eſt. Quando autem, præter *communem* hereditatem, bonum aliquod promittitur, quod credentes, vi fœderis pariter ſint adituri, inſtar hereditatis, ſeu potius acceſſorii ad hereditatem, tum fœdus illud gratiæ ita proponitur, ut illius oblationi, ſeu Deo potius ad illud invitanti obedientes, jus acquirant, non ad *commune* tantum, verum & ad ſuperadditum bonum. Exemplis rem illuſtremus.

Quod uberius oſtenditur.

CXV. Communis hereditatis, atque adeo ſalutis æternæ, eorumque, quæ ad eam neceſſaria ſunt, Noachus jam dudum promiſſa audiverat. Deo fœdus de illo *Communi bono* offerenti, jam dudum adſtipulatus obediverat, ſeu crediderat. Hinc *gratiam repperit in oculis Jehovæ*. Gen: VI. 8. Deuſque cum ipſo de fœdere loquitur verſu 18. tanquam de re cognita. Iis quæ antea promiſerat, de ſalute temporali novam Deus addit pollicitationem Gen: VI. 13, 14, 18, 22. *finis omnis carnis venit coram me; & ecce ego perdo illos cum terra. Fac tibi arcam & faciam ſtare fœdus meum tecum.* Ratumque & validum manſurum erat fœdus jam antea initum, quin & ſolenniter renovandum, *& intrabis in arcam* &c. *Et fecit Noah, ſecundum omnia, quæ præcepit ipſi Deus, ſic fecit. Fide divinitus monitus Noë*

Communi Hereditati aliquid acceſſit tempore Noachi.

de iis, quæ necdum videbantur, metuens paravit arcam ad ſalutem domus ſuæ. Sunt verba Apoſtoli ad Hebr: XI. 7. Hinc Gen: VII. 1. *dixit Jehovah Noacho: intra tu & omnis domus tua in arcam: quia te vidi juſtum in omni ætate hac.* Apoſtolus: *per quam ſc:* arcam, *damnavit mundum, & juſtitiæ, quæ eſt ſecundum fidem, factus eſt heres.* Nimirum arcam faciens, probavit ſe adſtipulari, non promiſſis tantum, quæ de ſemine mulieris antea audiverat & receperat, ſed & iis, quæ jam noviſſimè ipſi erant propoſita, de ſalute temporali & renovando fœdere.

Fœdus cum Noacho, cujus vi & commune bonum poſtulandi jus habet & acceſſorium.

CXVI. Deo igitur, communi bono iſta annectenti, adſtipulatus Noachus, jus acquiſivit expectandi & petendi non minus ea bona, quam *commune.*

CXVII. Perficit ipſi Deus annexa illa atque acceſſoria promiſſa non minus quam principale. Tum ſalutem ex aquis, tum fœderis renovationem. *Et deleta eſt omnis ſubſtantia, quæ erat in facie terræ, & homo, & pecus, & reptile, volucres cæli, deleta,* inquam, *ſunt de terra, & reliquus factus fuit tantum Noach, & qui cum ipſo erant in arca.* Gen: VII. 23. Poſt deletam igitur terram Deus exire jubet Noachum. *Exi arca, tu & uxor tua, & filii tui, & uxores filiorum tuorum. Et exivit Noach, & filii ejus, & uxor ejus, & uxores filiorum eius cum ipſo* Gen: VIII. 18. En denuo obedientiam & fidem Noachi.

CXVIII. Hanc & firmat ſacrificio, & ultro profitetur VIII. 20. *Et odoratus eſt Jehovah odorem fragrantiæ:* erat in obedientia Noachi, erat in oblatione holocauſtorum fidei ſpecimen, qua divinæ pollicitationi non jam adſtipulabatur tantum, verum & reſtipulabatur, tanquam rem promiſſam à Deo exigeret. *Et Odoratus eſt Deus odorem fragrantiæ: & dixit Jehovah ad cor ſuum,* &c. *Et benedixit Deus Noacho & filiis ejus.* Gen: IX. 1. Addens denuo inſigne, præter commune bonum & duo illa, quæ jam notavimus, promiſſum, cum ſtipulatione, ut nondum fuſum veri holocauſti Mediatoris ſanguinem, pretium redemtionis animæ nondum ſolutum, à ſanguine abſtinentes, profiterentur.

CXIX.

CXIX. Verſu nono Deus: *ecce ego conſtituo fœdus meum vobiſcum*, & cum *ſemine meo poſt vos*. Iterum verſu undecimo. Huic Noach adſtipulatus jus habiturus erat, præter bonum commune, & utrumque modo memoratum, petendi quoque; ut, nec tale diluvium unquam eſſet, nec deeſſet Noacho & filiis ejus progenies, eccleſiæ ſeminarium.

CXX. Fœdus igitur proponit Deus Verſu 9, 10, 11. eaque recenſet, quæ volebat, ut Noach credens, tanquam vi fœderis ſibi polliceretur, atque expectaret, addito verſu 12. ſigno fœderis, iride. 12-17.

CXXI. Noachus huic divinæ ſtipulationi fide reſpondens ſua, jam contractum iniit ſeu conventum, adeoque jus habet, præter *commune* bonum, duoque jam antea notata, & hoc quoque expectandi. Accedit Gen: IX. 25-28. Canaanis execratio, & benedictio Jehovæ ut Dei Semi, factâ ejuſdem ſalutis ſpe Japheto. Et hæc quoque futura proſpexit, ſibique & ſuis vi fœderis polliceri Noachus potuit.

CXXII. Ad Abrahamum accedimus, is primam promiſſionem, Adami atque Evæ fidem, illiuſque profeſſionem, Enochi pietatem, & tranſlationem; Noachi dicta, facta, ut & ea, quæ ipſi acciderant, haud ignoravit. Neglecta jam quidem erant, & in ſequiorem detorta ſenſum divinitus revelata, cultuſque Dei in ſuperſtitionem degeneraverat atque idololatriam, Abrahamus autem dignatus alloquio Jehovæ, Deumque agnoſcens Jehovam, non potuit non cogitare de gratioſis promiſſis, quæ facta erant patribus. Præterea primæ admonitioni morem gerens, fidei edit ſpecimen, adeoque Dei fœderatum ſe probat, jus habens expectandi, non commune tantum bonum, ſed & ſuperaddita, quæ ante recenſuimus. *Similiter tempore Abrahami.*

CXXIII. Ex patria evocatus in Canaan ire jubetur, pollicitationibus non abſque novis, quæ leguntur Gen: XII, 3. *& faciam te gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum: & eſto benedictio. Et benedicam benedicentibus tibi, & maledicentem tibi execrabor: & benedicentur in te omnes familiæ terræ.* Egrediens ex terra

fidem

fidem probat, qua iſtæc promiſſa recipit, ſibique ea bona pollicetur & a Deo flagitat, Verſu quinto. Conventum igitur de iis eſt Deum inter & Abraham. Promiſſa repetuntur, explicantur, ſolennibus confirmatur fœdus, ſignum circumciſionis additur. Hujus contractus ſeu fœderis virtute Abraham, præter *commune bonum*, ea jam jure opperitur, quæ, & aliis ante ipſum, & ipſi præter *commune bonum* benignitas Dei promiſit.

Iſaaci. *Jacobi.* CXXIV. Iſaaco eadem repetuntur Gen: XXVI. 3, 4, 5, 24. qui filio Jacobo eorundem pariter ſpem facit, Gen: XXVII. 28, 29. XXVIII. 3, 4. quam ipſe Deus confirmat 13, 14, 15. accedente illuſtri apparitione angelorum Gen: XXXII. 1, 2. ad promiſſa Dei provocat 9-12. luctâque fidei ſpecimen exhibet Jacob 24-39. Hoſ: XII. 4, 5. altare erigit XXXIII. 20. iterum XXXV. 7. promiſſa Abrahamo facta Deus repetit, & Jacobo pollicetur 11, 12. qui, ſigno erecto, aliiſque ritibus iterum fidem probat 14, 15. Capite XLVI. 1, 2, 3, 4. additur promiſſum reditus ex Ægypto; ingens ſane beneficium & longe melioris teſſera. Credit Jacob & in Ægyptum proficiſcitur, luculentum exhibens fidei ſpecimen XLVIII. 21, 22. imprimis integro Capite quadrageſimo nono. Iſaacus igitur & Jacobus, præter *commune bonum*, præterea, quæ patribus promiſſa erant, ſibi polliceri, vi fœderis, poterant, ea quoque, quæ hoc aut illo peculiari pollicito, ipſis facto, deinceps erant ſuperaddita.

Moſis. CXXV. Moſi Exod: III. 4, 5, 6, 10, 11. præter repetita ſæpius jam audita promiſſa, ſigillatim Deus pollicetur fore, ut ipſe Iſraelem educat ex Ægypto; per Moſen eadem proponuntur Senioribus populi: ſignis Moſes, deinde & aliis univerſus Iſrael certior fit, & talia futura, & per Moſen futura.

CXXVI. Præter commune bonum, hæc de ſe, & per ſe, divinitus expectat Moſes, & per Moſen populus.

CXXVII. Aaronidis obtingit Sacerdotii promiſſum, ad tempora uſque Meſſiæ duraturi. Credens Aaron, præter commune bonum, aliaque patribus propoſita, ut poſteris commu-

mu-

municanda, ut fœderis ejuſdem, quo Deus eum gratioſè ſibi, ipſe Aaron ſibi credens viciſſim Deum obſtrinxit, ea quoque expectans, quæ ipſi ſigillatim Deus repromiſerat.

CXXVIII. Univerſum Iſraelem accedo, ſemen Abrahæ ſecundum carnem. Ei magno cum apparatu repetuntur promiſſa patribus propoſita, ſignatè jam jam adeunda terra, in qua præſtolaturi erant Deum venturum in carnem. Exod: VI. 4, 5, 6, 7. addito ſigno agni Paſchalis Exod: XII. 7, 14-20. ſanctificatis primogenitis XIII. 12. coll. Hebr: XII. 23. Exod: IV. 22. Accedit eraductio per mare, ipſa liberatio ex ſervitute Ægyptiaca. *Iſraelis eductio ex Ægypto.*

CXXIX. Fœdus ipſis proponitur, quod ineuntes, habituri erant jus expectandi commune bonum, & præterea omnia, quæ huic populo Deus gratioſè ſpoſponderat. Terram nim: Canaan cum omni proventu; & ſpem eorum, quæ iis erant præfigurata. In Mara Exod: XV. 25, 26. tanquam *ſanator Iſraelis*, nihil aliud ſtipulatus, quam auſcultationem ad vocem Jehovæ Dei ſui, utque rectum in oculis Jehovæ facerent, porro ut attenderent ad præcepta ejus, & tandem obſervarent ſtatuta ejus. Accedit Manna, Sabbathum, aqua ex Petra Exod: XVI. & XVII. Repetitur apud Horeb fœdus Exod: XIX. 5. *Si auſcultaveritis voci meæ & obſervabitis fædus meum: fietis mihi peculium & fietis mihi regnum ſacerdotum, & gens ſancta.* Tandem Exod: XX. proponuntur ipſis verba fœderis modo prorſus ſolenni & magnifico. Addito ſigno gratiæ Sabbatho, & deſcriptione altaris, nec non mentione loci, in quo memoriam nominis ſui Deus collocaret. Expoſitis judiciis Exod: XXI. XXII. XXIII. & imperatis tribus feſtis XXIII. 14, 15, 16, 17. Angelus ipſis proponitur aſſertor in cujus medio nomen Jehovæ Exod: XXIII. 20, 21, 22. Sanguine teſtamenti fœdus confirmatur Exod: XXIV. adſpergitur eo populus, rupto, vituli cultu, fœdere, grave jugum imponitur. *In Mara.* *Apud Horeb.*

CXXX. In campeſtribus Moab cum populo fœdus renovat, exertè id extendens ad eos, *qui iſtic tunc non erant*, id *In campeſtribus Moabi.*

Digitized by Google

id eſt, ad gentes, olim Iſraeli inferendas. Expreſſa illis ad gentes extenſio novum promiſſum eſt, univerſo Iſraeli, qui jam a gentibus æternum ſeparatus videri poterat, nondum propoſitum. Præterquam de *communi* bono, aliiſque ſuperadditis, ſignatè noviſſime memorato, fœdus facturus cum Iſraele, aliud illud a Sinaitico fœdus dicitur. Davidem taceo, Salomonem, Joſiam, Zorobabelem, & cum quibus fœdus Deus pepigit, non ſine additis novis, aut peculiari modo repetitis quibuſdam promiſſis; cujus vi jus habuere quod plus jam ſemel notatum eſt.

Chriſti.

CXXXI. Tandem immenſum mutata per Chriſtum natum, paſſum, & ex mortuis excitatum, & in cœlos tranſlatum, rerum facie, alia jam impertiturus bona, de iis fœdus init, cum omnibus, abſque, non exceptione, ſed diſcrimine, hominibus, quod *aliud* dicitur & *novum*. Hujus virtute à Deo petere licet, præter *commune bonum*, ea quæ hoc tempore ei adjungenda Deus promiſerat.

En plura Fœdera.

CXXXII. En plura fœdera, diverſis inita temporibus! En fœderatos diverſos! Inſervit Fœdus executioni Teſtamenti, id eſt, vi fœderis nihil obtinetur, niſi de quo Deus Teſtamento, id eſt, voluntate irrevocabili &c. diſpoſuerit.

Nec tamen plura quam duo Teſtamenta, & quare.

CXXXIII. Nec tamen tot Teſtamenta ex Scriptura didicimus, quot icti aut repetiti Deum inter & hominem fœderis vices. Acceſſiones ſingulæ tantæ non ſunt, ut, illarum ratione habita, aut Teſtamentum continuo aliud dici, aut Fœdus debeat. Ut ut ſit, Scripturam qui conſulet, Commune reperiet bonum, vi Communis quaſi Teſtamenti, & Fœderis, ſubſtantiâ ſemper ejuſdem, obtinendum omni credenti, ab initio uſque ad finem ſeculorum. Præterea duo inſignia & peculiaria bona *illi* bono ſuperaddita, præſtituto, ſed diverſo adeunda tempore, non ſine circumſtantiis valde notabilibus: hæc quando data, & quamdiu poſſeſſa fuere, diverſa divino Teſtamento, Fœderi diverſa nomina dedere & *ſervant*.

CXXXIV. Hinc, præter Commune, *Vetus* datur & *No-*

Digitized by Google

Novum Teſtamentum: Fœdus autem, priusquam inſervit, Vetus fuit: Novum, quando inſervit executioni Novi Teſtamenti. Qui, ſub Veteris executione, Deo fœdere per fidem jungitur, præterquam ad Commune bonum, jus acquirit quoque ad illius Teſtamenti bonum, cujus executioni illud Fœdus non minus quam Communi Teſtamento inſervit.

CXXXV. In recenſu igitur locorum huc facientium pergimus. Teſtamentum, cujus tabulæ πλάκες in arcâ ſacra ſunt reconditæ, unde arca Teſtamenti dicta Hebr: IX. 4. ἡ πρώτη Διαθήκη primum Teſtamentum IX. 15. Cujus ſanguinem, quo conſummatum eſt, Mediator Moſes ſparſit IX. 20. collato Gal. III. 19. 20. Apoſtolus de filiis tam liberæ Saræ, quam Hagaris Servæ locutus Gal. IV. ſic infit verſu 24. quæ ſunt ἀλληγορούμενα. Ita enim ſunt duo Teſtamenta, unum quidem à monte Sinai, ad ſervitutem generans, quæ eſt Hagar &c.

Pertexitur recenſus locorum de plus quam uno Teſtamento agentium inde à §. CIV. intermiſſus.

CXXXVI. Eſt præterea aliud Teſtamentum, *non ſecundum Teſtamentum, quod feci patribus ipſorum* Hebr: VIII. 3. Confer ſis Ezech: XVI. Sed Novum Matth: XXVI. 28. Marc: XIV. 24. Luc: XXII. 20. 1 Cor: XI. 25. Hebr: VIII. 8. X. 16. Quod melius appellatur Hebr: VII. 22. VIII. 6. Quod Deus diſpoſuerat πρὸς τοὺς Πατέρας ἡμῶν ad patres noſtros; nimirum Deus Abrahamo ſignificaverat illam quoque Conſilii ſui partem, qua heredes ſcripti ſunt Abraham & ſemen ejus Act: III. 25. αὕτη ἡ διαθήκη ἣν διαθήσομαι τῷ οἴκῳ Ἰσραὴλ μετὰ τὰς ἡμέρας ἐκείνας. Hoc Teſtamentum, aliud a priore; confer verſum præcedentem, *quod diſponam domui Iſrael poſt dies illas* Hebr: VIII. 10. ergo Teſtamentum, cujus executio differebatur in tempora poſt Chriſtum, per paſſiones conſummatum. Hujus Teſtamenti memor fuiſſe dicitur Deus, non quando, aut Moſen miſit, aut Joſuam, ſed Jeſum Nazarenum Luc: I. 72. Cujus Chriſtus Mediator, non Moſes Hebr: IX. 15. XII. 24. Hujus, non typico ſed vero, veri Pontificis ſimul & victimæ, ſanguine, initiatio facta eſt Hebr: IX. 18.

Digitized by Google

CXXXVII. A prioris hereditate excluſæ olim gentes erant, hujus gentes & heredes & ipſa hereditas. Eph: II. Rom: VIII. 17. cum Ph: II. 8. Jer: III. 19. Matth: V. 5.

CXXXVIII. Imo peregrinæ dicuntur fuiſſe a Teſtamentis promiſſionis. Ad tempora Abrahami & deinceps uſque ad erectum μεσότοιχον parietem intergerinum, nondum exortes omnino erant à communione Dei gentes, nondum repleta erat Amorrhæorum peccati menſura, nondum penitus emortua promiſſionum fides, adeoque poſtea demum obtinuit id, quod hic aſſeverat Apoſtolus, nimirum gentes fuiſſe ξένους τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας Eph: II. 12. A prioris hereditate fuere excluſæ: de eâ autem, quæ poſtremi futura erat temporis, nihil ipſis innotuit.

CXXXIX. Utriuſque hereditatis & Teſtamenti heredes ſoli fuere Abrahamidæ, duplex ſemen: unum ſecundum quæ eam carnem, alterum, quod ſecundum, quæ promiſſionem eam de Novi Teſtamenti hereditate facta eſt Rom: IV. 16. Gal: IV. 24. Penes Judæos olim erant αἱ διαθῆκαι, unius poſſidentes hereditatem, & alterius exſpectantes; priore in ſpem poſterioris, tanquam typo & arrha, animos erigente & confirmante. Nimirum quam Dei volitionem de omnibus diſponentem, notione *Univerſalis* Teſtamenti concepimus, eandem, ut diſponentem de omnium temporum hereditate, notione *communis Teſtamenti*; eandem, ſed ut diſponentem de hereditate terrena & non perenni, *Vetus Teſtamentum*; tandem eandem ut diſponentem de hereditate gentium, cum bonis eam comitantibus, *Novum Teſtamentum* appellamus.

Quid Novum ſit, quid V. T. determinatur,

CXL. Putamuſque id agentes & accuratè nos docere, & clarè, & ſolide. Accurate, quoniam hac methodo cogitationes ita digeruntur, ut nulla deinceps metuenda ſit confuſio, quæ evitari non poſſe videtur, quando aliter inſtituimus.

CXLI. Perſpicua etiam & facilis eadem eſt methodus, eo quod diſtincta ſit, multiſque Scripturæ locis lucem affundat, ut in ſequentibus apparebit.

Digitized by Google

CXLII. Nec deeſt ſoliditas, cum palam præeuntes habeamus Scriptores Sacros, eadem ratione de diverſa hereditate adeoque Teſtamento loquentes. Theſibus aliquot hoc negotium conficiamus. *Hæc conclusio probatur.*

CXLIII. Supponimus diverſum quid cogitare eum, qui Fœdus, eum eo, qui Teſtamentum cogitat. Illud contractum dicit mutuamque oblationem, ſtipulationem, adſtipulationem & reſtipulationem. Hoc irrevocabile propoſitum & diſpoſitionem. *Fœdus & T. differunt.*

CXLIV. Secundo aliud eſſe ipſum propoſitum, declarationem propoſiti in tempore factam aliud: aliud rurſus tabulas quibus declaratio illa conſignata aliis legenda traditur. Singula Teſtamentum dici poſſunt. Confer his §. LXXXVIII.

CXLV. Teſtamentum quando denotat voluntatem vel propoſitum, idem eſt quod conſilium, ſeu decretum Dei, atque adeo ab æterno eſt; nos certe quando *voluntatem & propoſitum dandi terram Canaan* dicimus, *non dicere conſilium ſeu decretum Dei quod ab æterno ſit*, haud ex vero adſeverat D. Witſius OEcon. L. III. Cap. III. §. 22. Voluntatem nos aut propoſitum non novimus, quod æternum non ſit. Dicimus igitur volitionem Dei, qua apud ſe ſtatuit, decrevit, diſpoſuit de danda terra Canaan, æternam eſſe. Adeoque Vetus Teſtamentum ab æterno conditum eſſe. Sic & Novum Teſtamentum, ſi pro Dei propoſito acceperis, æternum eſt, & ante tempora ſecularia conditum. Ut ut executio ejus ſit dilata in plenitudinem temporis. Quod ex jam dictis conſtat. *Witzius notatur.*

CXLVI. Declarationem autem iſtius propoſiti quod *Teſtamentum* dicimus, quod illud cunque ſit, pariter concipimus factam, non una ratione & vice, primo quidem ab omni æternitate, Filio nimirum & Spiritui Sancto à Patre. Cui ut in omnibus & hic merito tribuimus primum in operando ordinem. Filio ſponſionem ſubeunte, id eſt, id in ſe ſuſcipiente, quod requirebatur, ut univerſum Dei conſilium, convenienter Deo, executioni dari poſſet. Qua de re poſtea. *T. non conſilium tantum æternum, ſed & illius ſignificat notificationem. Hæc facta a Patre 1. Filio ab æterno.*

Digitized by Google

2. Hominibus in tempore. CXLVII. Alia autem declaratio, quam & hic potiſſimum reſpicimus, in tempore facta eſt, & hominibus facta, & *claris verbis*. Quod poſtremum addimus, quoniam ceteroquin, jam creato & condito mundo, facta erat omnis divini propoſiti alterioris executionis delineatio. Prima enim creatio ſecundæ, prima creatura ſecundæ quædam fuit quaſi μίμημα. Si quis jam propoſiti claris verbis factam declarationem nomine Teſtamenti inſigniat, is merito dixerit, nec id æternum eſſe quod commune diximus; nec id, quod *Veteris*; nec id quod *Novi* nomine nuncupamus.

Tabulis conſignatum Dei T. CXLVIII. Tabulæ quoque, quibus omne Dei propoſitum, qua parte id homini Deus cognitum voluit, conſignatur, in genere ſunt univerſus ſacer codex, qui haud immerito Teſtamentum cœleſtis patris dici queat.

CXLIX. Ut tempus hujus & illius Teſtamenti dicimus, id, quo durat hujus aut illius Teſtamenti executio; & hic vivunt, poſſidentes bonum, vi illius Teſtamenti acquiſitum.

CL. Quemadmodum autem, noſtræ ut infirmitati conſulamus, in diverſa, cogitando, diſpeſcimus ea quoque paſſim, quæ revera unum ſunt idemque, ſic & hoc in argumento verſamur, quando unum idemque æternum propoſitum, quo, ab omni æternitate, de omnibus futuris diſpoſuit, actu & cogitandi modo ſimplici, & eſſentiæ perfectiſſimæ convenienti ad amuſſim, conſideramus, haud ſecus, ac ſi diverſa decreta forent & propoſita, quæ unum ſunt, ſed de diverſis.

CLI. Neque aliter fere rem ipſam, quam illius revelationem concipimus. Ex ſacro codice diverſa cogitata haurimus, at quorum ſingula, quæ in eo ſparſim reperiuntur, colligimus & congerimus ac ſi Deus nobis iſtac methodo conſilii ſui rationem expoſuiſſet.

CLII. Atque ita conſideravimus Dei propoſitum ut de omnibus diſponens; idem deinde, ut de hereditate communi; rurſus idem, ut de ſuperadveniente terrena; tandem idem, ut de gentium hereditate diſponens. Hæc

Teſta-

Teſtamentum unum dicimus ſubinde; ſubinde diverſa memoramus. Utrumque ex vero.

CLIII. De eo diximus, ut de rebus omnibus in univerſum diſponente, quod GENERALE poſſumus nuncupare: tum ut diſponente de hereditate tam Chriſto quam credentibus omni tempori *communi*, reliquum eſt ut ea porro congeramus, quæ Veteris nos ulterius doceant & Novi Teſtamenti rationem omnem.

CLIV. De Teſtamento autem Veteri mentem noſtram hiſce theſibus paulo explicabimus preſſius. I. Terra Canaan tractu temporis occupata eſt ab Abrahami, ex Iſaaco & Jacobo, poſteris. Per terram Canaan intelligimus ditionem delineatam Num: XXXIV. habentem verſus auſtrum, tractum a lingua maris, id eſt, termino maris mortui auſtrali, per Kades, per torrentem Sichor, qui hic eſt fluvius Ægypti, non Nilus, ut nonnulli falſo exiſtimant, uſque ad mare mediterraneum; verſus occidentem mare magnum, ſeu mediterraneum. Verſus ſeptentrionem Antilibanum, verſus orientem mare Geneſaret & deinceps Jordanem; Rubene, Gado & dimidia Manaſſis tribu ultra Jordanem ſedes ſuas jam nactis.

Quæ de Vetere T. dicta ſunt & dicenda deinceps theſibus continentur

1. Terra Canaan occupata eſt ab Abrahamidis.

CLV. Hanc terram occuparunt Abrahamidæ, magnam quidem partem tempore Joſuæ, haud exigua parte à Davide adjecta. Haſmonæorum autem, vulgo Macchabæorum virtute, Edom, & Seir aliiſque gentibus ſuperatis, promiſſo, Abrahamo expoſito, factum ſatis eſt.

CLVI. II. *Terra* iſta Abrahamidis data eſt *hereditas*: adeoque eam adiere iſta ſub notione conſiderandam. Gen: XV. 7, 8. XXVIII. 4. Exod: VI. 7. Num: XXXIII. 53. Deut: XIX. 14. Joſ: I. 6. XIV. 9. Jud: II. 6. I Chron: XVI. 18. Joſ: XIII. 6. Pſ: CXXXV. 12. CXXXVI. 21, 22.

2. *Terra* illa ipſis data eſt *Hereditas*.

CLVII. III. Hæc terra cum omni proventu & deliciis, typus fuit melioris boni; aliquando pariter ſub hereditatis notione adeundi, & ab adeuntibus conſiderandi. Neque enim

3. Typus melioris Hereditatis.

Digitized by Google

Nec Deum decebat hanc unicè dare, nec hominem unicè eam deſiderare.

enim Primo Deum decebat unicè dare, aut hominem unicè quærere terram ut bonum, & hereditatem ſuam totam & omnem. Secundo, jam dudum ad majora expectanda divinis promiſſis credentium animi erecti erant, teſtis ſit inimicitia cum ſerpente, fundata in contritione capitis ſerpentis, per ſemen mulieris. Evam, mortis licet ream, *matrem omnis viventis*, *virum* Jehovam profiteri. Semen expectare, in quo omnes benedicendæ gentes, in ipſo mortis articulo ſalutis Jehovæ ſpem profiteri & ſimilia abunde id evincunt. Tertio certum eſt, ſic conſideraſſe terram eos, qui credebant promiſſis antea auditis. De Patre & exemplari omnium Apoſtolus ad Hebr: XI. 9, 10. Rationem, quæ Abrahamum adegerit, ut deſideraret terram Canaan, hanc dicit, *expectabat enim eam*, *quæ fundamenta habet*, *civitatem*, *cujus artifex & conditor eſt Deus. Oſtenderunt ſe patriam quærere. Et ſiquidem illius meminiſſent, de qua exierant, habebant utique tempus revertendi. Nunc autem meliorem appetunt*, *id eſt*, *cœleſtem*, ibid. verſibus 14, 15, 16. Addo verba Cocceji ex Summa Theol. Cap. LIV. §. 9.

CLVIII. „ Satis autem clarum eſt, *non potuiſſe videri* „ *Iſraëlitis*, *bonum ſuum*, *quod à Jehovah Deo ſuo expectandum haberent*, *in ea terra & in vita terreſtris ſpaciis* „ *includi*. Nam 1. conſcientia dictat, ampliùs ſperandum „ eſſe à Deo ſuo, quàm quod etiam improbi in hac terra „ poſſidere poſſunt. 2. Naturalis appetitus non ſatiatur bo- „ nis hujus terræ. 3. Non eſt rectum & Dei naturæ conve- „ niens, ut non ipſe melior habeatur omnibus, quæ in vita „ temporali poſſunt accidere ſuavia. 4. Nulla terra meretur „ vel terra Dei aut hereditas populi Dei appellari. 5. Fruſtra „ fuiſſent, qui periclitantes de hac vita & hereditate terrena „ animam ſuam libenter profuderunt propter amorem Dei. „ 6. Iniquum eſſet judicium, quando ſæpe amantes Deum „ propter errata ſua in mortem corporis & graves afflictio- „ nes conjecti ſunt, ſi illi ob errores ita graviter puniti ſint, „ ut fidei ac ſpei ſuæ fructu carere coacti ſint: contra oſores „ Dei feliciter ætatem tranſegerint, & nihil durum patian-

„ tur.

„ tur. 7. Patres habuerunt promiſſionem mercedis magnæ, „ quantam ſcilicet animo concipere poſſent; & tamen in „ terra ne veſtigium quidem pedis poſſederunt. 8. Deus eſt „ Deus ſpirituum, & non tantùm corporis. 9. Quod à „ peccato provenit, non poteſt nocere iis, qui Deum amant, „ aut felicitatem illorum abrumpere, aut etiam iis imponi, „ ut id in perpetuum ferant. Atqui mors à peccato eſt. „ 10. Non minus eſt bonum, quod Deus offert fidelibus, „ quàm quod debuit exſpectare homo rectus.

CLIX. Et ſanè immenſum deterior facta Iſraelitarum ſors fuiſſet, quam, vi promiſſorum, jam ante auditorum, fuerat hactenus, ſi, qui, tot jam ſeculis erecti in ſpem cœleſtis atque æternæ hereditatis, glebæ unicè adhærere, illam unicè ſperare juſſi eſſent. Quod factum ſanè fuiſſet, ſi terra unica fuiſſet illius gentis ſors, expectatio, bonum.

CLX. IV. Quod autem ut hereditatem adierint terram Canaan, factùm id eſt, vi voluntatis Dei, Abrahamidis ab æterno iſtam terram hereditatem decernentis, eoſque ad iſtam hereditatem, non revocando propoſito, vocantis. Quæ theſis ita clara eſt, ut probatione non indigeat.

IV. Terram illam adiere vi voluntatis Dei & propoſiti.

CLXI. V. Hujus propoſiti notificatio facta fuit primo paulo obſcurior, deinde magis aperta. Obſcurior ea eſt, quæ verbis Noachi continetur. *Maledictus ſit Canaan & ſervus ſervorum fratribus ſuis. Benedictus Jehova Deus Semi: & Canaan ipſis ſervus ſit.* Gen: IX. 25, 26. Quæ ſane nemini ſuggererent cogitationem de hac hereditate ullam, niſi alia accedat & clarior revelatio, qua ſuperveniente, anſa datur cogitandi, verbis Noachi idem jam dudum, ſed implicitè ſignificatum fuiſſe. Clarior igitur hujus propoſiti revelatio ſeu notificatio obtigit ABRAHAMO: *& apparuit Deus Abrahamo, & dixit ſemini tuo dabo terram hanc.* Gen: XII. 7. *tolle age oculos tuos, & vide à loco in quo tu es, verſus ſeptentrionem & auſtrum, & verſus ortum & ad occaſum. Nam totam terram, quam vides, tibi dabo, & ſemini tuo in ſeculum. Surge, ambula in terra per longitudinem & latitudinem ejus. Nam tibi dabo illam.* Gen: XIII. 14, 15.

V. Hoc propoſitum notificatum; obſcurius Noacho.

Clarius Abrahamo.

14, 15, 17. xv. 7. tempore, quando id futurum, 16. nec non amplitudine terræ olim poſſidendæ, additis 18. *ſemini tuo dò terram hanc à fluvio Ægypti, ad fluvium illum magnum, fluvium Euphratis*; xvii. 8. xxiv. 7. xxviii. 4. Act: vii. 5. Repetita ISAACO Gen: xxvi. 3, 4. ut & JACOBO xxviii. 13. xxxv. 12. xlviii. 4. MOSI tandem & Iſraelitis ipſi coævis. Exod: iii. 8, 17. Lev: xx. 24.

vi. Fœdus fit cujus vi Iſraelitæ jus acquirunt eam hereditatem non minus poſtulandi, quam Communem.

CLXII. vi. Facta illuſtrem & maximè conſpicuum in modum coram Iſraele divini illius propoſiti declaratione, via panditur ad executionem, proponuntur univerſo populo verba fœderis, cui adſtipulantes, jus habituri erant petendi, non *Communis* tantum Teſtamenti *æternam*, ſed & hanc, quæ hujus Teſtamenti erat ſuperadditam, typicam, terrenam hereditatem.

vii. Id Fœdus ſanguine confirmatur.

CLXIII. vii. Sanguis funditur, quo *&* fœdus initum confirmatur, qui propterea *ſanguis fœderis* dicitur Exod: xxiv. & teſtamentum irrevocabile redditur, non minus ac id quod morte teſtatoris ratum fit. Gal: iii. 15. Hebr: ix. 17. Nam quemadmodum fœdus inſervit executioni Teſtamenti; ſic, quo ſanguine Moſes confirmatum fœdus dicit, eodem Paulus prius Teſtamentum initiatum adſeverat Hebr: ix. 17-21. Sanguis ille typus erat ſanguinis Chriſti, cui omnis accepta ferenda eſt divinæ diſpoſitionis & teſtamenti, omnis fœderis, cum peccatore initi, juſtificatio. Adeo ut Deus nec ad fœdus illud invitare, nec, præter communem hereditatem, hanc temporalem, ſibi convenienter & decenter, ſpondere potuerit, niſi reſpectu habito ad mortem Chriſti Teſtatoris pariter ac ſponſoris.

viii. Peccatorum occaſione jugum adituris illam hereditatem imponitur.

CLXIV. viii. Peccatorum inſignium occaſione ingens Iſraeli jugum imponitur, terram non poſſeſſuro, niſi ſub iſtac ſervitute.

ix. Duce Joſua adeunt hereditatem.

CLXV. ix. Joſua Iſraelem immittit in illam hereditatem; non ſine moleſtiis, & per varios caſus ac præſentiſſima pericula, poſt elapſam ingentem ſeculorum ſeriem, plene Haſmonæorum demum tempore occupandam.

x. Hanc

CLXVI. x. Hanc hereditatem, juxta promiſſum Patribus fa-

Digitized by Google

factum, vi divini propoſiti ſolenniter declarati, ictique fœderis, utrumque confirmante ſanguine teſtatoris typico, poſſidere debuere Iſraelitæ, non ſine ſpe majoris boni & melioris hereditatis. *Et nunc*, inquit Paulus, coram Agrippa Rege, *de ſpe promiſſionis illius, quæ Patribus noſtris facta eſt à Deo, ſto judicio ſubjectus. Ad quam* promiſſionem *perpetuo complexus duodecim tribuum noſtrarum, Deo nocte & die ſerviens ſperat* ſe *perventurum: de qua ſpe accuſor, Rex Agrippa à Judæis* Act: xxvi. 6, 7.* Ut Iſraelitæ credentes in illa terra Deo ſervierint, ſpe, fore, ut pervenirent ad promiſſionem, adeoque Deum in carne viderent.

poſſident non ſine moleſtiis & intervallis uſque ad bellum cum Romanis ſub Tito.

CLXVII. xi. Ab hac hereditate avocare animum, eam deſerere, ſpernere, peſſumdatam, &, nequicquam vindicare ſatagentibus, ereptam videre cum gaudio debuerunt, eo tempore, quo Novi Teſtamenti exequendi, & alterius, priorique adumbratæ atque obſignatæ, hereditatis adeundæ opportunitas jam venerat.

xi. *Hanc ereptam ſibi, ob ſurrogatam meliorem, quæ N. T. eſt, gratulari debuere Judæi.*

CLXVIII. Nunc, quid per Vetus Teſtamentum intelligam, nemini obſcurum fore, confido. Unicè reliquum eſt, ut, quas ex Sacrâ Scripturâ repetivimus, eaſdem cogitationes ſolidè ex eâ demonſtremus.

CLXIX. Primo quidem: abſonum videri haud poterit, ſi quis id propoſitum, ita notificatum, atque executioni datum Teſtamentum dixerit. Eſt enim 1. voluntas diſponens de bono 2. ſub notione hereditatis adeundo ab hominibus 3. heredibus 4. rata & confirmata morte: licet typica, teſtatoris tamen mortem repræſentante. Confer ſis hujus Cap. §. xxx. Adeo ut mors intervenerit teſtatoris typica; haud ſecus, atque hereditas quoque typica fuit. Hoc T. *in ſervitutem generans* Gal: iv. quia hereditas ſervitute gravata, & ſic ad eam poſſidendam nati fuere ſervi & mancipati in ſervitutem tum elementorum mundi tum Deorum nuncupatitiorum.

Demonſtrantur de Teſtamentis jam dicta.

CLXX. Secundo: non minus ſaltem hujus hic denominationis fundamentum & rationem reperimus, quam alii in eo, propter quod Novum Teſtamentum merito & recte iſta dici, pariter nobiſcum agnoſcunt.

Digitized by Google

Vetus Teſtamentum ad terram Canaan reſtringendum, probatur.

CLXXI. Tertio: ex ipſo uſu Scripturæ conſtat, id, quod contendimus. Certum enim eſt, præter id bonum, quod commune diximus, nonnulla alia quoque, commune illud bonum effigiantia & obſignantia, acceſſiſſe, quæ his, aut illis perſonis divinitus ita obtigere, ut, & dare ea Deus propoſuerit, & vi fœderis cum ipſis icti, ea acceperint fœderati.

CLXXII. Inſigne autem, & valde conſpicuum ſit oportet, quo accepto, *peculiaris* cujuſdam *Teſtamenti* heredes, *peculiariſque fœderis*, illius Teſtamenti executioni intervenientis, participes dici queant.

CLXXIII. Ante tempora quidem Moſis præter commune bonum alia quoque nonnulla acceſſerant, verum haud tam ingentem illam acceſſionem fuiſſe, ut, illius ratione aliud Teſtamentum executioni dari, aliud contrahi de bono hereditario fœdus dicat Spiritus Sanctus, antea vidimus. Ratione autem habita terræ Canaan, tanta ea viſa eſt acceſſio, taliſque eam œconomias comitata immutatio eſt, ut peculiaris Teſtamenti ac fœderis nomine inſignire conſultum idem duxerit Spiritus Sanctus. Hinc duorum Teſtamentorum quorum V. unum, alterum N. audit, in Scriptura, initium ab eo tempore repetit, quo de terra Canaan adeunda agi ceptum eſt. Ad id probandum

CLXXIV. Sufficere poſſet luculentiſſimus locus in Ep. ad Galatas IV. 21--26. *Dicite mihi, qui ſub lege vultis eſſe, legem non auditis? Scriptum eſt enim, quod Abraham duos filios habuerit; unum ex ancilla, & unum ex libera. Sed is quidem, qui ex ancilla, ſecundum carnem generatus eſt: qui vero ex libera, per promiſſionem. Quæ ſunt dicta cum ſignificatione alterius rei. Hæc enim ſunt duo illa Teſtamenta: unum quidem à monte Sina in ſervitutem generans: quæ eſt Agar. Nam Agar Sina mons eſt in Arabia, reſpondens Hieroſolymæ, quæ nunc eſt: ſervit autem cum filiis ſuis. Hieroſolyma autem, quæ ſurſum eſt, libera eſt; quæ eſt mater omnium noſtrum. Filii Abrahæ* dicuntur eſſe id, quod ſignificarunt; *duo nimirum fœdera*, ſeu Teſtamenta: prius à monte Sina, quando jam in procinctu ſtabat Iſrael, ad

ade-

Vetus Teſtamentum ad terram Canaan reſtringendum, probatur.

adeundam hereditatem terræ Canaan; &, ne ambigamus, notat connexionem illius, ſeu Teſtamenti, ſeu Fœderis, cum Hieroſolyma, quæ tunc adhuc erat, & ſerva, mancipata in ſervitutem elementorum mundi. Hæc metropolis heredum illius Teſtamenti opponitur Eccleſiæ Novi Teſtamenti, dignæ nomine Hieroſolymæ, quæ ſupra, quæ in cœlis, quæ cœleſtis eſt. Utriuſque Teſtamenti heredıtas, nim: prioris terra Canaan, poſterioris *mundus*, *gentes*, *præputium*, *Deus* iis *in Deum*, Abrahamo primum notificata, promiſſa, obſignata eſt. Unde Deus, immittens Iſraelem in Canaan, memor dicitur fœderis cum Abrahamo percuſſi; ſe quoque exhibens in carne conſpiciendum, memor pariter dicitur fœderis cum Abrahamo pacti. Luc: I. 72. Sic credentes ex Judæis ſub N. T. dicuntur filii *Teſtamenti*, quod Deus diſpoſuerat patribus, dicens Abrahamo: & *in tuo ſemine*: nimirum, quando id natum erit, & per paſſiones conſummatum, *omnes familiæ terræ benedicentur* Act: III. 25. promiſſa ſubinde utraque ſimul Gen: XVII. 8. Deut: XXX. 1, 2, 3. Jer: III. 16. ſubinde unumquodque eorum ſeorſim propoſitum reperies.

CLXXV. Utriuſque, & Veteris, & Novi Teſt. hereditas, ut propria Abrahamidis, iis vindicatur. *Pater* dicitur *Abraham*, *& circumciſionis*, *& præputii* Rom: IV. 11, 12. 16. Duplex illud ſemen dicitur, ex lege unum: ita ex lege, ut tamen promiſſio illi ſemini *firma*, valida, rata *fuerit*, *lex quippe poſt introducta non exinanivit promiſſionem Gal*: III. 24. alterum ex fide Abrahami, nimirum præputiati. Duplex autem illud ſemen hereditario jure adivit duplicem hereditatem; prius quidem terram Canaan, poſterius *mundum*, *gentes* Rom: IV. 12.

CLXXVI. Hinc, qui non erant ex Abrahamo orti, aut ejus progeniei per proſelytiſmum inſerti, dicuntur alieni à *Teſtamentis promiſſionum*, adeoque tam à poſſeſſione hereditatis Veteris, quam ab expectatione hereditatis Novi Teſtamenti. Eph: II. 11, 12. E contra Abrahamidum dicuntur eſſe αἱ διαθῆκαι, unius poſſidebant, ſcilicet prioris ſeu Vete-

Vetus Teſtamentum ad terram Canaan reſtringendum, probatur.

ris; alterius ſperabant, ſc: poſterioris ſeu Novi Teſtamenti, bonum. Quæ ad prius ſpectabant, uti obſignabant communem hereditatem, ſic typice conſpiciendam præbebant eam quæ poſterioris, ſeu Novi Teſtamenti erat Rom: IX. 4.

CLXXVII. Utrumque fœdus, & Novum, & Vetus, dicitur pactum, aut pangendum cum domo Iſrael & Juda Jer: XXXI. 31-33.

CLXXVIII. Peregrinum eſſe gentiliſmum à Teſtamentis, effectus *μεσοτοίχου* eſt Eph: II. 12. hic autem à Moſe demum erectus eſt, qui erat quidem Mediator, ſed *non unius*: aut qui duo unum faceret, hoc enim Deo mediatori reſervabatur, & in id tempus, quando Apoſtolus dicturus erat, *Deus eſt unus* Gal: IV. 20.

CLXXIX. Porro eſſe *νήπιον infantem*, eſſe ſub *ἐπιτρόπους καὶ οἰκονόμους, ſub educatoribus & œconomis*; *ſub lege* eſſe; *primis elementis* ſubjectum, & deditum eſſe, homonyma ſunt phraſi, qua dicuntur, eſſe ſub Veteri Teſtamento.

CLXXX. Quinimo Teſtamentum Vetus, cui Novum opponitur, *initiatum* à Moſe dicitur, una initiato populo, ut herede illius Teſtamenti, & participe illius fœderis Hebr: IX.

CLXXXI. Novum Teſtamentum in ſanguine Chriſti, oppoſitum eſt Veteri Teſtamento, ratione quoque ſanguinis, quo illud initiatum eſt, non Abrahami, non Noachi, ſed Moſis tempore Hebr: IX.

CLXXXII. Illud eſt *Vetus* Teſtamentum, quod, ratione Novi, *prius* eſt, quod *infirmum* fuit, quod *antiquatur*, *ſeneſcit*, *aboletur*. Videamus loca, ubi ſibi invicem opponuntur.

CLXXXIII. Inſignis eſt, qui occurrit 2 Cor: III. opponuntur verſu 3. *tabulis lapideis tabula carnea*, 6. *miniſtris litera occidentis*, *miniſtri Novi Teſtamenti*, *& Spiritus vivificantis*. 6. *miniſterio mortis in literis*, *inſculpto lapidibus*, *cujus gloria fulgore perculſi Iſraelitæ intendere aciem in faciem Moſis haud potuerint*: *Miniſterium Spiritus*. 11. *Quod aboletur*, *ei*, *quod manet*: *quod Moſis eſt* 7. 13, 15. *ei*, *quod eſt Spiritus*. Quis alias ex hoc textu cogitationes extun-

tundat ab iis, quæ Veteris executionem Teſtamenti à Moſe; ut Novi, a miſſo Chriſto & Spiritu ejus, incipiunt.

Vetus Teſtamentum ad terram Canaan reſtringendum, probatur,

CLXXXIV. Iſrael eſt prioris Teſtamenti heres. Porro: Iſrael infans, ſub Oeconomis, & curatoribus, & pædagogia legis, & ſervitute elementorum mundi fuit Gal: IV. 1, 2. III. 24. Non Setho, non Enocho, non Noacho, ſane non Abrahamo hæc, aut Iſaaco competunt, aut Jacobo, ſed ſemini, quod ſub lege fuit. At qua lege? quæ Moſi tradita in deſertis, & diu poſt auditas promiſſiones introducta eſt. Lege imprimis præcepti carnalis, lege præceptorum in placitis; ſub qua qui ſunt, ſub elementis mundi in ſervitutem redacti vivunt; quæ præſcribit *egena mundi elementa, dies, menſes, tempora, annos* Gal: IV. 1--8.

CLXXXV. Prius teſtamentum mediatorem habuit Moſen Gal: III. 19. qui & λυτρωτὴς tunc fuit Act: VII. 35. at *melioris Teſtamenti ſponſor Jeſus extitit* Hebr: VII. 22. XII. 24.

CLXXXVI. Commentario non indigent, quæ ad Hebr: VIII. 6-10, 13. *Nunc autem præſtantius ſortitus eſt miniſterium, quanto & potioris Teſtamenti eſt Mediator, quod ſuper potioribus promiſſionibus in legis formulam redactum eſt. Nam ſi prius illud abſque querimoniâ fuiſſet, non utique ſecundo locus quæreretur. Vituperans enim eis dicit: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Juda Teſtamentum Novum, non ſecundum Teſtamentum, quod feci patribus ipſorum in die, quâ apprehendi manum eorum, ut educerem ipſos de terrâ Ægypti: quoniam ipſi non manſerunt in Teſtamento meo: & ego neglexi eos, dicit dominus. In eo, quod dixit, novum, antiquavit primum. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope abolitionem eſt.*

CLXXXVII. Prioris Teſtamenti tabulæ fuere in arca Hebr: IX. 4. adde 15--18. 20. X. 16, 29. XIII. 20. Vocatur *Teſtamentum circumciſionis* Act: VII. 17.

De Novo T. paucatis

CLXXXVIII. De N. T. hic loci multis non agemus. Quid per *commune*, quid per *V. T.* intelligi debeat, ſciviſſe ſa-

Digitized by Google

tis eſt hactenus; cum de reliquis, quando ad executionis contemplationem pervenerimus, agendum ſit. Privum & peculiare N. T. bonum commodè dicimus, ſuoque loco probabimus, eſſe *hereditatem gentium una cum iis, quæ illi hereditati connexa ſunt*. Hoc *novum* appellatur Luc: XXII. 29. Hebr: VIII. 8. & *melius* Hebr: VII. 22. VIII. 6. cujus executioni ſerviturum erat fœdus, de quo Deus Jer: XXXI. *ecce dies veniunt*, nondum, *dies veniunt*, & *pangam domui Iſrael & domui Juda fœdus novum*; non, pepigi, ſed *pangam* & *novum fœdus, non ſecundum fœdus, quod pepigi cum patribus ipſorum, in die quo prehendi manum eorum ad educendum eos ex terra Ægypti, hoc eſt fœdus, quod pangam cum illis poſt dies hos*. Pariter Apoſtolus: αὕτη ἡ διαθήκη, ἣν διαθήσομαι τῷ οἴκῳ Ἰσραὴλ μετὰ τὰς ἡμέρας ἐκείνας, *hæc*, aliud nimirum à priore, *Teſtamentum* ſeu fœdus, *quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos* Hebr: VIII. 10. Eſt igitur Teſtamentum, cujus executio: ſeu fœdus, cujus tranſactio differebatur in tempus, poſt Chriſtum paſſionibus conſummatum Hebr: X. 16.

CLXXXIX. Hujus hereditas non eſt ex lege, hinc & filii liberi, ex Judæis & gentibus colligendi, dicuntur eſſe, *non ex fœdere* Sinaitico, cum Iſraele inito, *non ex tuo fœdere*, ſeu *Teſtamento*, Ezech: XVI. 61. ſed alio; a quo aliquot ſeculis alieni Judæi futuri erant, tandem tamen ad illius communionem acceſſuri Exech: XVI. 61, 62, 63. Hoſ: III. 5. Rom: XI. 25, 26. Hujus Chriſtus Mediator, non Moſes, omnis generis homines, non ſoli Judæi, heredes. Hujus tabulæ non in arca, initiatio non in typico, ſed vero Chriſti ſanguine; & quæ plura talia hac de re dici queunt. Plus ſatis extra oleas vagatus videri potero, niſi quis probè conſideret, æterni propoſiti & Teſtamenti rationem, quæ hic explicanda erat, percipi non poſſe, niſi pauca, quæ in executionis demum tractatione ceteroquin pertractanda erant, hic loci delibarentur.

Dictorum recapitulatio.

CXC. Tenemus jam propoſitum Dei de omnibus diſponens, ſub notione Teſtamenti conſiderandum; porro idem

Digitized by Google

ſum propoſitum, ut diſponens de *communi* quodam *bono*, Chriſto & omnibus ejus heredibus ab initio ad finem mundi obtinendo, quod relatè ad illud bonum, *Commune Teſtamentum* diximus. Adhuc idem propoſitum cum relatione ad terræ *Canaanis hereditatem*, *Vetus*; cum relatione autem ad *hereditatem gentium*, *Novum T.* nuncupavimus.

CXCI. Quod quidem hactenus ſufficiet. Una hic moveri difficultas poteſt. Clarum quidem eſſe inter Commune bonum, & id, quod Veteris Teſtamenti dicitur, diſcrimen; at inter id, quod Novi Teſtamenti eſt, & id, quod Commune dicitur, non item facili negotio reperiri poſſe: quin imo, bona Novi Teſtamenti eadem eſſe, quæ Communis, aut ut aliis placet, Æterni Teſtamenti. *Objectione adverſus noſtram ſententiam de N. T. ſoluta.*

CXCII. Plus autem jam ſatis inculcavi, ſi Deum ſpectes, ejuſque æternum propoſitum, unum id eſſe idemque, ſed præeunte Spiritu Sancto, quando tanquam partitim, aut ratione habita bonorum, de quibus diſponit, ſigillatim ſub diverſis notionibus id conſideramus, nomina tum ſortiri diverſa; eſſe boni, non V. tantum T. ſed & Novi ab eo, quod commune dicimus, differitatem ſatis notabilem.

CXCIII. Etenim Commune, eo, quod commune eſt, & omni tempore locum habet, aliud eſt cum eo, quod eſt certi temporis, quale illud eſſe, quod Novi T. dicimus, & probatum jam eſt, & ſuo loco probabitur ulterius. Commune quoque bonum non eſt id, quod cedit alteri, aut alteri ſurrogatur, quod in *bono* Veteris, ratione *boni* Novi T. obtinet. Cujus prius antiquandum & evaniturum, næ illud cum Communi idem non eſt. Quod non habuere Veteres, id ſane à communi bono diverſum eſt, Novi autem T. bonum non habuere Veteres.

CXCIV. Bona Novi T. nova ſunt, antea non fuere, eorum antea extitere typi, & umbræ, non ipſa bona. Suntque bona, de quibus in genere hic notamus, Quod 1. obtingant heredibus in hac vita 2. reſpondeant, ut res ſignificatæ umbratilibus, bonis Veteris Teſtamenti. Sunt Hereditas, non terræ gentium, ſed ipſæ gentes, & ea, quæ

in hac vita gentium hæreditatem neceſſario coquuntur; ſunt Spiritualia fere penitus. Uno verbo: eccleſiæ τελείωσις, Deuſque factus in Deum; de quibus ſuo loco pluribus.

CXCV. Si quis dicat πολίτευμα noſtrum in cœlis eſſe, imo nos in cœlos tranſlatos, adeoque jam participes eſſe communis iſtius boni: regeram 1. & eos, qui credidere ſub V.T. animis præoccupaſſe cœleſtem illam hereditatem. 2. τελείωσιν vero, quæ nobis cum cœleſtibus obtingit, bonum Novi Teſtamenti eſſe, quam neque in hac vita Patres habuere, neque habere potuerunt. Verum ex profeſſo hæc nondum agimus.

WITZIUS notatur.

CXCVI. Ubi ad executionem pervenerimus pluribus de hiſce erit diſſerendum. Non poſſum tamen non in tranſitu examinare quæ, explicatæ & confirmatæ veritati contraria habet D. Witzius in Oeconom. Fœd. L. III. Cap. III. *ubi Teſtamentum Paulo notare Fœderis Gratiæ diſpenſationem* minus accurate dici, ex præcedentibus palam eſt. Id quod notione Teſtamenti concipit Apoſtolus, eſt primo Dei propoſitum, deinde tabulæ quibus illius propoſiti declaratio, conſignata eſt, & tandem qui tempore, quo hoc aut illud Teſtamentum executioni datur, quo illius Teſtamenti bonum poſſidetur, vivunt, ii vivere ſub illo Teſtamento dicuntur: ipſumque Teſtamentum obtinere, quamdiu illius bonum, pro hereditate divinitus conceſſa habendum eſt. Hæc clara ſunt & Scripturæ phraſi conſentanea. Adeoque *Teſtamentum* ſaltem non ſemper *diſpenſatio* eſt.

CXCVII. Witzio Teſtamentum eſt *Fœderis gratiæ diſpenſatio, Vetus* ſignate *ea, quæ Patribus eſt propoſita.* Diſpenſatio eſt diſtributio, diſpenſatio Gratiæ eſt Gratiæ diſtributio. Propoſitum diſtribuendi Witzio igitur ipſa diſtributio eſt. Tabulæ quibus id propoſitum conſignatum eſt, ipſa diſtributio erit. Paulum ſanè alia paſſim notione Teſtamenti vocabulum accipere clariſſimum eſt. Rom: IX. 4. Gentibus rejectis *Judæorum olim fuere Teſtamenta* perinde ut νομοθεσία, idem igitur erit, quod, Judæorum ſunt Gratiæ diſtributiones. Non iſta ſaltem, quæ fuit, antequam Judæi eſſent. *Teſtamentum in*

menti ſanguine aliud ſanè eſt, quam diſtributio gratiæ. *Lectio Veteris T.* certè non eſt lectio diſtributionis? 2 Cor: III. 14. Teſtamentum ſanguine ratum & morte Teſtatoris, *ante ratificatum in Chriſtum*, aliud quam diſtributio gratiæ eſt. Sara & Hagar duo Teſtamenta, ſanè non ſunt duæ gratiæ diſtributiones. Vel an Mediator T. erit tantum mediator diſtributionis gratiæ? arca T. arca diſtributionis gratiæ? Tabulæ T. tabulæ diſtributionis gratiæ. Diſtributio gratiæ requirit ſanguinem ut Teſtatoris. Calix Novi T. erit calix Novæ diſtributionis in ſanguine Chriſti Mat: XXVI. 28. *Tum demum Novo T. conſtare ſuam perfectionem, quum ſanguine Teſtatoris in morte effuſo conſignatum eſt*: tantundem erit, ac, tum demum Novæ diſtributioni conſtare ſuam perfectionem quum ſanguine teſtatoris in morte effuſo conſignata eſt. *N. T. melioribus promiſſis ſancitum* Hebr: VIII. 6. erit nova diſtributio melioribus promiſſis ſancita. *Hic eſt ſanguis Teſtamenti quod præcepit nobis Deus*. Juxta Witzium: hic eſt ſanguis diſtributionis ſeu diſpenſationis quam præcepit nobis Deus Hebr: IX. 20. *Teſtamentum æternum*, æterna diſtributio. Hebr. XIII. 20. *Sanguinem Teſtamenti pollutum ducere in quo Sanctificatus eſt*, idem erit, quod ſanguinem diſtributionis pollutum dicere. Quis ſodes ſanctificatus eſt in ſanguine diſpenſationis? Chriſtusne an apoſtata? Notatu dignum eſt, eo in loco, in quo juxta Witzium abſque conteſtatione vocabulum *διαθήκη teſtamentum* ſignificet, exertè diſtingui teſtamentum à diſpenſatione gratiæ. Certè *promiſſionem accipere* ad diſpenſationem pertinet: Eſt igitur *Novi T. mediator ut promiſſio* diſpenſetur, diſtribuatur, eamque *accipiant vocati æternæ hereditatis*. Nim: mediator novæ diſpenſationis, cujus finis ſit diſpenſatio Hebr: IX. 16. collato Witzii L. I. C. I. §. 4. *WITZIUS notatur.*

CXCVIII. Male accepta vocabuli notione mirum non eſt res ipſas ab eodem autore haud bene digeſtas eſſe. Hinc paſſim confundit fœdus & teſtamentum, ac ſi res eſſent una atque eadem. L. I. C. I. §. 2. *Naturam fœderis gratiæ Apoſtolus proponit ſub ſimilitudine Teſtamenti*. Iterum *Confundit Teſtamentum & Fœdus.*

Digitized by Google

WIT-ZIUS notatur.

L. III. C. I. §. 10. *Apoſtolus fœdus gratiæ non ſemel ſub nomine Teſtamenti proponit*: alibi Teſtamentariam diſpenſationem *memorat, qua Deus electis ſalutem æternam, & omnia eo pertinentia, immutabili* fœdere *addicit*. L. III. Cap. II. §. 1. prudenter nullum locum addit.

CXCIX. Inde ita ſcrupuloſè, ſed abſque ratione cavet, ne quicquam dicatur conditio fœderis gratiæ, qua de re ſuo loco. Quantum & quomodo fœdus a Teſtamento differat, palam fecimus.

CC. Eſt autem, ubi in aliis ἀκρίβειαν deſiderat, qua ipſe, ea quidem in parte, deſtituitur §. 3. Cap: III. L. III. *probè obſervandum eſt*, nimirum *diverſitatem horum Teſtamentorum* Veteris ſc: & Novi *non in promiſſa collocandam hereditate*. Secus quam Paulus, qui præſtantiam Novi Teſtamenti, qua proculdubio potiſſimum differt à Veteri, quaque illud ſuperat, in *potioribus promiſſis* collocat; potiora autem promiſſa, ſeu res promiſſæ potiores ipſa ſunt hereditas. Hebr: VIII. 6. Porro demonſtraturus prius cedere poſteriori, prius non eſſe ἄμεμπτον, nihil aliud recenſet quam bona, quæ ad hereditatem pertinent, 8---13. adde X. 16, 17, 18. Et ſane qua in parte potiſſimam noſter collocabit diverſitatem? Teſtator idem eſt, executioni communis Teſtamenti utrumque inſervit. Si Dei propoſitum reſpicias, utrumque æternum eſt: in bonis igitur quærenda erit diverſitas. Terra Canaan certè fuit *hereditas*, at cujus, an non Veteris Teſtamenti? Gentes ſunt hereditas, at cujus? certe non Veteris, non communis Teſtamenti.

Sequiorem in ſenſum torquet fratrum ſententiam.

CCI. Hactenus ἀκριβῶς, at candorem in ſequentibus deſidero aut doctrinam: quando fratribus impingit quod ex illorum ſententia *Veteri Teſtamento addicatur hereditas terræ Canaan, Novo Teſtam. hereditas cœli*. Clariſſimum Coccejum ſi deſignet, is Cœlum ſeu beatitatem in Cœlis obtinendam, nec Novi propriè & ſigillatim ſumti, nec Veteris eſſe hereditatem, ſed Æterni ſtatuit. Quod nos Commune vocandum putavimus. Recte

ſe habent quæ ſubdis; *Addictio hereditatis cœleſtis eſt ex Teſtamento gratiæ abſolutè conſiderato, quod ſub quacunque OEconomia unum invariatumque manet.* Quæ cum ex Coccejo didicerit, qua ratione in præcedentibus ipſum carpere potuerit, haud ego profecto percipio. *Sed eadem hereditas, diverſimode propoſita*, Witzio facit Teſtamentorum diverſitatem. Eadem hereditas, fateor, diverſimode proponitur, promiſſis, typis, annunciatione; neutiquam autem in ea ejuſdem hereditatis diverſa propoſitione Teſtamentorum diverſitatem collocat Scriptura. Gentes promittuntur, ſed non *ex tuo Teſtamento* Ezech: xvi. Judæorum dicuntur duo Teſtamenta, quia ipſis eorumque Patri & Canaan & gentes decrevit Deus. In rerum adeundarum excellentia Teſtamenti excellentiam collocat Apoſtolus. Et quis Patrum ante Abrahami tempora de peculiari Teſtamento ſomniavit, peculiaris licet fuerit divinæ bonitatis diſpenſatio? Porro *quicquid ante redemtionem actu præſtitam typicum* fuit, præter Scripturam, ad *Vetus Teſtamentum* pertinere adſeverat. Adam, Diluvium, Iris, typi fuere &, *ante redemtionem actu præſtitam*, nec tamen ſignate ad V. T. pertinent. Hoc enim abrogatum eſt cum omnibus umbris ad id ſpectantibus, illæ tamen res non deſinunt nobis eſſe typi rerum majorum & ſpiritualium. Dicat Stephanus prius fuiſſe *circumciſionis Teſtamentum* Act: v, I I. 8. noſter id dudum ante eam inſtitutam repperit. Apoſtolus utrumque T. Abrahami diis tribuat; noſter prius ante Abrahamum locum habuiſſe fingit. Argumenta autem repetere nihil attinet; inconcuſſa ſunt, & noſtra hac in parte inſtituendi ratio ita univerſæ ſcripturæ conveniens, ut unice ex falſis hypotheſibus argumenta repetat noſter. Qualis ea eſt, quam, ut valido nixam fulcro, lectori obtrudit ad finem §. 4. *Quicquid enim fœderis gratiæ eſt; neque referri poteſt ad Teſtamentum Novum, illud ipſa vocabulorum vis exigit, ut Veteris T. eſſe dicatur*; è contra, multa fœderis gratiæ ſunt, quæ nec ad Vetus nec ad N. T. proprie referri debent, quin *ipſa promiſſio communis ſalutis quæ in Chriſto*

WITZIUS notatur.

WITZIUS notatur.

eſt, ſive Patribus olim facta ſit, ſive nobis fiat hodie, non pertinet ad V. vel N. T. dixerat ipſe §. proximè præcedente. Unde, ut, an merito in fratribus ἀκρίβειαν deſideret, videat lector: hoc formo argumentum; *Quicquid fœderis gratiæ eſt, neque referri ad N. T. poteſt, illud ipſa vocabulorum vis exigit ut Veteris T. eſſe dicamus;* ipſa *promiſſio communis ſalutis quæ in Chriſto eſt, ad Novum T. non pertinet; ergo ipſa vocabulorum vis exigit ut Veteris Teſtamenti eſſe dicamus.* Si dicas, licet ad N. T. non pertineat, referri tamen eo poſſe communem illam ſalutis promiſſionem: regeram, ita laxo ſenſu ſi vocabulum ſumi velis; primo quidem ἀκρίβειαν me deſiderare, ſecundò certa ratione omnes typos Veteris T. ad Novum referri poſſe: hancque ipſam promiſſionem ad V. adeoque ubi diſtinctè & curate loqui videri vis, ibi te confuſè admodum & perplexè agentem deprehendimus.

CCII. Ejuſdem commatis ſunt quæ ſequuntur; *Apoſtolus omnia quæ antiquantur & ſeneſcunt tandemque evaneſcunt Dei inſtituta ad Vetus T. reducit.* Et rectè, non quod cum V. T. introducta demum ſint, ſed quod tum ea quæ ante tempus V. Teſtamenti fuere, tum quæ cum executione Veteris T. præſcripta ſunt per Moſen, in unum redacta corpus, umbras conſtituant at ceſſuras corpori Chriſto. Prioris generis ſunt *ſacrificia & circumciſio* non tantum, verum & lex de non comedendo ſanguine, nec non animalium purorum ab impuris diſcretio: hæc per Moſen cum univerſa lege præceptorum in placitis, ſeu præcepti carnalis, in unum corpus umbratile redacta, iis merito accenſentur, quæ ad Vetus T. pertinent, quippe annexa fuere poſſeſſioni umbratilis hereditatis Veteris Teſtamenti. De circumciſione exertè id docemur, licet & in aliis obtineat. Hæc dicitur *ex Moſe* eſſe, licet fuerit *ex Patribus* Joh: VII. 22. quin & idem de ſacrificiis nobis Deus ſuggerit apud Jeremiam VII. 22. *Nam non locutus ſum cum Patribus veſtris, neque præcepi ipſis, quo die eduxi eos ex Ægypto, de iis quæ ad holocauſtum vel ſacrificium,* legem ſacrificiorum ad

cum

eum populi ſtatum reſtringens, in quem redactus fuit per Moſen. A quo tempore quoniam *imputatum dicitur peccatum*, quippe à quo lex fuit, facta per legem Moſis atque inſtituta Moſaica peccati *commemoratione* atque exprobratione, exactoque chirographo Hebr: x. 3. Col: II. 14. hinc omnia præcedentis peccata, quæ univerſo tempore *ἀνοχῆς* patrata fuere, *fuiſſe* peculiari ratione *ſub Veteri Teſtamento* merito dicuntur. Non quod V. T. fuerit ab eo tempore, quo peccatum fuit, ſed quod, quæ & ante V. T. erant patrata, tunc *extitiſſe* potiſſimum, peculiari nimirum ratione, dicantur, quando imputata, commemorata, exprobrata fuere. Neque parum ad exaggerandam mortis Chriſti virtutem faciebat, id ſignatè notaſſe, quod peccata non tantum non imputata, quando lex nondum erat, verum & imputata creberrimè atque exprobrata, per mortem tamen Chriſti expuncta fuerint & ſublata penitus; ita ut nulla eorum reliqua ſit *ἀνάμνησις*, qualis olim obtinebat.

WITZIUS notatur.

CCIII. Locum ceteroquin Hebr: IX. 15. non niſi invito Spiritu Sancto adverſus noſtram ſententiam torquere & Witzium & alios ſequentia illius Capitis abſque præjudicio legentibus facile perſuadebunt, nihil utique in eo minus quam Teſtamentum, quod ante Moſis tempora obtinuerit, reperient. Niſi Vetus Teſtamentum executioni datum fuerit, atque ita locum habuerit ante Veteris Teſtamenti *ἐγκαινισμόν*. Taceo ingentem argumentorum ſegetem, facili negotio ex ipſo illo capite nullo labore colligendam.

CCIV. Omnem difficultatem ſublatum videbit D. Witzius, ſi, quæ de initio Novi Teſtamenti, poſt alios annotavit, §. 12. noſtræ de Veteri Teſtam. doctrinæ analogicè applicet. *Alii initium faciunt Novi T.ti à die nativitatis, alii ab anno prædicationis, alii à momento mortis, alii à tempore effuſi in Apoſtolos Spiritus Chriſti.* Quæ rectè, ut ſolent Theologi, conciliat §. 13. tribuendo tempori introductionis Novi Teſt. aliquam latitudinem. „Cœpit quidem Deus moliri Novum Teſtamentum jam

„inde

WIT-ZIUS notatur.

„inde à nativitate Chriſti, quo ipſo die Euangelium Chri-
„ſti exhibiti cœptum eſt prædicari Paſtoribus ; ſed tenuia
„admodum iſta initia fuere. Quæ mox luculentius emi-
„cuerunt per prædicationem Johannis, annuntiantis Re-
„gnum Cœlorum prope eſſe, Matt: III. 2. & ipſius Chri-
„ſti, aſſerentis id jam veniſſe, & eſſe in medio populi
„Judaici Luc: XVII. 21. Non tamen regnum Cœlorum
„mox ἀκμὴν ſuam habuit, ſed pedetentim eundo acquiſi-
„vit vires, donec Chriſtus, conſummato opere, quod Pa-
„ter ei dederat, ut faceret, omnia morte ſua complevit,
„ac Teſtamentum Novum ratum fecit. Qua morte Chriſti
„Teſtamentum Vetus de jure abrogatum eſt. Attamen
„major Novo acceſſit ſolemnitas, quando poſt mortem
„& reſurrectionem & adſcenſionem Domini, Spiritu ab-
„unde in Apoſtolos effuſo, ſalutaris Doctrina per totum
„orbem habitabilem annunciata eſt, una teſtimonium præ-
„bente Deo ſignis & prodigiis, variiſque virtutibus, &
„Spiritus Sancti diſtributionibus ; ita tamen ut plena liber-
„tate N. T. Eccleſia uſa non ſit, niſi abdicato a Numine
„populo Iſraëlitico, ceremoniis ſuis mordicus hærente,
„combuſto templo, terraque anathemate percuſsâ. Quod
„plenæ libertatis tempus ipſe Apoſtolus ſuo adhuc tempo-
„re τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν vocavit. Heb: II. 5.

„CCV. Hinc videmus, Veteris Teſtamenti ſenſim
„evaneſcentis extrema ; & Novi Teſtamenti ſenſim vi-
„res acquirentis primordia, in unum Tempus coaluiſſe.
„Etenim uti naſcente Chriſto lætius affulſit ſeculum, &
„Cantica piorum de Fœderis Dei veritate, ipſa promiſſio-
„num executione comprobata, audita ſunt : ita Veteris Te-
„ſtamenti Legibus ſubjectum ſeſe Chriſtus circumciſione
„ſua, & inſequentibus eam viribus, profeſſus eſt. Et quem-
„admodum regnum Cœlorum, quod libertatis eſt, prædi-
„catum eſt a Domino, Joh: IV. 21, 23. ita juſſit interim pur-
„gatum a lepra offerre ſacrificium Moſis Lege imperatum.
„Mat: VIII. 4. Quod Veteris Teſtamenti adhuc ſtationem
„ſuam obtinentis evidens eſt indicium. De jure illud plane
„eſt

,, eſt abrogatum, quando, moriente Chriſto, Velum Tem-
,, pli ſciſſum fuit, adytumque ſacræ nuper Ædis, quod re-
,, conditiſſimæ Sanctitatis erat, omnibus patuit: & ſangui-
,, ne morientis Chriſti Novum Teſtamentum ſubſignatum
,, eſt. Manſit interim aliquamdiu, etiam in Apoſtolorum
,, mentibus, ceremoniarum præſumta Sanctitas, donec cœ-
,, leſti viſione melius edoctus eſt Petrus. Act. x. 11. &c.
,, Denique cum earum jam morientium obſervatione lucta-
,, ta eſt Eccleſia, donec Hieroſolyma a Romanis capta di-
,, rutaque, & Æde ſuccenſa, una cum iis omnes Veteris
,, Teſtamenti reliquiæ, pridem morti addictæ, plane ex-
,, ſpirarunt; locumque fecerunt Teſtamento Novo, pleno
,, libertatis ſuæ fulgore tunc demum coruſcanti. Pariter Vetus T. comparatum eſt. Per tranſennam viſus eſt Deus de V. T. loqui per Noachum, ad Abrahamum clarius, & ſic porro ut videre eſt §. CLXI.

CCVI. Eſt alius cui de hoc argumento cum fratribus multis lubet altercarier; ſed fateor me hominis mentem non aſſequi: jam διαθήκη notare Teſtamentum poteſt, jam non poteſt. Monitum autem velim, ut ſaltem Concordantias conſulat, antequam impoſterum, quod falſum eſt, ita adſeveret audacter, ut facit p. 9. ό, *vocem* ברית *ubique* διαθήκην *reddidere excepto uno loco* Deut: IX. 15. quod temerè dictum ex iis quas Kirchero debemus videre potuiſſet. Neque etiam aut ita cruda prorſus apponeret, aut ipſe ſibi contradiceret turpiter, ſi ſedato quicquam meditari animo aut recte percipere unquam didiciſſet. Loca ad Gal: III. 15. & Hebr: IX. 15. ſibi a Coccejo objecta dicit p. 7. Quo judicium pariter & conſtantiam probat ſuam. Hæc habet p. 8. *vox Græca* διαθήκη *generica cum ſit, quæ ſimul fœdus & teſtamentum denotat, potuit Apoſtolus ex & pro ſuo ſcopo ultimam Teſtamenti ſignificationem urgere;* nihil præterea vult Coccejus. Qui tamen, quando putat *probabile non eſſe Apoſtolum aliter ea voce uſum eſſe* &c. hoc reſponſum refert, p. 9. *Eſt plus quam, probabile Apoſtolum voce* διαθήκης *in latiſſima notione fuiſſe uſum.* Quis ægre ferat, quando à ſcribendo *M.L. notatus.*

Digitized by Google

ſe compeſcere iſtiuſmodi homines haud poſſunt, ſua non laudari? Imo quis non conſpui à tali homine mallet, quam laudari? Dilucidum intervallum eſt p. 11. *Id concedant fratres, & per διαθήκην iſtam promiſſionem intelligant, interim conjungentes notionem fœderis, cum illa promiſſio fœderalis ſit & cujus executio non fiat niſi ὁμολογίαν ſecundum νόμον πίστεως Deo præſtantibus, & conciliata erit controverſia.* Ut ego ſaltem nihil mihi metuam mali, qui toties jam dixi me per διαθήκην non propoſitum tantum, ſed & declarationem intelligere propoſiti, conjungens notionem fœderis, agnoſcens illam promiſſionem ſeu propoſiti declarationem fœderalem eſſe, & cujus executio fiat, non niſi ὁμολογίαν, ſecundum νόμον τῆς πίστεως Deo præſtantibus: adeoque, modo ſibi credat, *conciliata* ipſum inter & fratres iſtæc jam *controverſia* eſt. Sed velim ne deinceps pulverem ſpargat tantosque cieat motus, de materia, de qua ipſe ad finem, *quæſtio forte non eſt de nomine.* Si forte non de nomine ergo forte & de nomine eſt. *Principium fervet, medium tepet, ultima frigent* noſtro Sophiſtæ.

CCVII. Quibus præmiſſis antequam ad alteram viarum Dei partem, quæ Executio eſt Propoſiti, accedamus, id imprimis adhuc reliquum videtur, ut & ſcopum Dei id conſilium capientis nobis breviter ob oculos ponamus, & tandem qua ratione iſtius conſilii æquitas & juſtitia probari poſſit ſedulo inquiramus.

Divini Conſilii 1. Scopus repetitò Prepoſitus.

CCVIII. De Priore autem antehac egimus Cap. 1. *omnia facit propter ſe.* Prov. XVI. 4. *Propter ipſum & ad ipſum ſunt omnia.* Hebr. 11. 10. *ex quo, per quem, ad quem ſunt omnia, ipſi ſit gloria in æternum. Amen.* Rom. XI. 36. Eſt autem hæc gloria gratiæ, cui ſubſervit illuſtratio juſtitiæ, manifeſtanda in Chriſto, ejuſque æterna glorificatione, una cum iis, qui æterno Teſtamento vocati ſunt coheredes. Illi fini omnia ſubſerviunt, in eum diriguntur, & tendunt omnia.

Et propter ingreſſum

CCIX. Aſt cum peccatum in mundum ingreſſum & humanum genus una cum malis angelis ei factum ſit

ob-

Digitized by Google

obnoxium, quin imo tot cogitationes non rectæ, & motus requiſitæ rectitudini adverſantes, rerum ordini quaſi immixti, atque intertexti: cumque penes Deum iſta ſit facinorum, ac ſceleris ſpeculator & vindex juſtitia, ut Cap: III: §. CCXXX. & ſeqq. vidimus, tot ſaltem interminationes & minæ, deque certo puniendo omni peccato dira in ſacris carminia occurrant; merito id quærimus, quo Deus in viis ſuis, quibus ad illum graſſatur rerum exitum, juſtificetur. Id eſt, quo pateat, & ſibi convenienter agere Deum, & agnoſcere id ut Deo conveniens debere creaturam rationalem, & poſſe. *peccatum ejuſdem eſt indaganda Juſtificatio.*

CCX. Nobis quidem credendi & obediendi gloria unice relicta eſt, & amplectendum ut verum & rectum quicquid aut verum dixerit ſummus rerum arbiter aut rectum. Negari tamen haud poteſt, multum id & certitudinis & ſecuritatis addere noſtræ fidei, ſi, quam juſtam & æquam ac Deo convenientem credere debemus, vel eo, quod Dei ſit via & a Deo in verbo delineata, ſi, inquam, illam juſtam eſſe ita conſtare poſſit, ut & ratio illius & modus nobis innoteſcant.

CCXI. Operæ pretium eſt ut periculum faciamus, an eum aſſequi poſſimus. Gratiæ doctrinam tanto magis fidum atque acceptione omni dignum ſermonem judicaturi, quanto Dei omnem, hac quoque in parte, agendi modum æquum, juſtum & enti perfectiſſimo apprime convenientem eſſe, non niſi gratiarum actione miræque συγκαταβάσεως depredicatione, magis & diſtincte videbimus & clare.

CCXII. Ipſa Scriptura nobis hic facem præbet, quando Dei vias non rectas, tantum eſſe & juſtas, & puras; verum etiam de rectitudine laudandas paſſim adſeverat, quin & *juſtificandas*. *Juſtificandus eſt Deus in verbis ſuis, & vincere debet, quando judicat.* Rom: III. 4. ex Pſ. LI. 6. Rationalis hic noſter cultus erit tum maxime, cum juſtitiæ & æquitatis illius nobis ratio innotuerit. Sic *Juſtificata* dicitur *ſapientia* ὁ λόγος de quo Prov. VIII. Joh. I.

Viarum Dei Juſtificatio.

a filiis ſuis, Mat: XI. 19. Luc: VII. 35. *Exaltandus fuit Jehovah exercituum in judicio & Deus ſanctus ille ſanctificandus in juſtitia*. Jeſ: V. 16.

CCXIII. Certum eſt non decere Deum ut id decernat, cujus ipſi indecora ſit futura executio aut perfectionibus ejus non conveniens. Adeoque id, quo via Dei juſtificatur in executione, pariter niſi à Deo decretum foret, non conſtaret viæ Dei conveniens integritas.

CCXIV. Executionis autem in Chriſto quærenda Juſtificatio eſt, id eſt, id, quo fit, ut convenienter in omni executione decreti verſari videri poſſit, ea eſt Juſtitiæ ἔνδειξις quam in obedientia Chriſti ad mortem unicè reperimus. *Quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem Juſtitiæ ſuæ*, ... ad hoc, *ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu*. Rom: III. 25, 26. *Deus juſtus eſt*, tum quoque *quando impium juſtificat*, quod ceteroquin flagitiis accenſetur. Prov: XVII. 15. Rom: IV. 5. *Juſtitia* Dei *manet in æternum*. Pſ: CXI. 3. CXII. 3, 9. Hinc regno Dei Juſtitia jungitur Mat. VI. 33. ut fulcrum & baſis Pſ. LXXII. XCVI. 10. Jeſ: IX. 6. XLVI. 13. LVI. 1. Hoſ: II. 19. *Sic evadimus Dei Juſtitia*, qua ipſe juſtificatur 2 Cor: V. 21. qui probat ſe juſtum in omnibus Neh: IX. 15. 33. Pſal: CXLV. 7. Et maximum myſterium eſt, quod Deus ſimul ſit *& juſtus & ſalvans* Jeſ: XLV. 21. & *ſalvatus* Zach: IX. 9.

CCXV. Hinc, in æterno Conſilio, Dei Filius id in ſe ſuſcepit, quo præſtito, ſigillatim quidem Teſtamentum Dei, ut peccatores vocans ad cohereditatem cum Filio, verum & omnis via Dei univerſum juſtificatur. ita, ut conſtet juſtum eſſe Deum, tum quando juſtificat impium, tum quando omne exequitur voluntatis ſuæ propoſitum.

CCXVI. Hic id reperit conſcientia in quo acquieſcat; idem quippe maxime glorioſum Deo videns id quod ſibi ſigillatim ſalutare eſt. Operæ fore pretium videtur, ut quid hac de re ſcire datum ſit, ex verbo Dei paulo accuratius repetamus.

Mul-

CCXVII. Multa hic faciet, ſi, quæ de Sponſione Teſtamenti & pacto Patrem inter & Filium in Scripturis reperiuntur, huc congeramus. Illa enim ſponſione id in ſe recepit Filius præſtandum quo juſtificaretur Pater; atque ita Patrem inter & Filium hac ſub conditione Pactum aliquod, atque inſtar fœderis ab æterno contractum fuit. *De Sponſione T. & Pacto inter Patrem & Filium.*

CCXVIII. De Sponſione igitur ex profeſſo. Sponſorem dici Chriſtum in Scripturâ omnes qui eam agnoſcunt confitentur; qua autem in re ſita ejus indoles & ratio ſit, de eo non idem omnes ſtatuunt. Sociniani, tanquam id negotii unicè ipſis datum eſſet, ut Scripturas inanes reddant & omni emphaſi vacuas, hac quoque in parte figmentum nobis cudunt Sarmatica nive frigidius. Nimirum ſpoſpondiſſe non apud Deum pro nobis, ſed apud nos pro Deo Chriſtum Jeſum. Deinde Sponſionem eam locum unicè habere & virtutem exerere ſuam tempore demum Novi Teſtamenti. Solidè, ut ſolet, hæc refutat Coccejus de Fœd. §. 162. & ſeq. Paulo prolixius totum hoc argumentum eruiſſe non pigebit. *De SPONSIONE T.*

CCXIX. Eo quidem ordine, ut primo videamus illius naturam atque indolem; Secundo perſonam quæramus ei idoneam; Tertio modum & rationem in ſe ſuſceptæ a Filio Dei Sponſionis indagemus; Quarto quando ſponſio facta ſit; Quintò illius valorem & vim; Sexto quare Filius Dei ſignate Novi Teſtamenti ſponſor audiat cum & Veteribus agnitus fuerit Sponſor. Quibus bene pertractatis, vera juſtificandæ omnis *Viæ Dei* ratio clara erit & manifeſta, & ad executionis divini propoſiti contemplationem facilis tranſitio. *Summa dicendorum de SPONSIONE.*

CCXX. Sponſionis hujus vera indoles ex iis vocabulis repetenda eſt, quibus hac de re loquitur Spiritus Sanctus. Græcum præmittimus quo Apoſtolus utitur. Hebr. VII. 22. *1. Ejus indoles ex virtute vocabulorum Sacræ S. a Ἐγγύη.*

CCXXI. Ἐγγύη ſponſio & expromiſſio dicitur Budæo Comment. L. G. pag. 8. Præs Vas vadis habet Philoxenus, τὸ γύαλον *vola manus eſt: item vallis.*

ὁ γρόνθ@ qui manu comprehendi poteſt, *Adjective*: ὁ γύαλ@ *vero Subſtantivè* Cubus eſt. Inde ἐγγυάω, quaſi ἐν τὸ γύαλον trado. In die fauſt zuſchlagen: in manum promittere: Data manu promittere. *Et* ἔγγυ@ ſponſor, qui, data manu, aliquid promittit. Hæc Eraſmus Schmid ad Hebr. VII. 22. V. . vertit alicui *defigere manum: promiſſis ſolvere extendendo manu ſua Chald. Vox Græca originem habet a verbo* ἐγγυάω *promittere, quod ab* ἐν γύοις; in *manum* ferire, ſtipulata manu aliquid promittere. Salomo Prov: XXII. 26. *Noli eſſe cum his qui defigunt manus ſuas, & qui vades ſe offerunt pro debitis*, quod omne † vertunt μὴ δίδου σεαυτὸν εἰς ἐγγύην *ne dederis te in fidejuſſionem* Prov. VI. 1. Vide Delrio in Adag. Sac. P. II. Adag. CLV. coll. Geiero in loc. Ejuſdem originis vocabulo utitur cujus id, quo hic utitur Apoſtolus. Moris erat apud Judæos, nec non apud Romanos, fœdera inire in manum feriendo: & ſolebant heredes & executores teſtamentorum ſtipulata manu polliceri ſe teſtamento obſequuturos, illudque impleturos. Et verbum ἐγγυᾶσθαι *uſurpatur* non ſolum in promiſſionibus, de ſolvendis alterius debitis; Verum & in vindicandis atque aſſerendis his quibus pœna cæteroquin erat infligenda, aut qui in ſervitutem mancipandi aut ſervitium erant.

CCXXII. Qui aſſerebat aliquem in libertatem, *ſponſores dabat*, qui eum, de cujus ſtatu controverſia erat, judicio ſiſtendum promittebant. Erat cautio de judicio ſiſti & judicatum ſolvi. Atque id appellabatur ἐγγύη & διεγγύησις. Nempe vindiciæ dabantur ſecundum libertatem, cum quis in ſervitutem abducebatur; modo is, qui eum in libertatem aſſerebat, ſponſores & fidejuſſores daret, ac ſatis præſtaret, quod legibus XII. Tab. cautum erat, & ipſo jure Græco, unde eæ ex majori parte manarant. Quod notavimus olim ad epigr. LIII. Lib. II. Mart. prolatis ex Lyſia, & Demoſthene duobus locis, ubi ἐγγυᾶν & ἐγγυᾶσθαι. *Vindicatur Virginia, ſpondentibus propinquis*, tunc vero

ba

Digitized by Google

ba Livii Ἐγγυᾶν ὁμολογεῖν eſt ſponſores dare & ſpondere ἀπάγεσθε νῦν, ὦ Νουμιτόριε, τὴν κόρην, καὶ τὴν ἐγγύην ὁμολογεῖτε περὶ αὐτῆς εἰς τὴν αὔριον ἡμέραν, *abducite, ô Numitori hanc puellam, & ſponſionem promittite, ſponſores date in poſterum diem.* Sponſore igitur aut ſponſoribus datis aſſerebatur is, qui ceteroquin in ſervitutem abductus erat. Atque ita ἐπὶ ἐγγύῃ παραγίνεσθαι erat *advenire eo die, in quem uſque vindiciæ datæ* ſeu conceſſæ *erant, quo puella coram* judice *ſiſtenda erat.* Hæc me docuit Heraldus in Obſervat. ad Salmaſii Jus Atticum Lib. II. Cap. VIII. Hic Sponſor ἀντιποιεῖσθαι τοῦ σώματος *corpore vindicias* juxtà leges petendi jus habebat, ut apud Dionys. Halic. L. XI. videre eſt.

CCXXIII. Quin mo & in capitalibus idem verbum „ uſurparetur, nimirum, quando aliquis ſe ſurrogat „ in locum alterius, ad ſubeundam pro alio mortis pœ- „ nam: ut in celebri Hiſtoria iſtorum duorum amico- „ rum, Euphæni ſcilicet & Eucriti: Eucritus ἠξίωσεν ἐγ- „ γυᾶσθαι *pro Euphæno*, quando mortis damnatus erat „ à Dionyſio tyranno. Hoc verbo hanc narrans hiſtoriam „ uſus eſt Polybius. Sunt verba Practicorum inter Anglos forte Doctiſſimi Thomæ Godwin Op. Belgice ed. pag. 439. & 440. Jam dicti, Demon quoque & Pythias vocantur, Vid. Valerium Max. L. IV. Cap. VII. Cic. Offic. L. III. Lactantium L. V. Cap. 18. Nomina variant, hiſtoria eadem. Pithias in nummo Pinthias legitur, & pro utroque apud Polienum Euephenus & Eucritus vid. P. Manut. ad locum Cic. de Off. Hyginus Mærum & Selynuntium vocat Cap. CCLVII. ibidem Phalaris pro Dionyſio.

CCXXIV. Et ſanè ſupponunt Prov: XXVIII. 17. non pro debitis tantum, verum & delictis capitalibus aliquem poſſe fieri ἔγγυον: Sic habent Ἄνδρα τὸν ἐν αἰτίᾳ φόνου ὁ ἐγγυώμενος. Sic. Verſio, quæ in Polyglottis Anglicanis, *virum qui in cauſa mortis ſpondens* &c. Seu ut à Lapide: *vir, qui in cauſa cædis pro altero ſpondet.* Utrum Hebræis hæc recte reſpondeant nec ne, jam non diſquirimus. Arabs pariter: *vir qui ſecuritatem præſtat in cauſa homicidii.* *Ἔγγυοι pro delictis non minus quam pro debitis.*

Ut

Ἐγγυος. CCXXV. Utut ſit, ἔγγυος eſt, qui ſe obſtringit pro altero, loco alterius. Ἐγγυῶμαί σοι τοῦτον ἢ περὶ σοῦ pro ſpondeo & fidejubeo pro eo apud te Demoſth. ap. Budæum Com. p. 71. Ἐγγυήσασθαι ἂν μὲ περὶ Κρίτωνα, ἔφη, Plato in Phædro. Οὗ δὲ τις ἐγγυᾶσθαι τῷ μέλλοντι ἔσεσθαι. Itaque quod Cicero libro primo de Oratore dicit, Perge vero Craſſe, iſtam enim culpam quam vereris, ego præſtabo. Græcè ſic dici poteſt, ταύτην γὰρ τὴν αἰτίαν ἔχων ἐγγυῶμαι. Inde præſtare periculum, præſtare alienam culpam apud Juriſconſultos. Idem ad Pandectas: eſt exitum rei in ſe recipere, vel alienæ culpæ diſpendium velle luere. Prior. Edit. p. 82. Et, ne in capitalibus hæc obtinuiſſe, denuo ambigas, Feſtum audi. Vades, ſponſores in re capitali dicuntur. Livius L. v. ſec. Bell. Punici, Tribuni, omiſſa mulctæ certatione, rei capitalis diem Poſthumio dixerunt, ac ni vades daret, prehendi à viatore, atque in carcerem duci juſſerunt. Poſthumius vadibus datis non affuit. extat locus Lib: xxv. Cap. iv. Eſtque & alibi apud Livium Epiſt: L. xlviii. quod huc facit. Publicia & Licinia, nobiles fœminæ, quæ viros ſuos conſulares necaſſe inſimulabantur, cognita cauſa, quum prætori prædes vadeſque dediſſent. Corrigit Gronovius cum à prætore die dicta vades dediſſent. Ἐξεγγυᾶν eſt ſponſione aliquem liberare Bud. p. 79. ἔγγυος Synonymum habet ἀνάδοχος Hezych. Αἰτίαν ἀναδέχεσθαι eſt in ſe recipere crimen. Ἐγγύη eſt ἡ περί τινος ἀναδοχή Phavor. Varinus.

CCXXVI. Ex dictis conſtat quid Sponſoris vocabulum Græcis ſignificet, nim. qui alterius debita ſolvenda, aut de ſiſtendo ſpondet, aut pœnam luendam, aut exequenda juſſa aut decreta in ſe recipit. Hoc ſenſu accipiunt paſſim LXX. τὸ ἐγγυᾶν Prov: vi. 1. xvii. 18. xx. 16. Neh: v. 3. pariter ſcriptores Apocryphi Syr: viii. 16. xxix. 17. Originem autem quare aliunde quam ab ἐγγίζω appropinquo & ἐγγὺς propè derivent, non video. Et fateor hanc mihi derivationem priore potiorem videri, eam imprimis ob rationem, quod eo ipſo in loco, qui nobis hanc

Chriſti

Chriſti ſponſionem luculentiſſime prodit Jer: xxxi. 21. potiſſima illius ratio in eo collocetur, quod is ſit ille, qui ad ad Deum accedat atque appropinquet.

CCXXVII. Lubet vocabula quoque Hebræa hac de re Spiritui Sancto uſitata expendere. Primum eſt יערב de quo merito notant eruditi, vix eſſe radicem apud Hebræos tam latæ, & diverſæ ſignificationis. Fere omnes commode reduxeris ad ſignificatum mixtionis, & conventionis aut conjunctionis, ſeu rerum, ſeu perſonarum; tam *in* pactis & commerciis, pignore vel cautione fide accepta tranſactis, quam *extra* ea, cum quid, aut animo ita convenit, aut corpori, ut ſenſus velut devinciat & obliget, ac proinde ſuave dicitur, atque amænum ſeu gratum. *Vocabula Hebræa* ערב & קרב

CCXXVIII. Certe Filius Dei nos Deo unit, ac conjungit, non ſine ſponſione & pacto, quo, ad ſolvendum pro nobis redemtionis pretium, ſe obſtrinxit, nos attemperans Deo, ut ei accepti & ſuaves evadamus.

CCXXIX. Miſcendi, & coaleſcendi ſenſu accipitur. Prov. xiv. 10, *& in lætitia ipſius* לא יתערב *non miſcebitur*, partem non habebit, *alienus*. Dextræ invicem junctæ, (qui ritus olim fuit in pangendo fœdere obſervatus) commixtæ quoque videri poſſunt.

CCXXX. Conjugum copulam denotat. Ezr. ix. 2. והתערבו זרע הקדש בעמי הארצות. *& miſcuerunt ſemen ſanctum cum populis terrarum. Miſta Deo mulier. Virg. Æneid.* vii. 661. Certe & hic de conjugio cœleſti cogitandum eſt, quo nos ſibi junxiſſe, dici tum quoque poteſt, quando, quod ſponſione factum, ad noſtras vices obeundas in noſtrum ſubſtitutus locum ſe obſtrinxit.

CCXXXI. Interpoſito pignore aliquem hujus, aut illius rei, aut facti certiorem reddere, uti quis creditorem æris commodati ſecurum præſtat, hoc quoque vocabulo quis dicitur. Hinc filii obſides, quibus fidelitatis ſuæ certiores reddebantur victores à victis, התערבות filii ſponſionum ſive fidejuſſionum. 2 Reg. xiv. 14. 2 Chron. xxv. 24. Ubi, *Filios optimatum ſibi oppignoratos*, habet Paraph. Chald.

 תשא

אשטגש ש״י *oſtages*, vernacule oſtagiers ç. explicante Kimchio. Fuit ſane pignus, quod interponebat Filius Dei, erat ſponſio, qua certiorem reddebat Patrem, fore, ut juſtificaretur in omnibus viis ſuis, ea imprimis earum parte, quæ peccatoris ſalutem reſpicit.

CCXXXII. Ipſum quoque pignus alteri datum, ab hoc vocabulo nomen habet *arrhabonis*, occurit Hebraicum ערבה Gen. XXXVIII. 17, 18, 19. 1 Sam. XVII. 18. Onkelos משכונה *pignus ſic dictum*, inquit Elias שהוא שכן *quia habitat, & commoratur in manu credentis ſeu mutuo dantis, donec redimatur.* Filius Dei ſe *Obſidem* non ſolum, ſed & *Pignus* dedit, habitaturus in manu Dei, obſtrictus futurus Deo, uſque dum ſolviſſet ſanguinis ſui, tanquam redemtionis pretium. Sic ſexcenti obſides Samnitibus dati *tantus arrhabo*, dicuntur. Q. Claudio ap. Gell. II. 17. *Ea relicta huic arrhaboni eſt pro illo argento* Heaut. a. III. ſc. III. v. 42. Paulo ceteroquin arrhabo *arrham* potius, quam *pignus* ſignificat. Præſtitis præſtandis, *arrhabo* redditur; arrha autem non redditur, ſed pars ſolutionis eſt, cujus complementum deſiderare licet juxta Iſidod. Eſt locus, ubi pro debitis ſolvendis ſe agros & vineas oppignoraſſe, Iſraelitæ hoc vocabulo queruntur ערבים Neh. v. 3.

CCXXXIII. Haud igitur mirandum, quod & *ſpondere* ſignificet *& fidejubere*. Fidejuſſor enim ipſe ſe obſtringit pro alio Idque non *in judicio ſiſtendi tantum cauſa, verum & in omnem cauſam. Briſſon. de Verb. Signif.* Sic ערב *Fidejubere* vertitur a Pagnino Prov. XI. 15. Vulgatus habet *fidem facere pro extraneo. Fidejuſſor extitit, tolle veſtem* ejus. *Pignora eum*, Chaldæus. Se pignus dedit, atque ita fidejuſſit pro nobis Filius Dei. Sic ערב ſponſor Jer. XXX. 21. Prov. XVII. 18. additur ritus in ſpondendo adhiberi ſolitus, nim: manus jungebatur manui alterius, alter feriebat, atque ita defigebat & prehendebat manum. Prov. VI. 1. ἐγγυήσῃ. XVII. 18. LXX. ὡς καὶ ὁ ἐγγυώμενος. ערבה Sponſio ἐγγύη Prov. XXII. 26.

CCXXXIV. Significat præterea, *aliquem in fidem ſuam recipere, ſpondere* pro aliquo. Nimirum in fidem ſuam recepit heredes

Digitized by Google

heredes a Patre nuncupatos, ſibique coheredes. Quid hoc ſibi velit ex Gen: XLIII. 9. manifeſtum eſt: Judas in ſe ſuſcipit Benjamini fratris curam atque incolumitatem. Hinc Joſepho Benjamini abitum impedienti: *ego eum recepi in fidem meam*, dixique Patri, *ex manu mea repetes eum*. Gen: XLIV. 32. Ita in ſe ſuſcepit Filius Dei vindicias & aſſertionem eorum, qui Teſtamento vocati ſunt: pollicitus ſe fore גואלי vindicem Job: XIX. 25. ἐγγυητὴς Hebr: II. 16. ſe ea ſubiturum & præſtiturum, quibus via Dei, imprimis juſtificantis improbum, juſtificaretur.

CCXXXV. Pretio quodam condicto certare denotat 2. Reg. XVIII. 23. Jeſ: XXXVI. 8. Quod licet longius a noſtro diſcedere argumento videri poſſit, prorſus tamen alienum non eſt. Cum non certaverit tantum, ſed & luctatus cum Patre de ſalute noſtra ſit Filius.

CCXXXVI. Et quemadmodum emptionis pretium ſpopondit Filius, ſic & de mercatura accipitur id, de quo diſſerimus, vocabulum. Ezech. XXVII. 9. 13. 17. 19. 25. 27. 33. 34. Nimirum non proprie dicta tantum, verum & myſtica Tyrus, ſeu Cananæi mercatores Zach. XIV. 21. omnia habent venalia, imo & corpora, & animas hominum. Apoc. XVIII. 11. 12. 13. verum merces falſæ, & pretio nullo digna ſunt, quæ vænum exponunt. Subſtituunt in locum ſanguinis & meriti Sponſoris, humana merita; quin & ſe ipſos Sponſores ſæpe jactitant.

CCXXXVII. Unum adhuc de hoc vocabulo notandum venit, nim. quod & ſuavitatem ſignificet. Qui ſe ſubmiſſè alicui dedit, is & officioſus cenſetur, & ſuavis & amænus eſt. Sic meretrici Judaicæ dicitur, quod ſe ſuavem ac jucundam præſtiterit idolis & idololatris Ezech. XVI 37. אשר ערבת *quibus te* ſuavem, jucundam præbuiſti. Imprimis oblatione ſanguinis filiorum ſuorum, de qua verſu præcedente. Quippe non vero nixa lutro, non ad Sponſorem ſe recipiens, ſed amoris pignus & placamentum filiorum ſanguinem offerens, idolis placuiſti, non Deo. Imo ne ſacrificia quidem ex legis præſcripto oblata placebant, niſi

Digitized by Google

Sponſorem reſpiceret ὁ בעל ſacrificii dominus. Hinc Jer. VI. 20. וזבחיכם לא ערבו לי / *& ſacrificia veſtra mihi ſuavia non ſunt.* Quæ ratio? *Sponſoria* non ſunt. Sponſorem non referunt, eum vobis non repræſentant. Uno verbo, nihil ſpondent mihi; meræ umbræ, nihil corporis pollicentur. Confer Hoſ. IX. 4. לא יסכו יהוה יין *non libant Jehovæ vinum*; vinum libant, at non Jehovæ; non Deo ut futuro id, quod eſt, ולא יערבו לו, & non ſpondent pro ipſis, ſponſoria non ſunt, hinc *non ſapiunt ei ſacrificia eorum.* E contra, de ſacrificiis in fide Chriſti offerendis וערבה ליהוה מנחת יהודה, & ſponſoriam redolebit virtutem, atque ita *ſuave erit munus Jehuda.* Mal. III. 4.

CCXXXVIII. Non poſſum non hic commemorare verba ipſius Filii Dei, a Jeremia poſt reſuſcitationem ex mortuis in ſcenam producti, Cap. XXXI. 26. על זאת הקיצתי ואראה ושנתי ערבה לי. *Creaverat jam Deus novum in terra*, rem portentoſam, *femina*, jam ſinu complexa, conceperat & *circumdederat* κατ᾽ ἐξοχὴν *Virum*: agnoſcenda erat allata Hieroſolymis per Chriſti paſſiones juſtitia, colligendi erant in Chriſtum credituri, imprimis agricolæ Apoſtoli *profecturi cum grege. Irriganda erat anima defeſſa*, ſitiens Eccleſia, *& omnis anima*, quæ *tabuerat, implenda*; *propterea*, eum in finem, hanc ob cauſam *evigilavi*, ex mortuis reſurrexi, *& ſomnus meus* mors mea videnti ingens illud pretium operæ *ſuavis fuit.* Quippe obedientia mea jam excruit virtutem ſponſoriam & ſatisfactoriam.

קרב CCXXXIX. Sequitur alterum vocabulum קרב, quod appropinquare & accedere ſignificat. *Alienati ſumus* a Deo & *vita Dei*: jus ad ipſum accedendi non habemus. Quærimus eum, qui pro nobis, in noſtrum bonum, noſtro loco, ad Deum acceſſerit. Is eſt Filius Dei, qui intercedit, & ad Deum accedens orat pro peccatore, *ne deſcendat in foveam*, quippe repererat *redemtionis pretium.* Job. XXXIII. 24. Ita accedit, ut dextram quaſi dextræ jungat, contrahens ab omni æternitate *fœdus pacis.* Zach. VI. 13. ita accedit, ut in quo plene aliquando *ſanctificandus* erat Deus. Lev. X. 3. Ut

talem

Digitized by Google

talem, ipſum effigiavere Sacerdotes, qui propterea dicuntur accedere & appropinquare, & ratione ſacrificii appropinquare facere. Cujus ſacrificii cauſa Deus viciſſim appropinquabat ad peccatorem in nube. Exod. XIX. 22. Sacrificium quoque omne in genere vocabulo קָרְבָּן denotatur in Sacris. Lev. I. 2. II. 1. Neh. X. 35. Mat. XV. 5. nimirum ad acceſſum Filii Dei referri debuere omnia ſacrificia, קָרְבָּנִים. Ezech. XL. 46. XLII. 13. XLIII. 19. & plurimis aliis in locis. Et Eccleſia Novi Teſtamenti, quando non amplius procul ſtare tenetur, ſed univerſa eſt ſacerdotium, dicitur populus ἐγγίζων αὐτῷ populus appropinquans ei, ut non credens caterva עִיר לֹא קָרֵבָה *urbs non appropinquans ad eum* Zoph. III. 2. ad Deum ſuum οὐκ ἤγγισεν. Targum. Hinc, qui ſe a Legis Moſaicæ obſervatione avelli haud patiebantur, & procul ſtare volebant libertatem accedendi cum fiducia reſpuentes, dicuntur ad Deum ſuum Chriſtum, jam palam expoſitum non appropinquare, οὐκ ἤγγισεν habent LXX. Eodem verbo ἐγγίζειν de hoc argumento utitur Apoſtolus Hebr: VII. 19. rem ipſam ulterius explicatam vide. Rom: V. 2. Hebr: X. 19. Eph. II: 13. III. 12. *O beatum illum, quem tu eligis, & facis appropinquare, ut habitet in atriis tuis*, אַשְׁרֵי תִּבְחַר וּתְקָרֵב, inquit de iis Pſaltes. Pſ: LXV. 5.

CCXL. Omni animadverſione dignus eſt locus apud Jeremiam Cap: XXX. verſu 21. *Et erit dux ejus magnificus ex ipſo, & poteſtatem habens ejus e medio ipſius exibit, & faciam eum appropinquare, & accedet ad me. Nam quis eſt, qui in fidem ſuam recepit cor ſuum, ut accedat ad me? ait Jehova.* Nimirum ab æterno acceſſit, & ſe obtulit Deo; hinc & in tempore obeundum ei id ſacerdotium erat, adeoque ad Deum accedendum. Prius Sponſio eſt, poſterius Sacerdotium. Poſterius quantum excellit præ Aaronico, *tanto melioris quoque Teſtamenti Sponſor factus eſt*. Hebr: VII. 22. Erat *Deo proximus* Zach: XIII. 7. ἐν κόλπῳ τοῦ Πατρὸς in ſinu Patris. Joh. I. 18. Pater ipſum facit appropinquare, id eſt, vocat atque ita *præcognoſcit ante jacta mundi fundamenta*, 1. Petri I. 20. *miſit ique in mundum* Joh. X. 36.

 Pater

CCXLI. Pater ipſi addixit gloriam. Hujus intuitu mortem ſubivit. Hebr. XII. 2. atque ita ipſi ab æterno appropinquanti decretum eſt ſacerdotium, quo functus eſt in tempore. Forte huc reſpexit Aſaph quando Pſ: LXXIII. 28. ואני קרבת אלהים לי טוב *me vero quod attinet, acceſſus Dei mihi bonum.* Inde omne bonum expecto, quod Deus acceſſerit, factus ſit accedens ſeu appropinquans. Accedit, quod Num. XXIV. 17. dicatur קרוב *appropinquator* aut *proximus*: nihil enim vetat, quo minus eo ſenſu vertamus verba Bileami, ut ſignificantia, Bileamum non viſurum Chriſtum *proximum*, id eſt, ut *propinquum*, nim: Deo, quippe qui & ejuſdem ſit eſſentiæ, cujus Pater, & ad Deum ab omni æternitate appropinquaverit ſponſoris in ſe ſuſcipiens partes: *ſibi*, quippe qui & futurus erat ex alio ſemine, nim. Abrahami, & non futurus Bileami ἀγχιστεύς, ἐπαλήκτωρ, גואל, vindex & redemtor, ex lege conſanguinitatis. Naomi Ruth. II. 20. קרוב לנו האיש מגאלנו הוא *propinquus nobis vir; de redemtoribus noſtris ipſe.* dimidium hujus dicti in V. V. non comparet. LXX. ἐκ τῶν ἀγχιστευόντων ἡμῶν ἐστιν. Conf. Lev. XXV. 25.

CCXLII. Addo Pſ: LXXV. 2. וקרוב שמך & *quoniam PROPINQUUS*, appropinquator, accedens *eſt nomen ejus.* Hæc potiſſima laudis materia, hoc incentivum eſt, quod nomen ejus, quo in fide ipſum compellamus, ſit קרוב eadem conſtructione, qua alibi צמח שמו *germen nomen ipſi* Zach: VI. 12. יי שמו Exod: XV. 3. יי קנא שמו XXXIV. 14. יי צבאות שמו Jeſ: XLVIII. 2. LI. 15. LIV. 5. Jer. X. 16. XXXI. 35. Amos: V. 8.

CCXLIII. Hinc populus Dei Eccleſia N. T. appellatur עם קרבו *populus Propinqui ſui* Pſ: CXLVIII. 14. id eſt Filii Dei ἐπαλήκτορος. Qualis appropinquatio fuerit victimam offerentis redemtoris Pſ: XXII. 12. צרה קרובה (in ſtatu contracto קרבת אלהים) hic vice verſa, *anguſtia appropinquans. Ne te elonges à me, nam anguſtia appropinquans, quia non eſt auxiliator.* Tempus nunc venit, quo, vi æternæ ſponſionis, mihi ut Sacerdoti

&

& victimæ ad te accedendum eſt, ego jam appropinquo, tu ne diſcedas à me, ne te ſubducas illi operi, de quo conſilium inivimus, & omnia mala mihi exantlanda ſubeo: in eo ſum, ut ultimum quadrantem ſolvam, mera anguſtia eſt, exquiſitiſſimus dolor eſt, Sponſorem Teſtamenti ad te accedere victimam, ſoli quippe & uni perferenda omnia, *non eſt auxiliator mihi.*

CCXLIV. In æterno igitur conſilio Dei, Filius in ſe id ſuſcipiens, quo, ſigillatim quidem Teſtamentum Gratiæ ſeu Conſilium de peccatoribus Filio hereditatem dandis; verum & in genere, omnis via Dei juſtificaretur, jam *Sponſor* audit.

CCXLV. Sequitur, ut Perſonam iſti idoneam muneri quæramus atque indagemus. *Quis eſt, qui in fidem ſuam recepit cor ſuum, ut accedat ad me? ait Jehova* Jer: xxx. 21. Tantæ molis id opus eſt: ut nemo ſit aut hominum, aut angelorum, qui id in ſe ſuſcipere, aut poſſit, aut audeat. Hinc, quis ille ſit, qui huic negotio par ſit, ſciſcitatur Deus. *Quis eſt, qui in fidem ſuam recipiat cor ſuum?* Quippe Dei eſt, & ſeligere eum, & nobis proponere. Ratio enim hic, ut ut ſe torqueat, omniaque idearum atque axiomatum excutiat ſcrinia, in caſſum laborabit. A Deo unicè inventi iſtiuſmodi Sponſoris lætus expectandus eſt nuncius. *II. Perſona iſti operis & muneri idonea.*

CCXLVI. Oportet autem, ut, qui huic operi idoneus cenſebitur. I. Sui juris ſit, ceteroquin ſe pro aliis obſtringere, vitamque pro iis interponere, non poterit. 1
II. Sufficientiæ ſuæ habeat conſcientiam. *quod dicitur, in fidem recipere cor ſuum.* Seu animam habeat & ſanguinem tanti valoris, ſeu talis ſit, cujus anima & ſanguis tanti valoris perſonæ ratione ſiet. Sufficientia enim, de qua loquimur, ea eſt, qua irati nobis favorem numinis conciliare poſſit: obedientiâ nimirum ad mortem uſque, quippe quâ conveniens fieri juſtitiæ divinæ & decora poſſit demonſtratio. 2

CCXLVII. III. Tantæ eminentiæ & virtutis, ut ſibi jure vindicatis dominari queat, id eſt, & juſſa, quæ conſcientias obſtringant & corda, & vires dare, quibus iſtis juſſibus obſequium præſtare, & velimus, & queamus. Hinc 3

Jer:

Jer: xxx. 22. מושל *dominator* dicitur, & אדיר *Princeps*. IV. Nobis propinquus, ut jure ἐπιλήψεως nos ſibi vindicare poſſit, גואל enim non eſt, niſi qui vindicandis ſanguinis eſt junctus vinculo, adeoque homo de iſtis hominibus. V. Ad Deum appropinquandi atque acccedendi jus habens. *Ut ad me accedat*; eaque agat, quæ apud me agenda ſunt pro homine peccatore Hebr: v. 1.

CCXLVIII. Qualis cum, ut §. CCXLV. notavimus, ex ea revelatione, quæ omni homini communis eſt, nec in cœlis, nec in terra ullus innoteſcat, clarum eſt a Deo deſpici, mitti, & admitti debere. *Ego faciam accedere, & appropinquabit ad me*. Jer: xxx. 22. *Nemo ſibi adſumit iſtum honorem, niſi à Deo vocatus*. Hebr: v. 4. Hinc à Patre ab æterno *Præcognitus*, Petr: 1. 20. *unctus* Prov: VIII. 23. in tempore *ſanctificatus & in mundum miſſus*. Joh: x. 36. *factuſque dominus* eſt & *Chriſtus* Act: 11. 36. Sed Chriſtus ſeu *unctus* ſupra conſortes, cui jam Davidis tempore dixerat Pater; *Jehova juravit, & non pænitebit eum; tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchizedek* Pſ: cx. 4.

CCXLIX. Porro VI. qui ſe probet omnium *Supremum* אדיר / *κατ' ἐξοχὴν primum*. Apoc: 1. 11. Regem, nec tituletenus, ſed manu ſua quatientem Sceptra מושל. Sacerdotem, quippe cujus eſt ad *Deum accedere*. Quæ ſane non cadunt, niſi in VII. Θεάνθρωπον, ſeu in Deum, qui ex homine homo purus fieri poſſit, velitque, & ſic præſtare δικαίωμα legis.

CCL. Magna quidem requiſita, at quorum tamen nullum deeſſe poteſt, ut Sponſor ſit, qualem & Deum, & nos deceat. Vocabula Emmanuel, Redemtor, Mediator, quin Angelus Fœderis, faciei rum, Interpres, hæc omnia ſuo ſignificatu complectuntur. Et alium qui finxerit, næ is nullum habiturus eſt idoneum. Hominem finge, qui ψιλὸς merus homo ſit, Is pactum ab æterno pangere non potuit, præterea ſui juris non eſt, ut ſe poſſit obſtringere pro alio, & quicquid poteſt, id ut ut pro ſe poſſit, in alium tamen redundare non poteſt δικαίωμα, quod cauſa ſit petendi juris ad vitam æternam

ternam, finge, habeat, at eo ipſe indigebit. Agnoſce, & verum Deum eſſe, & verum hominem, & evaneſcet iſthæc omnis difficultas.

Perſona ad ſpondendum idonea.

CCLI. Ubi ſufficientiæ conſcientia, ſi merus, & nil niſi homo ſit? ubi virtus nos ſibi vindicandi, nobis dominandi, cordaque ſibi ſubjiciendi in obſequium? Vel an creaturæ erimus peculium & in homine gloriabimur? eum dicemus ſalutem noſtram, bonum noſtrum? id eſt, ſummum honorem ac gloriam ei deferemus? *Tantummodo in Jehova*, dicit Pater de Filio, *ſunt juſtitia & robur. Præter me Salvator non eſt.* Jeſ: XLIII. II. XLV. 23. *Fratres non redimet* merus *frater*. Pſ. XLIX. 8.

CCLII. Demus Deum eſſe, at ne hoc quidem ſufficit, neque enim illud δικαίωμα præſtare poterit, quod lex flagitat, niſi homo ſit: aut jure redemtoris nos ſibi peculium petere & aſſerere, niſi ipſi nobiſcum intercedat ſanguinis communio. Hinc non lubuit tantum, ſed *decuit Deum, ut tum ſanctificans, tum ſanctificandi, ex uno eſſent*. Hebr: II. 10. Ut poſſet ipſos fratres dicere: *narraturus enim erat fratribus ſuis* Dei *nomen*. Pſ: XXII. 23. Joh. XX. 17. Pſ: LXIX. 9. Ex uno ſemine & ſanguine. Hinc ex eo, quod aſſerturus eſſet, non Angelos, ſed Abrahamidas, concludit Apoſtolus, debuiſſe ὀφείλετε in omnibus adſimilari fratribus. Certe *ex hominibus* eſſe debebat, is, qui in ſe ſuſceperat *apud Deum ſe acturum, quæ agenda erant pro hominibus*. Hebr: V. I.

CCLIII. Et fuerit homo & verus homo, & ex eodem, ex quo nos, ſemine. Oportet, præſtet δικαίωμα, adeoque legi ſe ſubjiciat, cui, ad acquirendum ſibi jus vitæ, ſe ceteroquin ſubjicere debuiſſe non videtur; cum & Filius eſſet, & ut Divinitatis, ſic & gloriæ ac beatitatis plenus. Subjicere autem ſe legi debuit, ut, obediendo ad mortem, *impleret jus legis*. Rom: VIII. 3. 4. Idque ut alter Adam, ut caput, ut primogenitus frater, ut ſponſus, ut paſtor noſter. Verum de hiſce univerſis & ſingulis ſuo loco pluribus.

CCLIV. Deus igitur eſſe debet, qui in ſe ſuſcipiat, ſe

 ſuo

Digitized by Google

ſuo tempore futurum hominem, de peccatoribus ortum, ſub legem, & implentem jus legis nos peccatores condemnantis, ut ſit Sponſor noſter.

III. Modus & ratio ſuſceptæ in ſe à Chriſto Sponſionis.

CCLV. Sequitur igitur, ad tertium caput tranſeamus, atque ita nobis innoteſcat modus & ratio ſuſceptæ in ſe à Filio Dei Sponſionis. Hic autem modus ac ratio talis eſt, ut, non niſi maxima cum veneratione & prudentia, de iis ſit diſſerendum. Novimus unum Deum eſſe, verum & trinum. Et ut Deus unus eſt, ſic una voluntas, intellectus unus non ſecus ac ipſa eſſentia: verum ut trinus Deus eſt, ita &, pro diſtinctione Patris, & Filii, ac Spiritus Sancti, inter ſe diſtincte volentem Deum ut Patrem; volentem Deum ut Filium, volentem Deum ut Spiritum Sanctum, ſigillatim conſideramus. Atque in hoc opere œconomico Patrem concipimus ut Filio offerentem Redemtoris omnem gloriam, ea conditione, ut Sponſionem in ſe recipiat. Filium ut id in ſe ſuſcipientem, quo, Dei incolumi juſtitia, ipſe caput redimendorum eſſe, & æternum celebrari in ipſo Pater poſſit. Spiritum Sanctum ut, propter hanc Patris & Filii voluntatem, ſanctificare peccatorem volentem.

PACTI inſtar hic reperitur

CCLVI. Ut hic PACTI inſtar aliquod menti noſtræ objiciatur. Scriptura quoque Pacti iſtiuſmodi, tum exerte, tum implicite mentionem faciente Zach: VI. 13. Quippe pacti inter Patrem & Filium, indice ac teſte Spiritu Sancto. Pſ: LXXXIX. 29. ſic Pater de Filio ובריתי נאמנת לו *Fœdus meum firmum ipſi eſt*. Eſt igitur fœdus, eſt pactum Patri cum Filio, & viciſſim.

CCLVII. Et ſane, cum in prima propoſiti Triunius Dei Executione Sacro Sanctæ Trinitatis perſonas, ſe invicem ad imponendum operi colophonem excitantes audiamus Gen: I. 26. abſonum haud erit, ſi Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, veluti deliberantes, concludentes, quin imo pactum aliquod inter ſe ineuntes, cogitemus, Scriptura, non ſine inſigni συγκαταβάσει, hic nobis viam muniente. Et quemadmodum ratione divinæ ſapientiæ conſilium, ratione conſtantiæ ac firmitatis, futuræque per ſanguinem juſtificationis & confirmationis, teſtamentum; quid ni,

&

Digitized by Google

& ratione Patris, Filii, ac Spiritus Sancti, habita; hic Pacti inſtar reperiam; Patre, Filio, ac Spiritu S. ſuum hic, liceat ita loqui, conferente, & partes obeunte. Nimirum voluit, ut, quod exiturum in Triunius Dei gloriam Conſilium eſt, ejuſdem & initium, non ſine Triunius Dei contemplatione, conſtaret. *PACTUM inter Perſonas Deitatis.*

CCLVIII. Expreſſa quidem pacti, ſeu conventionis mentio eſt. Zach. VI. 12. 13. *Jehova* quoque memoratur & *Germen Jehova*, non facta Spiritus Sancti mentione, cui nihilominus pars ſua in hoc negotio denegari non debet. Ita tamen ut Pater; & Filius videantur conſiderandi tanquam partes contrahentes; Spiritus S. vero ut Teſtis. Et præterea plus ſemel inter ſe ita colloquentes introducuntur, ut ſolent, qui aut fœdus pangunt, aut de pacto atque inito jam fœdere inter ſe aut de ſe invicem agunt. Occurrit primo loco Pſalmus Secundus Verſibus 7. 8. quem una cum nonnullis aliis deinceps recenſebimus.

CCLIX. Huc facientia, quæ ſparſim in Scripturis reperiuntur, ad hæcce capita commode referemus. I. Quænam partes contrahentes. II. Qua ſub σχέσει eæ conſiderandæ. 1. ante pactum. 2. in ipſo pacto. 3. vi pacti. III. Bonum, de quo contrahitur. IV. Conditiones fœderis. V. Actus contrahentium. VI. Signate conditionis a Sponſore promiſſa præſtatio. *Hujus PACTI.*

CCLX. Partes contrahentes ſunt Pater & Filius. Zachariam id adſeverantem audivimus Cap. VI. 12. 13. Qui locus, ut ut agat de rebus ſub Novo demum Teſtamento futuris, merito tamen hic allegatur, ubi de Pacto æterno ſermo eſt, cum executio ſupponat propoſitum æternum. *I. Partes Contrahentes.*

CCLXI. Quod propoſitum, cum ſit a Patre in Filio conditum, & Filius in eo adſtipulantis, Pater ſtipulantis partes obeat, merito *pactum* dicitur *Patrem inter & Filium*, hoc quoque in loco indicatum. Ut poſt Coccejum & alios recte cenſuit Witzius OEcon. L. II. Cap. II. §. 7. id tamen minus accuratum videtur, quod heic loci pactum pacis velit conſiderari, ut cauſam & originem majeſtatis Christi & ſeſſionis in throno, non vero, quæ Coccejì ſententia eſt, ut con-

ſequens & effectum illius gloriæ. Eſt revera æternum Patris & Filii Pactum cauſa, non majeſtatis tantum, ſed & humiliationis Chriſti; verum hoc in loco id Conſilium conſideratur, ut executioni datum eo tempore, quo gentes non minus, quam Judæi vocandi erant, adeoque Euangelium pacis annunciandum, Germine progerminato, & templo corporis jam ab ipſo facto, & conſidente thronum, & in throno Sacerdotium exercente, ut ex præcedentibus conſtat. Pax quoque hic memorata, ea eſt, quæ, ſublato μεσοτοίχῳ, gentes cum Judæis unam in gentem coaluere. Hujus Pacis internuncius *Germen*, juxta Jonathanis Paraphraſin, *Meſſias* eſt. Et ſane, præmiſſis verbis futuri temporis, quæ ratio, quod hoc תהיה non pariter futuri maneat temporis.

CCLXII. Solidum eſt, quod Coccejus animadvertit, voluntatis hic unitatem, & conſilii manifeſto innui. Quæ Patris, eadem eſt, quæ Filii, voluntas & propoſitum: adeoque Pactum æternum.

2. Qua ſub Schesi partes contrahentes conſiderandæ ſint.

CCLXIII. Secundo jam loco videndum eſt, qua ſub σχέσει conſiderari hæ partes contrahentes debeant. 1. Ante pactum. 2. In ipſa tranſactione. 3. Vi pacti. Ne quem offendat, quod, qui æternitatem divini agnoſcimus conſilii, *ante* hic, & *præſens*, & *futurum* comminiſci videamur. Diverſitatem conceptuum noſtrorum exprimimus, & ſecundum noſtrum loquendi modum hæc dicta eſſe, volo, ut cogitet Lector.

CCLXIV. Ante Pactum Pater habet relationem ad Filium ut Filium; Filius ad Patrem viciſſim ut talem; adeoque convenit, ut in ipſa tranſactione Patri hic primum locum demus, tanquam Filio illud pactum conditionesque ejus proponenti, Filiumque ad id invitanti. Hinc Pater *diſpoſuiſſe* dicitur *Filio regnum*. Luc: xxii. 29. Pater propoſuiſſe, & *elegiſſe in* Filio. Eph: 1. 4. Filius vero adſtipulatur Patri, ut qui dixerit, placere conditionem à Patre ſibi præſcriptam. *Facere voluntatem tuam Deus mi, volupe mihi eſt*. Pſ: xl. 9. Poſt pactum Pater induit σχέσιν Domi-

mini; Chriſtus vero fidelis ſervi, qui ſe mancipavit Patri ad præſtandam fœderis conditionem. Hinc Pater: *ecce Servus meus*; *Ego Dominus vocavi te*. Jeſ: XLII. 1. 6. *Dominus* à Filio agnoſcitur Pater. Pſ: XVI. 2. *merces mea eſt penes Dominum* Jeſ: XLIX. 4. Filius *Servus*. Jeſ: LIII. 1. *Servus meus David*. Ezech: XXXVII. 24, 25. *Servus meus germen*. Zach: III. 8. Ut talem repræſentavit ipſum ſervus Hebræus, Domino, & domui ejus, æternum obſtrictus, de quo Exod. XXI. 5, 6. ad quem ritum alludit ipſe D. Jeſus Pſ: XL. 7. & Apoſtolus Hebr: X. 5... David imprimis hac parte Chriſti pictura fuit, utpote quocum fœdus ſigillatim initum legimus, quique deinceps propterea κατ' ἐξοχὴν ſervus Dei dicitur. Pſ: LXXXIX. 4, 5. CXLIV. 10.

CCLXV. Tertio bonum, de quo contrahitur, diverſimode exprimitur. *Gaudium* Filio *propoſitum* memorat Apoſtolus. Hebr: XII. 2. Chriſtus, jam fere præſtita conditione, petit, ut *glorificetur* à Patre. Joh: XVII. 5. eſt glorificari die noviſſimo in omnibus credentibus 2 Theſſ: I. 12. eſſe *reſplendeſcentiam gloriæ Patris*. Hebr: I. 3. 6, 7, 8. *erigere tribus Jacob*, Jeſ: XLIX. Hebr. I. 3. fieri *lucem gentibus*. *Videre ſemen* Jeſ: LIII. 10, 11, 12. *Gentes habere hereditatem, & poſſeſſionem fines terræ*. Pſ: II. 8. Regnum, Paſtorale munus, Sacerdotium. Æternùm eſſe Eccleſiæ caput ſuper omnia Eph: I. 22. Pſ: VIII. 7. Id ipſi offert Pater, & ſuſcepta à Filio in ſe præſtatione conditionis requiſitæ, promittit Filio, Jeſ: LIII. 10, 11, 12. Gloria hæc prorſus divina eſt, nec minus Deum arguit nova, quam vetus; ſecunda, quam prima creatio. Eccleſia ad Patrem de Filio, *vitam petiit à te, dediſti ei*. Pſ: XXI. 5. *3. Bonum de quo contrahitur.*

CCLXVI. Quarto, quod ad conditionem attinet, ea alia eſſe non poteſt, quam, quæ requiritur, ut Pater in Filio per Spiritum S. decorè in ſalvando peccatore glorificetur. Eſt autem ea ἔνδειξις τῆς δικαιοσύνης, demonſtratio juſtitiæ Dei. Lex igitur fœderis, ſeu *præceptum* a Patre *datum Filio eſt*, ut *deponat vitam pro ovibus*. Joh: X. 18. *præceptum a Patre mihi datum eſt*; XII. 49. *Ubi poſuerit anima* *4. Conditio.*

ma redemtionis pretium, videbit ſemen. Jeſ: LIII. 10. Eſt voluntas Patris, hanc facit Filius. Voluntas autem Filii, qua ſe voluntati illi ultro obſtrinxit, eſt *voluntas, in qua ſanctificamur*. Hebr: x. 10.

5. Actus Fœderales. CCLXVII. Quinto: actus fœderales ex jam dictis eluceſcunt. Eſt à parte Patris. 1. Stipulatio, & 2. Promiſſio. A parte Filii: 3. Adſtipulatio & 4. Reſtipulatio; qua petit ea ad quæ danda & concedenda jam obſtrictus eſt Pater. Quod vocatur *merces*, *certe merces mea eſt magna apud Dominum* Jeſ: XLIX. 4. peculium λαὸς περιούσιος, גאלהם Pſ: CVI. 10. CVII. 2. Tit: II. 14. Hinc audet intercedere pro peccatore. Job: XXXIII. 24. & flagitare a Patre *Vitam* Pſ: XXI. 5. *gloriam* Joh: XVII. 4, 5. Quin, ipſe Pater agnoſcit, poſt præſtitam conditionem, jam jus habere *poſtulandi* hereditatem שאל ממני Pſ: II. 8. nobiſque fidem facit, ut quicquid petierimus in nomine ipſius, id adepturi ſimus Joh: 14: 13. 14. Luculenter totum hoc negotium, & compendioſè atque emphatice nobis deſcribitur Pſ: XVI. 2. quod, ut centena alia, ex Coccejo quoque didicit Witzius, qui magis candidus audiret, ſi non eos, per quos profecit, iis ipſis in locis, ubi eorum aravit vitulo, quæ ingrati nota eſt animi, atro carbone notaret.

CCLXVIII. Inſtar aliquod hic videat Lector. Placet homini Coccejii in hunc Pſalmum commentarius, ſed cenſuram meretur, quod colloquium hic dicat eſſe, Patrem inter & Filium. Titulus Pſalmi, quo מכתם *aureum* dicitur, materiæ innuit præſtantiam. Narrat quomodo ſe Jeſus patiens gerat erga Patrem, Pater viciſſim erga Filium, quem conſolatur, & cauſam ſuppeditat glorioſiſſimè gaudendi atque exultandi. Hæc materia eſt. Forma, colloquium. Sæpe introducuntur Pater & Filius invicem colloquentes. Pſ: XCI. CX. Jeſ: XLIX. 3, 4, 5, 6, 7. Primo igitur Filius, non fine lachrymis & gemitu in medio paſſionum clamat ad Patrem, *ſerva me*, eripe me, ut bene cedat id, quod in me ſuſcepi, opus ℣ſ. 1, 2. Reſpondet ipſum exaudiens

Pa-

Digitized by Google

Pater ℣ſ. 3. & 4. Exultat ad illud reſponſum Filius, ℣ſ. 5, 6, & ſeqq. Pluribus hac de re diſſeruimus in Tractatu vernaculo **Regtſinnige Leere**. Coccejii cogitata in ſummam redigit hiſce verbis Witzius L. II. Cap. II. §. 12. *Dixiſti ad Jehovam &c. Tu Fili hominis, agnoviſti, quod Jehovah ſit Dominus, eique obedientiam, ut ſervus addixiſti. Tu diligendo & obediendo usque ad mortem, (ad quam Te offers) Dominum me declaraſti, & perfecta obedientia me honoraſti. Quoad impetrationem fructus, bonum meum, hoc eſt, gratia mea, & bona inde dependentia, non eſt ſuper Te, hoc eſt, Tu es* τετελειωμένος *abſolutus ac perfectus Salvator. Quod erat ſuper Te, ſive, ad quod Tu ex ſponſione obligabaris, ut præſtares, quo bonum meum perveniret ad homines: id præſtitum eſt à Te.* Ἀπέχω נשאתי *Sic* על *debitionem ſignificat, paſſim in Hebræorum, etiam in divinis literis. Obtorto collo* ea huc *rapta*, dixerat §. 12. *dura & contorta* §. 13. Memini, me erudito Judæo hunc Pſalmum hac ratione explicare, qui mirabatur, & ſtupebat inſignia cogitata, fatebaturque nullibi me in regulas Grammaticas incurrere, nullum vocabulum alieno accipere ſenſu, ſed loqui ex hypotheſi Chriſtianorum, quam ipſe non admitteret, alioquin impenſè laudare ſe iſtam explicationem.

CCLXIX. Noſter hic obtorta, rapta, dura, contorta videt. Nempe magni herois latus hac parte apertum videbatur, eo telum vibrandum erat, ut ſauciari poſſe, ſi non vinci, videretur. Alioquin omitti hæc in iſtiuſmodi Syntagmate potuiſſent. Sic ferebant tempora.

CCLXX. Prima ratio petitio principii eſt, nimis *univerſus Pſalmus non habet ſpeciem dialogi, ſed unam perſonam repræſentat, continua oratione loquentem, quam D. Jeſum eſſe, gravibus argumentis Piſcator evincit.* Argumentis evincit Piſcator, Jeſum hic introduci loquentem, fateor, ſed ita introduci, ut ſolus in univerſo Pſalmo loquatur, & Patri loquenti locus non ſit; non probat Piſcator, multo minus gravibus argumentis id evincit. Imo vero

Pſalmi XVI. Explicatio vindicata.

vero, de iſtoc colloquio confutando ne per ſomnium quidem cogitavit. Sophiſticatur Witzius. Vide Piſcatorem, Davidem excludit, de Patre non cogitat. Nec quicquam decedit Piſcatoris explicationi, ſi colloquium concipiamus cum reliqua omnia & nos Chriſto tribuamus; quin & in hiſce quoque Chriſtum videmus, ſed quem alloquitur Pater: cuique a Patre anſa datur ita ſibi gratulandi ſortem ſuam.

CCLXXI. Implorat Patris auxilium Verſu primo. Orantis, ſortemque ſuam deplorantis, vox ſubito in vocem exultantis non ita commode verti videtur, ſi nihil, quam, ſi jucundum Patris reſponſum interjicias. Ut ipſa rei indoles pro nobis faciat, modo reliqua reſpondeant; & non reſpondent tantum, verum & majorem in ceteris emphaſin reperies, ſi formam colloquii conceperis.

CCLXXII. *Serva me*, inquit Chriſtus, *Deus fortis*: nam *in te confido*: Reſpondet Pater, *dixiſti Domino*, *Dominus meus es*. Dixiſti non verbis tantum, ſed ipſo facto, ſi unquam, nunc Domino dixiſti, *Dominus meus es*. Me tibi ab æterno obſtrinxi, quando Sponſionem in me recepi; tu me in mundum miſiſti ut ſervum tuum, Dominium tuum, à peccatore toties negatum, ego agnoſco, & celebro; patiens mortem, mortem crucis, evado ἔνδειξις tui legitimi non minus Dominii quam juſtitiæ.

CCLXXIII. Quid hiſce precibus convenientius reponi poteſt, quam, *dixiſti Jehova*, *Dominus meus es*: *bonum meum non ſuper te*, tu id jam impetraſti non amplius ſuper te jam eſt id merendi obligatio.

CCLXXIV. Et annon, qui loquitur Verſu primo in maſculino, ei reſpondetur Verſu ſecundo in fœminino? An generis mutatio anſam non dat de Perſonæ variatione cogitandi? Utique, niſi mihi omnis pariter Grammatices ac Critices cognitio exciderit. Annon ellipſin fingere tenetur Witzius, & vocabulum *anima* intrudere in textum, ut verba fluant? Quæ difficultas ſponte evaneſcit, ubi cogitaveris fœmininum in Chriſtum apprime quadrare, dum patitur, dum ut *Cerva Aurora* Pſ: XXII. 1. receptum quærit. Non licet eſſe

pro-

Digitized by Google

publicis. Dicunt, *nihil eſſe, quod nos faciat cogitare colloquium, niſi quia ita cogitare volumus*, & ſequiorem affectum ultro palpabit lector. Certè, non is erat Coccejus, neque, per Dei gratiam, nos ii ſumus, qui ſtercora erigimus in corde noſtro, quæ conſulamus, ut Deo obtrudamus id, quod ipſius non eſt; novimus verbum propheticum non eſſe ἰδίας ἐπιλύσεως. Ipſe id agit, dum vult, ut argumenti vires habeat ſui figmentum cerebri; quo dictat *univerſum Pſalmum non habere ſpeciem dialogi*. Quæ hæc ratiocinatio eſt? eſt poſitio illius, de quo diſceptatur. Taceo, aut minus accurate, aut nimis ſubdole dici, *univerſum Pſalmum non habere ſpeciem dialogi*. Neque enim ex noſtra ſententia aut ſingulis verſibus commutantur perſonæ loquentes, aut ubique dialogi veſtigia deprehendimus: ſufficit ſi alicubi. *Pſ. XVI. Explicatio vindicata.*

CCLXXV. *Ipſe Vir Doctus ita loquitur.* Poteſt certè hæc oratio Filio attribui: *Ergo, inquam ego, fieri certo poteſt, ut hæc oratio non poſſit continere approbationem Patris acquieſcentis in obedientia Filii. Si enim Filius animam ſuam alloquatur, qua Jehova dixit*, Tu es Dominus; & bonum meum non eſt ſuper Te, *utique* Filius *hoc* Patri *locutus eſt*, *non* Pater Filio. ℞. Poteſt ex ſententia Cocceji Filio tribui, nimirum ſic in ſe conſiderata Oratio verſ. 2, 3, 4. Sed omnibus circumſtantiis examinatis, niſi ἐνέργειαν minuas, minusque concinnè ſubjicias verſ. 5. non poteſt: ut contrarium ſequatur illius, quod hinc extundit Witzius. Nim. non poteſt hæc oratio non continere approbationem Patris. Quod enim in ſe accipi poteſt aliquo ſenſu, quem incumſtantiæ, aut ἐνέργεια, aut alia interpreti probe obſervanda reſpuunt, illud eo ſenſu iſtic loci accipi non poteſt. Atqui ita hic iſta verba accipi poſſunt & non poſſunt.

CCLXXVI. At quæ ſequuntur: Dixiſti, Dominus es, noſtro *nimis tenuia ſunt, quam ut approbationem perfectiſſimæ obedientiæ Filii, & acquieſcentiam Patris in ea, exprimant*. Mira argutia. Quando Chriſtus profert unicum illud verbum τετέλεσται, an non ſignificat *conſummatum* jam eſſe omne, quo impetranda peccatori ſalus erat,

Explicatio Pſalmi xvi. vindicata.

redemtionis opus? vel an nihil [illegible]
vocabulum, quam ut tanta exprimat? Quando Pater Fi-
lium *ſervum* dicit ſuum, an non omne redemtionis opus in
ſe ſuſceptum a Filio Pater agnoſcit; quando Filius dicens
Tu es Dominus, id dicit, quod Patri reſpondet, qui ſe ſervum ap-
pellanti? Vel, an ſervus omnia complectitur, & Deum
Patrem viciſſim Dominum dicere, nimia erit [illegible]? Chri-
ſtum Dominum dicere, obſecro, quid vult Apoſtolo? nonne
ne id omne agere, quod Chriſtianum decet? Vel an [illegible]
nue erit, quam ut tanta complectatur? tanta [illegible], quæ
non niſi per Spiritum dici poſſunt, ſi Apoſtolo [illegible]
Annon omnis Chriſti obedientia hoc vocabulo denotari
potuit? Et, quando Chriſtus confertur hæc ſibi, ſeu animæ
ſuæ dixiſſe, an non erit ſua, id eſt, conſummatæ obedientiæ
ſibi facta gratulatio? An nimis igitur [illegible] erit [illegible], ubi
a Patre Filium alloquente uſurpabitur, vocabulum? Et quod
Filius ſibi dixit, ô anima mea tu dixiſti Jehovæ *Domi-
nus tu*, annon profitetur bonum ſuum jam redundaturum
in credentes? An non hujus fiduciæ conſummata obedien-
tia fundamentum eſt? Piget prolixius hiſce inhærere. Vi-
deat auctor, ne, dum fratrem temere carpit, cenſuram in
ipſum ſtringat Spiritum S. in Scripturis [illegible] ſæ-
pe, ſimul & breviſſime loquentem.

CCLXXVII. Ego ſaltem, poſtquam locum hunc toties
totiesque examinavi, dicere haud vereor, *nihil poſſe quenquam
comminiſci ad ſenſum illum in iſtis* circumſtantiis *indican-
dum commodius & ſapientius*, quod alibi requirere Cocce-
jum falſe hic notat Witſius. Eodem animo, ne forte hic ho-
nor Coccejo daretur, quod particulam על debitionis etiam
ſignificatu venire primus notaſſet, deinceps monet, *De Dieu
id pridem ex Hebræorum & Arabum quoque ſcriptis obſer-
vaſſe ad* Gen. xvi. 5. Certe non tanti iſthæc res eſt, ipſe Coc-
cejus Kimchium autorem memorat, idemque [illegible]
que De Dieu ſc. & Coccejum Schindlerus vidit, forte & alii
Lexicographi, quos conſulere [illegible] diligentia.

CCLXXVIII. *Non videtur ea ſignificatio huic loco*

com-

[illegible] videtur. Witzii rationem *Explicati-*
audiamus. *Neque enim bonitatem Dei, id eſt, gratiam & bo-* *tio Pſ. XVI.*
na inde dependentia, Chriſtus Deo debebat. At neque gratiam *vindicata.*
Dei etiam credentibus *propriè* debebat. Debebat Deo λύτρον,
debebat Deo [illegible] ſolutionem illius atque oblationem in
ſe ſuſceperat. Quid ni autem, cum ſacrificia cibus, altare
menſa, vinum libatum potus Deum exhilarans, dicantur
Lev: xxi. 6, 8. Mal: i. 12. Jud: ix. 13. quid ni Deus umbra-
rum illarum corpus, in quo ipſi voluptas eſt & deliciæ Pſ:
xl. 7. Matt: iii. 17. bonum appellet ſuum? Id ſane, ſine
quo ſi fuiſſet, Deus eſſe non potuiſſet; aut non eſſe pec-
catoris Deus: quid ni inquam, hoc Dei *bonum* audiat?
Id erat *ſuper* Chriſtum, id ipſi præſtandum incumbebat.
Quod minus mirum viſum fuiſſet Witzio, ſi uſum particu-
læ על paulo examinaſſet accuratius; quippe non debi-
tionem illius rei, quæ ſuper aliquo eſſe dicitur, tantum,
ſed obligationem illius rei qualicunque modo curandæ in
genere quoque ſignificat. Sic 1 Reg: iv. 7. per men-
ſem quotannis erat unicuique, על אחד *ſu-
per unum*: quidnam? לכלכל *ad ſuſtentandum*, ſuſten-
tare *regem*. An igitur ſuſtentationis proprie debitor erat?
ſuo præſtandæ ſumtu? minime, noſtri habent verſorgen
rectè. Certe iſti præfecti non debebant ea, quibus rex ſu-
ſtentabatur, ſed curare iſta tenebantur. Saltem curam ge-
rere boni Dei, nim. ut id convenienter divinæ juſtitiæ aliis
obtingeret, ſuper Chriſto fuerat, jam autem per paſſiones
conſummato, ea impetrandi cura ceſſabat, atque ita appo-
ſitè dicit Pater Filio בל עליך טבתי non ſuper te, ſed,
alia conſtructione, לקדשים *ſanctis*. Ezr: x. 4. עליך הדבר
ſuper te res illa, Syrus, *tibi enim incumbit hoc*: adde Ezr: x. 12.
Num: viii. 9. Neh: xiii. 13. עליהם לחלק לאחיהם
& *ſuper iis dividere fratribus ſuis*. V. V. *ipſis credita ſunt
partes fratrum ſuorum eo dividere*, ſeu, ut habent LXX.
μερίζειν *diſtribuere*. Sic 1 Chron: ix. 27. עליהם משמרת
ſuper eos cuſtodia LXX. ἐπ' αὐτοὺς ἡ φυλακή, 2 Chron: ii. 4.
[illegible] על ישראל לעולם [illegible] εἰς τὸν αἰῶνα τοῦτο ἐπὶ τὸν

Explicatio Pſ: XVI. vindicata. le egni LXX. Arabs., *huic præcepto tenentur omnes* [illegible] ſignis locus eſt Jud: XIX. 20. כל מחסורך עלי *omnis defectus ſuper me*. V. V. *ego præbebo omnia, quæ neceſſaria. Mihi cura eſt*. Sane curæ fuit Chriſto Dei bonum, ut ſc. Deum paſſione glorificaret, ejusque bono in ſanctos derivando viam pararet. Quid ni igitur, paſſionibus jam exantlatis, dicat Pater, bonum meum ſeu boni mei cura tibi non eſt jam amplius?

CCLXXIX. Vel alium ſenſum ſi velis ſimplicem & planum: *bonum meum*, gloria, quam jam tibi debeo, *non ſuper te*, tu eo non ita obſtringeris ad gratiarum actionem, nulla enim major eſſe poteſt gloria, quam ea eſt quam tu habueras apud me antequam mundus eſſet. Obedivisti mihi, & præmium non tam ſuper te, quam ſanctos. Hoc ſenſu Eccleſia. Pſ: CXVI. 12. כל תגמולוהי עלי *omnes retributiones ejus ſuper me*, ego pro iis ad gratias habendas obſtrictus ſum. Conf. Prov: VII. 14.

CCLXXX. Alium ſuggerit locus 2 Sam: XVIII. 11. Coll. Ezech: XLV. 7. Erat *ſuper Joabo dare decem argenteos*, Num: VII. 9. Gen: XVI. 5. ea poteſtas ſi aliis concederetur, dici poſſet, non eſt *ſuper* Joabo dare decem argenteos. Fuerit ſuper Chriſto, miniſterio in terris fungente, bonum Dei annunciare, diſtribuere, id poſt ſolutum redemtionis pretium jam non ipſius eſt qui in gloriam evectus eſt, ſed ſuper *ſanctis & primoribus* ſc. Apoſtolis.

CCLXXXI. Quin & pars ſeu portio, quæ alicui obtingit; dicitur eſſe *ſuper eo*. Ezech: XLV. 7. Sic *bonum Dei* jam non Chriſti portio erat, ſolius nimirum, ſed Sanctis quoque communicanda.

CCLXXXII. Imo res vindicanda dicitur eſſe *ſuper aliquem*. Gen: XVI. 5. vindicanda erat a Chriſto ſanctis, at jam vindicata dici poterat, non eſt amplius *ſuper te*. Vides, & debitionis eſſe, & qualiſcunque curæ particulam על ut fruſtra urgeas arctum illum ſignificatum, quo Chriſtus debuiſſet Deo bonitatem Dei, & quæ præterea ſophiſticaris. Non una ratione Patrem [illegible] Filii recipientem, &

pro-

probantem, dicere potuiſſe עליך מטבתי idque abſque ulla contorſione ipſe, ſpero, jam videbis. Id velim, ne dubites me hac quoque explicatione in regulis, quas ex Coccejo allegas §. XLII. abunde feciſſe ſatis. *Explicatio Pſ. XVI. vindicata.*

CCLXXXIII. *Alium ſenſum ex Pſalmo elici poſſe qui nihil duri, nil contorti habeat*, & parem emphaſin, & ita reſpondeat omnibus circumſtantiis, id eſt, quod negamus. Quin imo ipſa phraſis Hebræa repugnat Witzianæ paraphraſi, quis enim, idem dicturus de eodem, particulis ita utatur diverſis. על & ל non *ſuper* ipſo, quemadmodum *ſuper ſanctis*, quid ni על utrobique? Nonne majorem hic emphaſin reperit, qui diverſis diverſa, quam qui idem diverſis ſignificari contendit? Locuples ſenſus eſt, & ita congruus ut ſe ſponte prodat. Bonum illud meum, quod tibi impetrandum & curandum erat, impetraſti & curaſti, ut jam dari poſſit ſanctis. Res meo judicio ita perſpicua eſt, ita dives, ita ſuavis, ita cordi jucunda, ut ſincere doleam eorum vices, qui in hanc, ſimileſque S. explicationes ita inſurgunt, illiuſque occaſione perſtringunt eum, cujus ſcriptis tantum debent, quantum Witzius.

CCLXXXIV. Nec parum nos confirmat, quod & alibi, ubi hac de re, aut ejus executione agitur, iſtiusmodi Patrem inter & Filium colloquia occurrant. Jeſ: XLIX. 3. *Et dixit mihi, ſervus meus tu es, Iſrael, in quo condecorabor. Atqui ego dixeram:* vides, Filium narrare quæ Pater ipſi, & viciſſim ipſe Patri dixerat, *in vanum laboravi, & nunc ait Jehovah* Pater *qui formavit ab utero ſervum ſibi, ad reducendum Jacobum ad ſe, dixit*, inquam, *leve eſt, præ ut ſis mihi ſervus, erigere tribus Jacobi, & retentos Iſraelis reducere. Et dabo te in lucem gentium*, *ut fiat*, ſeu perveniat *ſalus mea ad finem terræ*, adde 7, 8, 9.

CCLXXXV. Nec omittendus eſt Pſalmus ſecundus in quo, licet proprie dialogus non occurrat, drama tamen reperitur, & diverſi, de hoc argumento, loquentes introducuntur Pater verſu 6. & Filius 7. &c.

Digitized by Google

Relatio Patris ad Filium ex Pſ. II.

CCLXXXVI. Ad locum hunce illuſtrandum ju-
bet exſcribere verba Jacobi Altingii. *Ad Decretum reci-*
tabo. Non eſt idem, qui modo loquebatur verſu 6.
,, nam hunc a ſe diſtinguit. Sed eſt ipſe Unctus, rex
,, Zionis, alter ille, quem conjurati hoſtes petebant,
,, imo qui proximum fuit furoris ipſorum objectum.
,, Ceterum non maledicit hoſtibus, non vociferatur
,, aut litigat cum ipſis. Jeſ: XLII. 2. 1 Petr: II. 23. imo ne
,, quidem autoritative loquitur, ut Pater, ceu qui ſibi ſu-
,, mat iſtum honorem, ſed ut eſt Joh: V. 30. VII. 16. VIII.
,, 50. 26. Sic ergo hic agit, Recitabo חק אל decretum.
,, (אל pro את ut Jer: X. 2.) vel decreto, (אל pro על ut
,, 1 Sam: I. 23. Decretum autem vocat fœdus illud, quod
,, Deus Pater cum ipſo iniit. Sic חק & ברית & שבועה
,, Synonyma ſunt, Pſ: CV. 8. 9. 10. illud conditiones ac ha-
,, bitas denotat, quæ leges ſunt; iſtud electionem earum
,, liberam; hoc confirmationem ſuperadditam. Etenim
,, conſilium Pacis eſt inter ambos illos, inter Dominum &
,, Germen Meſſiam. Vocatur pactum æternum. Hebr:
,, XIII. 20. & Joh: XVII. 1. 2. de eo clare loquitur. Hoc de-
,, cretum fœderale commemorat, unde tota ratio ſui mu-
,, neris diſci poterat, utpote cum inviolabile ſit ſtatutum
,, immutabilitas conſilii divini, qui alio immutabili, jus-
,, jurando firmata eſt. Hebr: VI. 16. Nam Pſ: CX. 4. Fœ-
,, dus enim iſtud, non minus Sacerdotem fecit Chriſtum
,, ſanguine ſuo expiaturum pro ovibus ſuis, quam Regem,
,, Paſtorem ovium glorioſum. Hebr: XIII. 20. Zach: VI.
,, 13. Seſſurus & dominaturus in ſolio ſuo, eritque Sacer-
,, dos in ſolio ſuo, & conſilium pacis erit inter utroque.
,, Sed ut intelligatur decreti fœderalis ratio, refert Perſo-
,, nas, quas inter fœdus ſit initum. Dominus dixit ad me.
,, Ab una parte eſt Dominus, ab altera unctus ejus, qui
,, à Domino vocatur Filius meus, & verſ. 12. Filius
,, abſolute. Sunt proinde duæ Perſonæ, alius & alius, & una
,, Pater, altera Filius. Non ingredimur nunc illam
,, materiam; de perſonarum divinarum diſtinctio-

ne,

חק

,, ne, [illegible] ſed tantum alia quæ huc fa-
,, ciunt.

De Pacto Patrem inter & Filium.

,, CCLXXXVII. Partes contrahentes non fuiſſe diſſi-
,, dentes, ſed amiciſſimas. Nam hoc non eſt de eſſentia
,, fœderis, ut ſit reconciliationis; ſic quidem hoſtilitas præ-
,, ſupponitur: Verum dantur etiam fœdera amicitiæ, ut Jo-
,, nathanis & Davidis, ut conjugum. Mal: II. 14. Ita hic
,, Pater amat Filium Joh: III. 35. eſt Filius amoris ejus. Col:
,, I. 13. in ſinu Patris Joh: I. 18. & Filius diligit Patrem.
,, Joh: XIV. 31. Hinc Eſaiæ XLII. 1. & cap. LIII. 10. & Matth:
,, III. 17. cap. XVII. 5. Equidem vocatur conſilium Pacis in-
,, ter ipſos. Zach: VI. 13. non quod ſic pax inter ipſos confe-
,, cta ſit, ſed quia de pace agit conficienda inter Deum
,, & homines, ut Deus his fieret Deus pacis. Hebr. XIII.
,, 20. cum fuiſſent hoſtes Col: I. 20. 21. Hinc vero liquet
,, amorem utrinque fuiſſe cauſam fœderis, amorem non
,, tantum mutuum, ut ideo, vellent, ſed etiam erga mi-
,, ſeros homines, de quibus ſalvandis agebatur. Amor Pa-
,, tris. Joh: III. 16. 1 Joh: IV. 9. 10. Filii. Epheſ: V. 2.
,, Gal: II. 20. Patrem eſſe autorem conſiliorum omnium,
,, ipſe ut principium eſt Deitatis, qui Filio & Spiritui S. de-
,, dit vitam habere in ſe ipſis Joh: V. 26. Sic quoque om-
,, nium actionum externarum, quæ conſilia Dei definiunt
,, Joh: V. 19. Amen Amen dico vobis, Filius a ſe ipſo nihil
,, poteſt facere niſi viderit Patrem operantem, nam quic-
,, quid hic facit, Filius pariter ſic facit. Pater amat Filium
,, & oſtendit ei omnia, quæ facit. Hinc Pater eſt, qui lo-
,, quitur Gen: I. 26. cap. III. 22. cap. XI. 7. Eſai: VI. 8.
,, quem mittam & *quis ibit nobis?*

CCLXXXVIII. Nec omittendus eſt locus, qui occur-
rit Pſ: XL. in quo Filius pollicetur ſe jam incarnatum ea
præſtiturum, ad quæ præſtanda ſeſe ab omni æternitate
obſtrinxerat. 7--12.

CCLXXXIX. Abs re non erit ſi & hic de eo contra-
ctu cogitemus, quo, ſtipulato pretio, nos emiſſe paſſim dici-
tur Chriſtus Dominus 1 Cor: VI. 20. quod utique fieri

non

De Pacto Patris cum Filio.

non potuit, abſque prævia conventione Patrem inter & Filium. Atque ita idem myſterium ſub diverſa ſpecie nobis ob oculos ponitur.

CCXC. Solennia hic quædam adhiberi haud potuere, Scriptura tamen adſeverat, quod jusjurandum intercesſerit. Videte obſecro divinam *συγκατάβασιν*. Juraſſe dicitur Deus Pater Filio, Filius viciſſim Patri, ut peccatori ſalutaris perſuadeat doctrinæ veritatem. Sic Pſalmo cx. 4. *Juravit Jehova non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum juxta ordinem Melchizedek.* Non jurat autem, niſi per ſe. Hebr. VII. 21. & ſignatè per Sanctitatem ſuam, Pſ. LXXXIX. 36. Nimirum, ut ne quid de immutabilitate divini conſilii dubium oriatur, ſe, perfectiones ſuas, ſignatè ſanctitatem ſuam quaſi interponit; adeo ut, quemadmodum fieri non poteſt, ut Deus non ſit perfectus, imo ne ſanctus quidem, ita & fieri non poſſit, ut non præſtet Filio ea de quibus cum ipſo inivit fœdus. Hinc & אלהים ratione Filii, & Filius ipſum eo vocabulo compellans, ad hoc jusjurandum paſſim provocaſſe nobis quidem videtur.

6. Conditionis in pacto promiſſæ præſtatio.

CCXCI. Quod ad Sextum, conditionis nimirum à Sponſore promiſſæ præſtationem attinet, ea, ut revera facta eſt, quando ſe exinanivit Chriſtus ad mortem uſque crucis, qua de re, Deo volente, ſuo loco, ubi ad executionem propoſiti divini pervenerim: ſic etiam non præſtari non potuit. Chriſtum enim *hanc Sponſionem deſerere potuiſſe* temeraria Remonſtrantium adſertio eſt. Multis id & ſolidè probavit Coccejus de Fœd. cap. V. §. 96. ſuccinctè argumenta, & perſpicue proponit Amiciſſimus Braunius In Doctrina Fœder. Vol. I. Part. III. Cap. V. §. 27.

CCXCII. Vidimus igitur. Sponſionis 1. Naturam & indolem. 2. Perſonam ei idoneam. 3. Modum & rationem, qua in ea verſatus eſt Filius Dei, Reliquum eſt, ut 4. videamus, quando illam ſponſionem ſpoponderit Dei Filius. 5. quis fuerit illius valor, & quæ virtus. Tandem 6. quare ſignatè Novi Teſtamenti Sponſor audiat.

CCXCIII.

Digitized by Google

IV. *Quando ſpoponderit Filius Dei.*

CCXCIV. Æternum illud conſilium eſſe & propoſitum, de quo loquimur, nemini poteſt eſſe dubium: modo omnia, quæ in tempore fiunt, conſideret, tanquam executionem hujus propoſiti ſeu decreti. Hinc Chriſtus *præcognitus* dicitur *ante jacta mundi fundamenta.* 1. Petr. 1. 20. unctus *ante ſecula.* Prov. VIII. 23. Quin & nos *electi in ipſo ante jacta mundi fundamenta.* Eph: 1. 4. Verum de æternitate propoſiti, & decreti divini, adeoque & hujus pacti ſatis ſuperque actum eſt. §. LXXXI. & ſeq. hujus Cap.

Zach. VI. 13. *Explicatur.*

CCXCV. Neque huic ſententiæ repugnant verba Zachariæ Cap. VI. 13. ubi pactum & conſilium hoc futurum dicit inter ambos, Patrem nim. & Germen Jehovæ. Audire lubet Altingium hac de re diſſerentem. „ *Et erit* „ *Conſilium pacis inter ambos, duos.* De quorum verborum „ ſenſu primum deſpiciendum eſt. Judæi qui alium Regem, „ alium Sacerdotem agnoſcunt, Zorobabelem, & Joſuam: „ Meſſiam & coætaneum Pontificem, de mutua eorum con„ cordia dici rentur. Ut nulla invidia ipſis intercedat, aut „ inimicitia. Sed jam oſtenſum eſt, non de duabus, ſed de „ una perſona, *Sacerdote pariter & Rege* eſſe ſermonem. Alii „ ergo de duobus muneribus intelligunt, Regno, & Sacer„ dotio, in Chriſti Perſona ſociandis. Verum non video, qui „ de muneribus iſtis dici queat: *Conſilium pacis fore inter* „ *duos illos*: quicquid enim de pace dicatur, id eſt, con„ junctione, tamen pacis conſilium nequit convenire mu„ neribus, in quæ non cadit deliberatio. Itaque alii acci„ piunt de Judæis Hieroſolymitanis & Babyloniis: quod „ conſilium pacis ſit inter eos futurum, ut à ſe invicem „ non abhorreant, quemadmodum poſt illa concordes fue„ runt, Hieroſolymitanis Babylonios non contemnentibus, „ ſed maximi æſtimantibus, ut ab iis doctrinam ſervatam ar„ bitrarentur, & Doctores acciperent. Sed hoc dicitur ỿſu 15. „ Sed ut ſub uno Meſſia tranquillam agant vitam. Sed „ nexus cum proximis non fert eam expoſitionem. Qui „ poſcit, ut perſonæ diſtinctæ commemoratæ in hoc ipſo „ vaticinio deſignentur. Illæ ſunt Meſſias ædificaturus tem-

Zach. VI. 13. *Explicatur.*

„plum Domini, & Dominus, cujus templum eſt, quod æ-
„dificabit; Et cujus eſt thronus, in quo Meſſias rex &
„Sacerdos ſeſſurus eſt. Hieronymus refert intellectum hoc
„membrum fuiſſe de Patre & Filio, inter ſe conſilium
„pacis agitantibus. Conſilium inter Perſonas Deitatis in-
„ſtitutum eſſe Scriptura teſtatur, de creatione hominis
„Gen. I: 26. De regimine mundi, ad diſpergendos ho-
„mines cap. XI: 7. Sed hoc inter duos heic deſcriptos,
„Proinde Perſonæ heic ſunt Dominus Deus Pater & Meſ-
„ſias, Filius Dei, Θεάνθρωπος, Rex, & Sacerdos glo-
„rificatus in Throno Dei Patris. Hos duos inter non
„conſit pax; nunquam diviſi fuere aut hoſtes. Filius ſem-
„per facit, quod placitum eſt Patri. Joh. VIII. 29. qui de
„cœlo deſcendit, ut illius unius faceret voluntatem. cap.
„VI. 38. &c. qui amat Patrem, & ejus teſtandi ergo
„adiit extrema omnia. Joh. XIV. 31. petens, non ut ſua,
„ſed Patris, fieret voluntas. Matth. XXVI. ponens ani-
„mam ex ejus mandato. Joh. X. 15. obediens uſque ad
„mortem crucis. Philipp. II. 8. Sed inter eos eſt *conſilium*
„*pacis*, agitur de pace conficienda iis, qui, hoſtes facti, re-
„conciliandi erant, & in ea reconciliatione conſervandi.
„Hoc conſilium Pacis habet fœdus, quod intercedit Pa-
„tri cum Filio Mediatore, unde utrumque illud munus
„Regium, & Sacerdotale ortum habet: quo utroque alias
„fuiſſet cariturus. Fruiturus autem regno Providentiæ, quod
„cum Patre, & Spiritu S. commune habet. Etenim quod
„agitur, eſt pax conficienda, quæ perierat inter Deum &
„homines, his per inobedientiam deficientibus, & Dia-
„bolo hoſti Dei, quo victi erant, conjunctis & ſubjectis.
„Modus eſt conficiendi conſilii, inveniendis & definien-
„tis media, per quæ confieret, ſalvo jure & veritate
„Dei, à quibus peccantibus hominibus mors ſtatuta erat
„in pœnam. Media illa continentur fœdere illo, inter
„Patrem & Filium Mediatorem conſtituto, habent con-
„ditiones mutuum præſtandas, ut pax propoſita ſequere-
„tur. Ad eam duo requirebantur, quorum neutrum ho-
„mini-

„ minibus poterat poſſibile eſſe, ut fruerentur, iis defuncti, Zach. VI.
„ pace iſta. Satisfaciendum erat Dei juſtitiæ & veritati to- 13. *Explicatur.*
„ lerata morte: Hanc ſubire quidem debebant peccatores,
„ ſed ſuperare non valebant, æternum ſub ea detinendi
„ 2 Theſſ. 1: 19. Vincendus erat Diabolus, & exeundum
„ ex ejus poteſtate. Neque hoc poterant, qui ſemel victi
„ & impotentes facti, fortem illum ſemper herum erant
„ habituri. Luc. XI. 21. Utrumque præſtandum ſuſcepit
„ Meſſias; ut pretioſo ſuo ſanguine pro peccatis ſuorum
„ plene exſolveret, & ut eos ab omni poteſtate Diaboli
„ liberaret (quod Catecheſis bis dicit quæſt. 1. & 34.)
„ quo fine factus eſt I. Sacerdos, qui hoſtiam proprii cor-
„ poris offerret, & animam daret lytrum, tolerata debi-
„ ta peccatoribus pœna, ad ſatisfaciendum juſtitiæ & ve-
„ ritati Dei; quam ſolutionem præſtitit, & per interceſſio-
„ nem jugiter repræſentat, ejuſque vi pacem & reconcilia-
„ tionem ſuis obtinet; II. Rex, qui ſuo robore fortem
„ illum devicit, captivitatemque ejus captivam duxit, &
„ eos, quos illi ademit, liberatos ſua ſapientia, & poten-
„ tia, gubernat, & defendit, ut nunquam excidant pace
„ procurata, ſed ea fruantur in æternum. Hoc eſt *con-*
„ *ſilium pacis, inter duos illos*, de quo agitur Pſalm. II: 6.
„ Meſſias declaratur à Deo Rex Zionis, & mox Meſſias
„ regnum ſuum fundat in conſilio iſto pacis. *Enarrabo*
„ *decretum* (fœderale. Pſalm. CV. 9. 10.) *Dominus*
„ *dixit ad me: Filius meus es Tu. &c.* Conſilium eſt; ubi
„ compellatio Filii, & conditionum propoſitio, quibus
„ jubetur petere, & offertur regnum latiſſimum, poten-
„ tiſſimum, & ſalutiferum, ſed idem conſilium etiam Sa-
„ cerdotium definivit. Pſ. CX. 1. 4. Compellatio ſimilis,
„ ſed ubi Rex & Sacerdos declaratur jurejurando, quod
„ fœderale quoque eſt. Pſ. CV. 9. 10. Pleniſſime autem
„ extat; Hebr. XIII. 20. Deus Pater diſtinctus à Jeſu
„ Chriſto, dicitur Deus pacis, qui placatus eſt placa-
„ mento accepto, is Jeſum Chriſtum D. N. conſtituit
„ magnum paſtorem ovium, qui boni Paſtoris inſtar ani-

,, mam poneret pro ovibus ſuis; & eo modo acquiſitas
,, regeret, & defenderet, daretque eis vitam æternam, &
,, eundem per ſanguinem, quando lytron exſolvit, ani-
,, mamque effudit in mortem; reduxit ex mortuis, ſatis-
,, factione accepta. Hebr: 11. 9. 10. idque vi pacti æterni:
,, quod ab æterno cum illo iniit. Cujus iſtæ, quas dixi,
,, conditiones ſunt partim onerosæ, partim honorificæ.
,, Onerosæ, quod per ſanguinem, anima pro ovibus po-
,, ſita, deberet acquirere oves paſcendas: honorificæ, quod
,, hoc facto, eſſet excitandus ex mortuis, conſtituendus
,, magnus Paſtor, qui pacem ovibus apud Deum paratam
,, eis ſervaret, atque oves contra omnem potentiam invi-
,, ctus tueretur.

CCXCVI. Ab æterno autem de iis in conſilio SacroSanctæ Trinitatis transactum eſſe, nemini dubium eſſe poteſt, niſi qui ignoret, Deo omnia *opera ſua ab æterno nota* eſſe. Act: xv. 18. aut non legerit, primum, quod in tempore factum, ita effici, ut, ex mutua illa adhortatione, appareat, jam dudum hac de re decretum condidiſſe Deum.

V. Sponſionis Valor & Virtus.

CCXCVII. Multum in eo ſitum eſt, ut, quod Quinto Loco nos pertractaturos diximus, Sponſionis illius valorem & virtutem atque adeo effecta probe intelligamus. Ratio hic habenda erit Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti, deinde univerſæ creaturæ, porro ſigillatim hominis Peccatoris electi, quin & bonorum Angelorum, imo Reproborum imo ipſorum Diabolorum. Re enim attento animo examinata, ea ſe produnt, quæ flagitat ut illorum omnium hoc quoque loco ratio habeatur.

1. Rat. Dei.

CCXCVIII. 1. Deus; peculiarem enim Patris, Filii, & Sp. Sancti rationem hic non habemus, Deus, inquam, ſapienter jam, juſteque, capere potuit conſilium, quod apud ſe concepiſſe, & verbum ejus, & eventus teſtantur. Adeo, ut, quam quærebamus §. ccxxv. & ſeq., viarum Dei omnium jam conſtet juſtitia. Non quod Deus ullam mutationem ſubiverit, ac ſi, quâ antea carebat, addita jam ipſi ſit tale decretum faciendi

cien-

ciendi facultas. Neceſſe utique non eſt, ut identidem moneamus, nos ſancta & modeſta ratiocinatione indagare modum, quo viarum Dei ea pars, quæ propoſitum continet, Deo convenientiſſime concipi a nobis queat. Quem reperiſſe videmur, poſtquam ex Verbo Dei vidimus Sponſionis & Pacti inſtar, de quibus jam diſſeruimus. Hiſce enim bene perceptis, nihil reliquum eſt, quod nobis dubiam reddere queat, Dei, iſtiuſmodi, ac ante vidimus, Conſilium capientis ſapientiam & juſtitiam: quippe Θεοπρεπὲς jam ab omni parte id univerſum apparet, quod de Dei propoſito dictum nobis eſt in præcedentibus a §. CXLIII. ad §. CL. Ichnogr. Atque ita conſideramus hanc Sponſionem, hoc pactum, tanquam quo concepto propoſiti divini ſapientia conſtet, & æquitas, & omnimoda Θεοπρέπεια. Sancta omnia, omnia juſta ſunt, & Deum prodentia perfectiſſimum, ubi captum, non ſine illa Sponſione, non ſine illo pacto, cogitaveris æternum conſilium. *Sponſionis Valor & Virtus.*

CCXCIX. Sigillatim autem de ſingulis perſonis quoque dicenda ſunt nonnulla, quæ huc faciant. *2. Ratione ſingularum Perſonarum.*

CCC. Jam Pater ut Judex tenetur, liceat ita loqui, differre eorum pœnas, qui heredes vocati ſunt, & ſcripti in æterno Teſtamento. Sponſore enim ſemel admiſſo, pœna decerni in reum non poteſt ante diem, quo ex pacto ſiſtere ſe debet Sponſor. Decet Deum ad id uſque tempus ἀνοχὴ, & ſilentium. Pſ: L. 21. Rom: III. 25. Potuit tamen ut judex, & violatæ vindex legis ſanctiſſimæ, exprobrare peccatori peccatum nondum abolitum aut allatam juſtitiam, pœnas tamen peccato commeritas, ob ſponſionem, infligere non potuit. Sub reatu nihilominus manent, ut, licet damnari, tamen & abſolvi, ante dictum diem, & præſtitam ſolutionem, non potuerint. *α. Patris.*

CCCI. Quin imo, cum Sponſor eſſet fidei fallere prorſus neſcius, Pater in gloriam admittere potuit, & revera admiſit, pro quibus Filius ſpoponderat, Hebr: II. 10.

CCCII. Filio quoque jam committi potuit, & debuit omnis divini propoſiti executio. Ut, & loqueretur, & age- *β. Filii.*

Sponſionis Valor & Virtus, ratione Filii.

ret אל חק/ juxta id, quod decretum erat. Redemtionis opus, & glorioſa miſericordiæ divinæ manifeſtatio, quæ Sponſor in ſe ſuſceperat, omnium in tempore futurorum finis erat. Omnium igitur cum illis nexus eſt & ſubordinatio, ut hæc perfici ab eo non poſſint, cui non & cætera committantur. Certe protegere electos non poteſt, niſi & compeſcere poſſit reprobos. Imo opus gratiæ conficere illius demum eſt, qui ejus, quod naturæ dicitur, & auctor, & gubernator eſt. Hinc, ut tabernaculi fabrica in Monte Moſi redemtori *typico*, ita haud ſecus ab omni æternitate Eccleſiæ, eique unice inſervientis rerum univerſitatis creatio, & cura omnis, Filio commiſſa videtur. Opus, tum creationis, tum providentiæ, non recte percipi, niſi nobis ut executio æterni Teſtamenti gratiæ obverſetur, & Chriſto Sponſori aſſeratur, ſuo loco docebitur. *Per ipſum ſecula condita* Hebr: I. 2. *beneplacitum Domini univerſum ſui in ipſius manu proſperabitur*. Jeſ: LIII. 10. Ipſe eſt *principium viarum Dei*. Prov: VIII. 22. Nimirum *quicquid agit Pater, idem & agit Filius*. Joh: V. 19.

CCCIII. Filii igitur fuit, omnia ex nihilo ſiſtere, ita dirigere ac gubernare, ut confectam regni illius aliquando, & conſummatam molem, offerat Patri. 1 Cor: XV. 24. & 28. & æternum reportet bene & ex condicto affabre confecti operis honorem, & pretium.

CCCIV. Hinc ita creare oportuit, ut prima alterius creationis typum referret ratione non una. Ita homines condere, ut unus veluti caput membra, ſic omnem ſibi ſubordinatam teneret, & in ſe quaſi complecteretur poſteritatem. Ita creare, ut peccatum in mundum ingredi poſſet. Ita regere, ut libere licet, certo tamen, ratione eventus, peccatum à creatura cogitante committeretur.

CCCV. Porro jus habuit ſuis ſe ut Sponſorem conſpiciendum exhibendi, eoſque per fidem introducendi in gloriam. Hinc jam tum audiit Angelus aſſertor, interpres, facies Dei, in qua ſalus, Angelus fœderis, Angelus facierum, Jehovah &c.

CCCVI.

Digitized by Google

CCCVI. Obſtrictus autem fuit, ut homo fieret, ex hominibus, & in illa humanitate pro ſuis ſatisfaceret Legi.

Sponſionis Valor & Virtus: ratione Filii.

CCCVII. Patris igitur, ut judicis, ratione, Sponſor, perſonæ ſubſtituendæ aliis, & alios in ſe quaſi complectentis inſtar fuit: cui impingenda erant ſuorum omnia peccata, utpote ſoluturo, quod non rapuerat. Hinc ea *ſua vocare non* veretur Pſ: XL. 13. & XLI. 5. „*O Deus tu no-„ſti uſque ad fatuitatem meam, & reatus a te non ſunt „occulti.* Pſ. LXIX, 6. Quæ merito ut Chriſti verbis, poſt Coccejum & alios, accipit Witzius.

CCCVIII. *Suos* quando dico, univerſalitatem quandam ſignifico, ſed, quod & hic monendum eſt, & alibi, probe notandum, ea eſt univerſalitas, quam ſingulares & certi conſtituant. Recte Philoſophi: *univerſalia ſunt entia rationis*, ſenſu nimirum Porphyriano accepta. Certe *hominem* dicere in genere, revera nihil eſt, niſi dicas Petrum, Paulum, Jacobum &c. Quod unicum, ſi bene adverterent ii, qui inter Reformatos Sponſionem pro omnibus, & gratiam, neſcio quam, univerſalem fingunt, non dubito, quin errorem ſuum ilico eſſent animadverſuri, quin & tantum non manibus palpaturi. *Omnis* enim, vel dicit ſingulos, qui veluti in unum collecti *omnes* appellantur; vel dicit genus aliquod, & non certa ſingularia individua. Hoc ſenſu, ens rationis, figmentum, nihil eſt revera, licet aliquid, & multum videatur, dixiſſe omnes homines. Illo autem, ſi quis dixerit pro omnibus ſpoſpondiſſe Chriſtum, id eſt, pro ſingulis, is dicit, Chriſto ab omni æternitate homines ſingulos datos eſſe coheredes, omnes & ſingulos in Chriſto electos eſſe; omnium & ſingulorum in locum Chriſtum ſurrogatum eſſe; ſuſcepiſſe præſtanda pro ſingulis peccati & debiti, ſolutionem, atque adeo in rationibus Dei deletionem; ergo contractum iniit de redimendis, adeoque vindicandis, ut Goel, atque ἀντιλήπτωρ, ſingulis, ergo ſingulorum, Kaini quoque, & Judæ vices obivit, ipſis δικαίωμα, & jus petendi vitam impetravit. Verum, cum non emtio-

tionis tantum notione, ſed & matrimonii, & heredis, & capitis, de hiſce utatur Sp. Sanctus, quis imaginaria ſibi univerſalitate ſatis hic fieri patiatur? Non Chriſtus ſane, non etiam myſterii hujus probè gnarus diſcipulus Chriſti. In primo Adamo cenſiti ſunt omnes homines, ſed omnes, qui ſinguli futuri, & univerſalitatem conſtituturi erant. Ita & in Chriſto, ratione coheredum, ratione ſponſæ, ratione peculii ſeſe res habet.

CCCIX. Neque de tollendo à parte Dei impedimento tantum tranſegit Sponſor, niſi cum reſpectu ad quoſdam ſingulos, ceteroquin & hæc verba ſunt quæ ſenſu carent. Sed dabitur in executionis conſideratione de hiſce uberius diſſerendi occaſio.

CCCX. Filius nunc Patrem agnoſcit *Deum*, & *Dominum*. Quippe Deus illius dicitur, cum quo fœdus pepigit. Pſ: XXII. 3. XLV. 8. XLIX. 4, 5. Jeſ: LIII. 11. Joh: XX. 17. obſtrictus jam eſt legi Fœderis, non charitatis tantum, ſed illi, de qua ipſe, Joh: X. 18. XII. 49. *hoc præceptum accepi a Patre meo. Pater qui miſit me, præceptum mihi dedit. Et ſervavi præcepta Patris mei.* Joh: XV. 10. Pater autem jam Deus Filii, ſe Filio obſtrinxit viciſſim, ut jus habuerit ejus auxilium in paſſionibus implorandi. Hinc Eccleſia Chriſto ימלא יהוה כל משאלותיך Pſ: XX. 6. *implebit Jehova omnes flagitationes, petitiones tuas.*

2. Sp. Sancti.

CCCXI. Spiritui Sancto illuminandi, ſanctificandi, ad vitam æternam parandi eos, de quibus Sponſor dicturus erat, ne incidant in foveam, nam repperi redemtionis pretium. Job: XXXIII. 24. Vix me contineo quin iterum eos urgeam, qui Univerſaliſtæ audiunt, verum ita ab omni parte hic ſubvertitur illorum figmentum, ut vix videatur operæ pretium, hoc quidem in capite, denuo cum iis manus conſerere. Spero quoque, pro eo, quo multi candore ſunt, ceſſuros veritati.

3. Ratione univerſitatis rerum.

CCCXII. Totam rerum univerſitatem & factam, per peccatum in quoddam quaſi chaos redactam, & non obſtante peccato conſervatam, maximamque partem in hunc

usque

uſque diem vanitati ſubjectam, imo ſub ea gementem, & impuro inſervire peccatori juſſam, nemini alienum videbitur, ubi hanc Sponſionem, hoc Pactum didicerit.

CCCXIII. Peccatores tolerari, etiam reprobos, etiam Diabolos, certa ratione: malis bene in hac vita, bonis male eſſe, quicquid denique in viis Dei haud rectum videri queat, æquum id omne eſſe jam apparet, poſtquam hæc ſponſio, hocce pactum nobis innotuit.

CCCXIV. Nec mirari quis debet, quod omnia illa huc trahamus, cum putemus id in executione morte ſua impetraſſe Dominum Jeſum, ut jure de omnibus diſponere queat, & omnia, ne quidem Diabolis exceptis, ita regere, quemadmodum gloriæ ſuæ, in electorum ſalute manifeſtandæ, conducturum vidit, & voluit.

CCCXV. Unicum nunc caput reliquum eſt. Sexto enim loco nos inquiſituros diximus: quare ſignatè N. Teſtamenti Sponſor audiat. Res ipſa id flagitat, & adverſariorum Socinianorum nulla ratione excuſandus error. Quod ad rem ipſam attinet, cum antea omnis eum Teſtamenti, quin imo univerſi propoſiti divini Sponſorem dixerimus, Apoſtolo repugnare videmur, qui eum dicit *Novi Teſtamenti Sponſorem* eſſe, verum ex iis quæ antea docuimus, facilis eſt iſtius difficultatis ſolutio. Ea, quæ ſignate Novi Teſtamenti ſunt, prima ſunt & colophon divini operis, quo cuncta hactenus collinearunt, ut, qui hujus Sponſor dicitur, cenſeri debeat in ſe ſuſcepiſſe omnis divini conſilii Juſtificationem.

VI. Quare ſignatè Sponſor Novi T.

CCCXVI. Sociniani, ut ipſam Sponſionem extenuant, ſic & illius qualem tandem cunque virtutem ad eos reſtringunt, qui tempore Novi Teſtamenti vivunt. In rem ſuam trahunt eundem locum ad Hebr: VII. 22. ubi Chriſtus κρείττονος διαθήκης, *melioris Teſtamenti Sponſor* dicitur. Quo *meliori* Teſtamento, quin *novum* intelligendum ſit, & poſt Chriſti τελείωσιν demum plene exequendum, dubium non eſt, univerſa capitis ſeries id probat. In eo enim eſt Apoſtolus, ut à lege præceptorum in placitis, ut ab umbris avocet Hebræos: præter alias rationes & hanc adhibet,

 quod

Quare Filius Dei ſignatè N. T. Sponſor dicatur.

quod *Chriſtus factus ſit*, ſeu *extitit melioris Teſtamenti Sponſor*, oppoſitus Aaronidis, ut, *qui*, *ſine juramento*, fuerint *Sacerdotes*.

CCCXVII. Melioris autem illius Teſtamenti Sponſor ſignatè dicitur, non quod non antea Sponſor fuerit, & agnitus ut Sponſor Teſtamenti, quin imo niſi omnis, atque univerſi divini conſilii Sponſor ſit confer §. CCXIV. de ejus ſc. conſilii juſtitia actum atque æquitate foret, verum, quod, quo tempore atque actu univerſum Dei propoſitum juſtificavit, eodem ſigillatim confirmaverit, & juſtificaverit eam propoſiti divini partem, quæ Novi Teſtamenti nomine ſigillatim deſignatur, id innuit Apoſtolus. Nec magis pugnant, eſſe ſigillatim Novi Sponſorem Teſtamenti, & tamen ab æterno in ſe ſuſcepiſſe Sponſionem omnis divini propoſiti & Teſtamenti, liceat ita loqui, Univerſalis; quam eſſe Sacerdotem Aaronidis ſuccedentem, & fuiſſe tamen ab omni ævo Sacerdotem ſecundum ordinem Melchizedek; quorum tamen utrumque diſerte Filio Dei tribuitur Hebr: VII.

CCCXVIII. Γέγονε factus eſt; recte, ſed & Jehova fit id quod eſt. Factus eſt Sponſor N. T. qui jam Sponſor erat omnis Teſtamenti. Quin, vi æternæ Sponſionis, neceſſe erat, ut fieret aliquando Sponſor N. T. ut, quod factus ſit Sponſor N. T. argumenti virtutem habeat, quo evincam, in ſe jam dudum Sponſionem recepiſſe.

CCCXIX. Et ut, Filio non ſpondente, Deo haud conveniſſet iſtiusmodi, uti vidimus, propoſitum, ita & olim agnitus ut Sponſor fuit. Amicorum Jobi ſapientiſſimum audiamus, in Job: XXXIII. 23, 24, 25. proponit hominem ad ſummas redactum anguſtias, & oſtendit, 1. Quos fructus expectare, & 2. Unde ſibi polliceri debeat, & a quo. Fructus *illuminationis*, qua cognoſcat, qua in re ſita ſit vera hominis peccatoris rectitudo; *interceſſionis* pro ipſo apud Deum; & tandem *liberationis*, tum ratione corporis, tum ratione animæ, ſeu mentis. Eorum origo & cauſa. *Si eſt apud ipſum Angelus Advocatus, unus ex mille, ad indicandum homini*

tinni rectitudinem ejus; & gratia illum complectatur, ut dicat; Redime ipſum, ne deſcendat in foveam; inveni lytrum: revireſcens augeſcit caro ejus præ pueritia, redit ad dies adoleſcentiæ ſuæ. Supplicat Deo, & gratum ipſum habet, & videt faciem ejus cum jubilo. Originem vides: eſt, 1. *Præſentia Angeli Advocati. Eſt* 2. Ejus *interceſſio.* 3. Eſt *pretium redemptionis repertum*, ſuo ſolvendum tempore. Inde fructus, quos ulterius exequitur verſus 26, 27, 28. Noviſſimus eſt, *redemptio animæ ipſius, ne tranſeat in foveam*, in infernum, ſed in cœlum: *& vita ejus lucem adſpiciat:* En palam agnitam ab Elihu Sponſionem Filii Dei.

Olim agnitus F. D. eſt ut Sponſor.

CCCXX. Hinc in anguſtias redacti προηλπικότες, *qui ante ſperaverunt*, id eſt, ante adventum Chriſti credentes, ad illum ſponſorem ſe recipere ſolebant. *Ut grus*, ſunt verba graviter ægrotantis Ezechiæ regis, *hirundo, ſic pipiebam, gemebam ut columba; exhauſti ſunt oculi mei altum verſus, dicens: vis mihi fit; SPONDE PRO me.* Jeſ: XXXVIII. 14. Qualis autem ſponſio intellecta ſit Veteribus, ex Davidis verbis videre eſt, hâc formulâ orantis: Pſ: CXIX. 122. *In fidem tuam ſuſcipe ſervum tuum in bonum.* Ad vitam procul dubio, quod demum verè bonum eſt, bonique omnis compendium. Hujus fontem jam tum ſciebat eſſe apud Patrem: *apud te eſt fons vitæ.* Pſ: XXXVI. 10. apud te, o Pater, eſt Sponſor, unica cauſa vitæ, & ſalutis hominis per peccata perditi. Et qui Sponſor eſt, næ ille, quippe mali averruncus, clypeus haud abſque ratione dicitur. Hunc apud Deum eſſe dicit idem Vir ſecundum cor Dei, David. מגני על אלהים *clypeus meus eſt apud Deum.* Pſ: VII. 11. Apud Deum eſt ישעי Jeſus meus, *Salus mea.* LXII. 8. 2 Sam: XXII. 3. 47. XXIII. 5. *Tu es Deus ſalutis meæ* ישעי Pſ: XXV. 5. יהוה ישעי Pſ: XXVII. 1, 9. LXV. 6. Porro ſcientes, quod חפץ יהוה *beneplacitum Jehovæ* יצלח *proſperabitur, feliciter ſuccedet* בידו *in manu ejus*, optant, *Deus impleat omne conſilium tuum: nos exultabimus in ſalute tua.* Pſ: XX. 5, 6. Nam ſic Deo Patri gratias habent, כי תשיתהו ברכות לעד *quia poſuiſti*

 eum

Filii Dei olim agnitus eſt Sponſor F.

eum benedictiones. Pſ: XXI. 7. adde integrum Pſalmum XLV. Jacobus etiam benedictionem Angeli aſſertoris ac vindicis, ejuſdemque adeo redemtoris precatur nepotibus ſuis, Gen. XLVIII. 16. Filii Dei erat remittere, aut non remittere peccata. Exod. XXIII. 21. Quoties ſancti in V. T. orant: *exaudi nos propter Nomen tuum.* Pſ: XXV. 11. XXXIV. 4. XLIV. 26. LXXIX. 9. quem quæſo reſpiciant, niſi eum? in *cujus medio eſt nomen* Dei, Exod: XXIII. 21. imo qui eſt ipſum *nomen*? Filium Dei Sponſorem Angelum Teſtamenti? Confer ſupra Cap. II. §. 2. Quoties orant: *exaudi nos propter miſericordiam tuam.* Pſ: VI. 5. XXXI. 17. CIX. 26. &c. quem ſpectent, niſi eum in quo Deus miſericors eſt? Quoties orant, *exaudi nos propter veritatem tuam.* Pſ: XXV. 5. quem cogitent, niſi eum qui eſt ipſa *veritas*? Joh: XIV. 6. & in quo *omnes promiſſiones Dei ſunt na & amen.* 2 Cor: I. 20. Qui eſt *Deus Amen.* Jeſ: LXV. 16. Quoties petunt exaudiri propter Davidem, in quem oculos vererint, niſi in eum qui eſt verus David? Adde Ezech: XXXIV. 23.

CCCXXI. Quin & Judæi, tempore noviſſimo ſe converſuri, & a Meſſia ſalutem expectaturi hac formula utuntur שובנו אלהי ישענו redire nos facias, aut reduc nos ô Deus ſalutis noſtræ. Pſ: LXXXV. 5. Rupes ſalutis quæ rex in Jeſchurun Deut: XXXII. 15. cum XXXIII. & Pſ: XCV. 1. Sic expectans Dei auxilium eccleſia noviſſimi temporis, expectabo, inquit, *Deum ſalutis* meæ Mich: VII. 5. Adde I Chron: XVI. 35. Hab: III. 18. *Ecce venit Jeſus tuus* ſalus tua Jeſ: LXII. 1. *Gaudium ſalutis tuæ* Pſ: L. 14. eſt gaudium à Chriſto in cordibus excitandum. Jeſ: XVII. 10. idem rurſus Deus ſalutis qui rupes. *Juſtitia a Deo ſalutis* ejus Pſ: XXIV. 5. Prope eſt *ſalus ejus* dicit eccleſia Judaica jam converſa Pſ: LXXXV. 10. *Ipſe mihi erit ſalus* Job: XIII. 16. *Ille Deus ſalus noſtra* Pſ: LXVIII. 20. *Ego ſum ſalus* veſtra Pſ: XXXV. 3. Ille *ſalus æterna* ſalus ſeculorum Jeſ: XLV. 17. Sic Sanctus Iſrael ſervator Jeſ: XLIII. 14. Nec enervat hæc dicta, quod toties liberatio populi Dei, ex non una calamitate, ſalutis nomine

mine veniat, eum in iis viderint hujus ſalutis umbram & picturam.

CCCXXI. Hinc orantes, in hunc Sponſorem fiduciam repoſuere. Præter jam dicta §. cccxx. huc facit formula, *exaudi propter unctum tuum.* Dan: IX. 17. *Exaudi Deus noſter orationem ſervi tui propter dominum.* Eſt אדני cum Kametz. Nec Moſes auſus eſt, niſi hoc Sponſore comite, Canaan verſus iter ſuſcipere. Exod: XXXIII. 14.15. *qui Angelus geſtaſſe populum* proinde dicitur. Jeſ. LXIII. Non poſſumus non addere locum memoratu dignum, qui eſt Dan: X. 13. loquitur Deus: ſibi enim tribuit coercitionem Perſarum, & concitationem Græcorum. Deus Spiritus Sanctus, miſſus enim eſt, nec tamen Michael qui eſt Filius Dei. De Michaele igitur dicit Spiritus Danieli: *& ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum.* Quomodo juvat Spiritum Filius? niſi, quod, Sponſor cum ſit, vi illius Sponſionis, convenienter Deo, valide agat Spiritus Sanctus, diſſipans conſilia adverſariorum; & credentium animos confirmans.

CCCXXII. Quin imo; nec ut Angelus, nec ut Angelus Fœderis, aut faciei, nec ut rupes Salutis, aut ipſa Salus, nec ut mulieris de ſerpente triumphaturum ſemen, nec ut unctus Jehovæ obverſari priſcis potuiſſet, niſi Sponſionem illam in ſeſe ſuſcepiſſet.

Hancce Sponſionem omnia promiſſa gratiæ ſupponunt.

CCCXXIII. Nec ullam ſalutis ſpem peccator concipere, abſque Dei contumelia atque abnegatione, potuiſſet, niſi Sponſorem habuiſſet, & hunc Sponſorem; neque enim alius erat apud Patrem ab æterno præter Filium, & Spiritum Sanctum. Et non-Jehova Sponſor, ſeu rupes ſalutis eſſe haud poterat Deut: XXXII. Aut Sacerdos, niſi in quo eſſet vis vitæ indiſſolubilis & Spiritus æternus Hebr: VII. IX. Hæc confirmata vidimus ex Jer: XXX. 21. Confer §. CCXL.

CCCXXIV. Atque ita nobis conſtat omnis propoſiti divini juſtificatio. Cum autem id, quod ſuæ convenienter perfectioni propoſuit, eidem etiam convenienter exe-

Digitized by Google

qui poſſit, patet omnem hinc *univerſa via Dei* repetendam juſtificationem eſſe.

CCCXXV. Ex iis, quæ hactenus de prima Viarum Dei parte docuimus, clarum eſt, penes Deum eſſe I. Rerum futurarum ſingularum ideas, quibus res ipſæ ſuo tempore reſpondeant, & quas exprimant. Qua in convenientia rei cujuscunque veritas unice ponenda eſt. Verus angelus, verus homo, verus calamus e. g. eſt ille, qui reſpondet divinæ ideæ, quam liberè ſibi formaſſe concipitur infinita Dei ſapientia. Eſt in mente Dei conceptum exemplar, ad quod omnia formata ſunt in tempore. Et hoc quoque ſenſu, *Deo ab ævo cognita ſunt omnia opera ejus*. Act: XV. 18.

CCCXXVI. Addo quod non minus manifeſtum videtur, II. Penes Deum univerſorum quoque eſſe conceptum, & determinatum rerum omnium ſingularem ordinem, in quem, tum per primam, tum per ſecundam & creationem & regimen, redigenda ſunt omnia. Cui ſi, vel unico momento in re minima non reſpondeat eventus, actum neceſſario de omni Dei propoſito erit, & prædeſtinatione ac præcognitione; quas falli non patitur haud una divinæ mentis perfectio.

CCCXXVII. Signate autem. III. Quid de ſingulis hominibus in hac aut futura vita futurum ſit, firmum & ratum eſt, niſi omnem, quem Deus ſibi propoſuit ordinem funditus ſubvertamus. Tam clare hæc theſis ex præcedentibus profluit, ut vel eam ob rationem de divina prædeſtinatione, cum, quatenus illa conſideratur, ut de omnibus, tum, quatenus conſideratur ut de æterna in hominibus ſingulis atque univerſis glorificatione diſponens, hic pluribus non agamus. Ab aliis quoque ita abunde atque accurate occupatum hocce argumentum eſt, ut nil niſi actum agere nobis reliquum videatur. Conſulat Lector Cocceji, Burmanni, & Braunii, Syſtemata.

CCCXXVIII. Accepit igitur a Patre Filius rerum gerendarum præſcriptum, & determinatum propoſitum, juxta quod agendum ipſi pariter ac loquendum.

CCCXXIX.

Digitized by Google

CCCXXIX. Hypotheſes noſtras hic memorare nihil attinet, cum, quæ noviſſime petractata eſt materia, nulla ſui parte, abſque Sacro Sanctæ Trinitatis fide concipi poſſit, & ipſum ſit id, quod ante ſuppoſuimus, gratiæ conſilium.

CCCXXX. Ut jam ad ſecundam viæ divinæ partem, quæ eſt Executio Propoſiti, commoda ſit tranſitio. Rationes autem nobis conſtant, & numero, & pondere ſatis magnæ, quibus inducti hic curſum ſiſtimus: de Executione in ſecunda hujus operis parte, Deo volente, jam jam acturi. E re autem, imprimis eorum, qui ſe noſtræ Diſciplinæ tradidere egregii Juvenes, fore judicavimus, ſi brevem deinceps in hoc opere dicendorum ideam prolixiori operi præmitteremus. Brevem igitur Univerſæ Theologiæ delineationem, antequam ſecundam partem aggrediamur, Lectori pollicemur. Addat modo Deus & vitam & vires!

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google